





VAL. THILONIS

PANEGYRICI ACADEMICI,

VEL

ORATIONES SOLENNES,

SERENISSIMORUM POTENTISSIMORUMQUE

POLONIAE, SUECIAEQUE REGUM,

ET

ELECTORUM BRANDENBURGICORUM

NATALIBUS. INAUGURATIONIBUS. NUPTIIS. REBUS FELICITER GESTIS. FUNERIBUS. SACRAE.

Christiani Risii R. B. Ao 1684. d. 11. Septembr.
Domine, fac me discere viam, per quam ambulem!

Johannes

Ertaud Camald. ... M. C.
Ex Insula Wigrensi ex
Legato F. Agathangeli.



CUM SPECIALI SERENISSIMI ELECTORIS BRANDEB. PRIVIL. AD DECENNIUM EXCUDEBANTUR

REGIOMONTI TYPIS REUSNERIANIS,
M. D. C. L.

SERENISSIMI
ET
POTENTISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI
FRIDERICI VVILHELMI,
MARCHIONIS BRANDENBURGICI,
S. R. I. ARCHICAMERARII ET
PRINCIPIS ELECTORIS,
BORUSSIAE
ETC. ETC. ETC.
DUCIS
ETC. ETC. ETC.
DOMINI AC NUTRITII MEI
CLEMENTISSIMI MUNIFICENTISSIMI,
CONSILIARIIS
IN BORUSSIA
CELEBRATISSIMIS:

VI.

VIRIS
MAGNIFICIS GENEROSIS,
NOBILISSIMIS,
IN
SUPREMO REGIMINE

DN. JOHANN. EBERHARDO
A TETTAU,
PROVINCIALIS AULAE MAGISTRO, IN Tolck/ Steßlacken ꝛc.

DN. BERNHARDO à Königs-Eck
BURGGRABIO SUPREMO,
IN Schkandaw & Wittenbergk ꝛc.

DN. CHRISTOPHORO
TROSCHK,
CANCELLARIO,
IN Arnstein/ Littawschdorff. ꝛc.

DN. AHASVERO A BRANDT,
MARESCHALLO SUPREMO
IN Regitten/ Jäschkendorff ꝛc.

HEREDITARIO DOMINO.

VT ET

VIRIS

MAGNIFICIS, GENEROSIS, NOBILISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS, CONSVLTISSIMIS

SVPREMI DICASTERII PRAESIDI HONORATISS.

DN. GEORGIO A Rauschke/ AB INTIMIS CONSILIIS, in Kirschnenen &c.

ET

ASSESSORIBVS LAVDATISSIMIS

DN. FRIDERICO A Götzen/ in Arnßberg/ Drosten &c.

DN. JOHANNI AB OSTAV, In Lablacken/ Tacktaw &c.

DN. JOHANN-GEORGIO AB Haugwitz/ In Patheinen/ &c.

DN. ALBERTO AB OSTAV, In Nerffken &c.

DN. JOHANN-THEODORO A Tettaw/ In Powarschen ꝛc.

HEREDITARIO DOMINO.

DN. MICHAELI Friesen/ V. J. D. & CONSISTORII SAMBIENSIS OFFICIALI.

DN. GEORGIO REIMANNO V. J. D.

DN. REINHOLDO DERSCHOVIO V. J. D.

DOMINIS MEIS

submisse

COLENDIS.



MAGNIFICI, GENEROSI, NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI, CONSVLTISSIMI DOMINI.

ET amœnisſima populorum felicitas, non niſi cœleſti OPTIMORVM PRINCIPVM virtute; & hæc non, niſi divino AETERNI NVMINIS, naſcitur influxu. Scilicet dum, admirandâ hic operandi efficacia, Iſtorum vegetat pectora; animata iſta, vernantiſſimum ſalutis publicæ florem, promovent atq; educunt. Antiquiſſima antiqui è Samo Philoſophi incidit oraculum, quod florum omnium Patrem, in cœlis, Solem; matrem, in Terris, agrum ſtatuit. Non aliis incunabulis, ortusq; primordiis, floridarum Rerumpubl. gaudet amœnitas. Deus eſt, quem SOLIS nomine, non unus Orientis populus honorabat; nos Lucem æternam credimus. Hujus immortalem non minus, quam puriſſimum, radium, dum, Aquilæ inſtar, irretorto oculo intuetur, ſequiturq; inoffenſo tenore, Principum animus: eâ illuſtriſſimarum Virtutum, perficitur generoſitate, quæ non niſi ſa-

lutaris, floridissimo Felicitatis publicæ incremento, oriri possunt atq; allucere. Sed, quia ardua res Regnum est, ne mole tanta opprimatur hominis animus, aliorum consiliis sublevandus est atq; ope. Neque enim, si alia plurima Deo similis princeps est; eadē quoq; regiminis, ac viriū pollet potestate. Præter hanc, sive Deū sive Solem, dum Principem audis, concipe: cujus ductui radioq;, dum obsequuntur, quos admovit consiliis publicis, Illius arbitrium; eâ & ipsi, & populus subjectus, amœnitate, quam diximus, lætùm florent. Nam prout DEI, Princeps; ita Principis Consiliarius, imaginem gerit, atq; vicem. Et prout æternâ ille; ita Principis virtute adjutus hic, bono publico prodest. Experta eam felicitatem hucusq; (æternùm firmes o Deus!) Patria hæc nostra, tàm hilariter fuit, ut plurimis aliis solatio fuerit, atq; oblectationi. Neque eripuit, quæ obnubilavit eam quandoq; (prout res hominum, imæ pariter atque summæ, eadem sorte utuntur) tristissima temporum publicorum caligo; sed semper & Principum virtute, & Consiliariorum sapientia,

suo

ſuo ſplendori reddita, refulſit. Hæc uti, inter effuſiſſima ſolenniſsimorum conventuum gaudia, ſæpe, jure merito, á me, Vobis haud invitis, celebrata: ita nunc, alii etiam, ut ad bene, de ſua proſperitate, ſperandum, noſtro hoc animētur exemplo, publice legenda propoſui. Ecquis enim, aut prædicandæ divinæ bonitatis modus; aut exhibitæ certior eſſe teſtis queat?

Sed & VOBIS, MEI DOMINI, quorum Virtute & Prudentiâ, magna felicitatis huj9 publicæ pars conſtat, ut publicus curis veſtris conſtaret honor, (neq; tamen omnē mea abſolvere valet tenuitas) operas has meas ſubmiſſe offerre, æquitas juſſit. Vos, ſi non alio argumento, ſaltem NOMINVM, quorū cultui ſacer hic labor eſt, SVBLIMITATE perſuaſi, faventē oculū, animumq; non invidebitis iisdē. Sed &, quem ſemper, cum devinctiſſimæ gratitudinis memoriâ, recolo, addictiſſimū, in Thilonem obſtrictiſſimū, omnium & ſingulorum ſervū, continuabitis favorē. Pro quo, uti porrò omne, quicquid à mea tenuitate gratum proficiſci poteſt, VOBIS ſanctiſſimè dico: ita ut, cū felici novi anni exor-

dio,

dio, novâ felicitate crescatis; diuq; ejusdē incrementa augeri sentiatis, DEVM, temporis felicitatisq; omnis Autorem, supplex veneror. Ast quod primo agendū, temporis statusq; præsentis ratio jubet, id quoq; agamus, & Regū omniū, Regnorumq; Autorē atq; Statorē O M. ut quam, intra AVGVSTISSIMVM POLONIAE REGNVM, pulsis difficiliorū temporū nubilis, felicitatis succedere jussit Solē, cum opulentissimo populorū omniū emolumento, æternū illustret; quam vero, POTENTISSIMAE BRANDENBVRGICAE DOMVI, funestâ, per acerbissima fata, induxit caliginē, eâ cœlestis gratiæ serenitate cōmutet, quæ salutarem atq; æternum, lætitiæ felicitatisq; publicæ, florem producat atq; fructum, cernui & humiles adoremus omnes. Dabantur e Museo, sub Exordium Anni M. D. C. L. qui ut feliciter VOBIS, omnibusque exigatur, serio adhuc optat

MM. GG. NN. EE. CC.
Dominationum
Vestrarum

Humilimus Cliens

VAL. THILO.

APPLAV-

APPLAVSVS AMICORVM
DE PANEGYRICIS
VALENTINI THILONIS,
ORATORIS REGIO-
MONTANI.

SArmaticos forti Reges ſer-
mone Thilonis,
Et patrios celebrans Pruſſi-
ca Suada Duces;
Nunc mihi Romuleam, proles
Cyllenia, Peitho
Obiice, fulmineiq; os Cice-
ronis: ait;
Nî Boream Heſperiæ præſers,
linguam aſpice utramq;,
Illam hominis, reor, hanc
dixeris eſſe Dei.

CHRISTOPHORVS TINCTORIVS.D.
p.t. Rector.

AD CLARISSIMVM DISERTISSIMVMQVE
PANEGYRISTEN,

VALENTINVM TILONEM,

ORATOREM REGIOMONTANVM,
PANEGYRICOS SVOS ACADE-
MICOS EDENTEM.

VALENTINVS TILO,
Anagr.
TVLLIANVS NITEO.
Aliud.
VALENTINVS TILO ORATOR.
Anagr.
ORE TONAS } RITV TVLLIANO,
ORE SONAT }
SONAT, RVIT ORE TVLLIANO.

DOcti fulmina qui Tilonis iſthic
Et linguæ tonitru potentis audit,
Regesque armigeros legit Ducesque,
Et quæ cætera Rhetor invidendi
Pennis eloquii ſub aſtra tollit:
Is ceu pectore fulguritus hærens
Delatum Dominam Quiritum in urbem
Seſe credit, & aſſidere Roſtris

Os

Os magni Ciceronis audientem.
Sic cultu NITET iste TVLLIANO
Rhetor, sic SONAT ORE TVLLIANO,
Sic RITV TONAT ille TVLLIANO.
Mox errore suo solutus idem
Et secum melius virum renoscens,
Non mirum est ita, Consulem Latinum
Orbis cum Iove jura dividentem
Linguâ olim tonuisse, ait, paternâ.
Hoc mirum mage, frigido sub axe,
Tanti consulis æmulum Borussum
Tilonem, Latiâ TONARE linguâ.

Verè amico affectu

scribebat

JOACHIMVS PASTORIVS, D.
S. REG. M. Historiographus.

IN
PANEGYRICOS ACADEMICOS
VALENTINI THILONIS,
VIRI CLARISSIMI.

ELoquii graviore tubâ dum culmina
rerum,
Sceptraque Diis ipſis æmula THILO
canit,
Laudibus attonitum reddit regalibus
orbem,
Per Populos ſpargit nec minus ipſe
ſuas.
O felix animi! felix illuſtribus orſis!
Quæ, facunde, licet, præmia ferre tibi?
Nam laudes & facta Ducum ſic mittis in
ævum,
Aeterna ingenii laus ſtet ut inde tibi.

AVGVSTVS BVCHNERVS.

ACADEMIAE REGIOMONTANAE
CLARISSIMO ORATORI
ORATIONES SVAS PANEGYRICAS EDENTI.

QVæ mihi ſunt transmiſſa, Thilo facunde, legenda
Legi, perlegi: lecta, relecta probo.
O utinam verò noſtris Oratio tantùm
Accepta his ipſis auribus una foret!
Sic, quæ viſa probo, magis illa audita probaſſem,
Ob vocis vivum præcipuumque decus.
Eſt expers animæ quæcunq; oratio ſcripta:
Dicta ſuum vitæ nobile lumen habet.
Gratulor ergò illis, quorum ſunt auribus hauſta,
Quæ libata oculis ſic placuere meis.
Felices ajo, queis ſcripta diſerta Thilonis
Cernere contingit; ſcripta probata Viri.
Sed mage felices, quibus ora diſerta Thilonis
Fas auſcultare eſt; ora probata Viri.

Honoris amorisq; debiti cauſsa
Gedano miſit
JOHANNES MOCHINGERVS,
apud Gedanenſes, Ædis Cath:
Paſtor, &, in Gymnaſio, Eloquentiæ Profeſſ.

IN
VALENTINI THILONIS,
VIRI CLARISSIMI
PANEGYRICOS.

HÆc quoq; facundum pandunt monumenta Thilonem;
Queîs rerum Dominos tollit in aſtra Deos.
Quæ non rhetorica declamans luſit in umbra
Chryſogonus, docilis diſcat ut illa puer;
Sed vehemens coram non uno Principe dixit,
Attonitosq; dedit voce tonante patres.
Non proceres illum, non purpura terruit ingens,
Non majeſtatis grande ſupercilium:
Quin animos cepit magis igneus inde viriles,
Materiem cenſens laudis id eſſe ſuæ.
Vidi celſa Ducum læto cum numina vultu
Annuerent, plauſum teſtificante ſono.

Hæc

Hæc populi inſanos cohiberet lingua tu-
multus,
Ferventis rabiem ſiſteret illa fori.
Horrida ſangvineis ſedaret prælia campis,
Clangenti lituo fortior atq; tuba.
Hanc operæ pretium tibi ſit cognoſcere
coràm,
Immenſi genium, qui Ciceronis amas.
Spectatum Iſæū veniat monet ipſe Nepotē
Plinius, & fœdum noſcere nolle putat.
Eloquio ſummi Demoſthenis aurea florens
Aeſchine miratur verba legente Rho-
dos:) (hoſtis
Hic, eſt exiguum hoc: noſtri vox ipſa quid
Fortè tuas aures ſi tetigiſſet? ait.
Tantum eſt vultum, habitum geſtumq; vi-
dere loquentis,) (tent.
Quæq; his in noſtro plura Thilone pa-
Cuius multa tenes hæc cum legis, optima
reſtant,
Didere cum chartis ſe nequit ipſe ſuis.

SIMON DACHIVS.

VA-

VALENTINVS T(H)ILO,

per Anagramma

in Epigrammate,

ANNE TVLLIVS? ITO.

Evolutio.

SArmaticos Latio *dum laudas* ore Dynastas,
ANNE ſtylo, Thilo, TVLLIVS ipſe clues?
Sic puto: namq́ Tibi, non abs re juſta dederunt
Fata Valentini *nomen; utrumq́ tenes.*
Scilicet antiquis eſt Roma Valentia *sêclis*
Dicta; Valentinus *Româ oriundus erat.*
Hinc Tu, cum ſimiles Romanos præpete linguâ,
Jure Valentini *nobile nomen habes.*
O immortales illos, celebrarier â Te
Queis datur! ignorat nam Tua penna mori.
IT O, & Divorum *conſcribere geſta* Virorum
Pergito, ſicque brevi tempore Divus eris.

Romanâ facundiâ præcellenti

Viro

VALENTINO THILONI,

Panegyricos ſuos Illuſtres edenti, in gratam hoſpitalis teſſeræ memoriam

ſcribebat

Joannes Henricus Hanneckenius,

L. L. Studioſus.

PANEGYRICVS I.

AETERNO HONORI
SERENISSIMI AC INVICTISSIMI
VLADISLAI IV.
POLONIAE SVECIAEQVE
REGIS AVGVSTI &c. &c.
CUM
SVORVM LIBERATOR FELIX,
HOSTIVM VICTOR FORTIS,
PACE AETERNA
CONSTITVTA,
SVB AVSPICIVM ANNI
M. DC. XXXV.
PRVSSIAE FINES AVSPICATO
INGRESSVS ESSET.

INVITATIO AVDITORVM.

ANnum hunc novum felici, (ita velit Deus!) sidere auspicantes, tibi primò omnium BEATISSIMA TRINITAS, ejus & principium, & cum hoc, reliquum omne tempus consecratum, dicatumque volumus. Sacer proinde tibi sit, maneatque ejusdem, ut introitus, ita exitus. Sacra tibi sit opera nostra omnis, quæcunque non hujus modò anni;

ſed quicquid ſupereſt viventibus, temporis progreſſu peragi à nobis poterit atq; proficiſci. Sacra deniq; ſint, tibiq; uni devota domicilia noſtra, non ſaxea modò & lutea; ſed & cordis mentisq; ſacella, quæ ne deſpicatui tibi ſint, quin benignisſimè ea ipſa viſites, viſitata ditisſimè exornes, exornata diutiſsimè incolas, ſicq; nobis tecum non annare modò, ſed perennare quoq; beatisſimè liceat, oramus, obſecramus.

Hoc exordio operarum noſtrarum conſtituto, quod ut omnium rerum, ita & veræ felicitatis, ſolidæq; beatitudinis principium unicum eſt, atque certum: Nunc, quid vos, Amici ac Cives Academici, velimus, paucis accipite.

Quæ nobis æternum Numen beneficia, auſpiciis atq; virtute SERENISSIMI ac POTENTISSIMI VLADISLAI IV. Poloniæ, Sueciæq; Regis victorioſiſsimi: Triumphatoris Moſcovitici feliciſsimi: Turcarum profligatoris fortiſsimi, contulerit, novimus omnes: Novimus id quoq;, ut feliciter gemino confecto bello, & pace utrinque partâ, omnia fauſtisſimis gratulationibus & acclamationibus perſonuerint. Neq; ejus ſuſcipiendi nobis hucusq; animus, ſed tempus defuere & occaſio. Nunc auſpicatò, quod benè vertat DEVS! Sacram Regiam Majeſtatem patriæ fines ingreſſam, Academica Panegyri ſalutare, ad VIII. Januarij D. V. Horam IX. in Auditorio Magno decretum eſt. Poſt Amalekitas fuſos, ac vitam Iſraelitarum immaniſsimis prædonibus liberatam, populum ſalutaturus adijt Rex DAVID: Eadem Regis noſtri Auguſtisſimi in nos Clementia eſt; quâ, ut quamprimum belli expeditus difficultatibus, noſtræ quoque incolumitatis ſolicitus videretur; &, quis

quis ſtatus rerum noſtrarum, coram cognoſceret, terras noſtras adiit. O verè patrium affectum, in quem quo cultu & obſequio exiſtamus, euge teſtemur prompti! Cum ſublimis de Actiaca Victoria reverteretur Auguſtus, tanta ſalutantium devotione cultus eſt, ut & fandi naturâ expertes, arte eidem ſuum expediverint χαῖρε; Corvo inter omnes proclamante: HAVE CAESAR VICTOR! Maneat in nobis laudabile ejusdem certaminis propoſitum; &, quâ quisq; ratione valet, veneretur victricem dextram. Nunquam ejus capitis nobis emoriatur cultus, cujus omnis cogitatio ac cura noſtra deſtinatur ſaluti. Neq; enim Ægyptiorum Regi Oſiri illa laus privata manet, ut vigilantiæ gloria clarus, ſceptro oculato exprimeretur: Et nobis (adde muneri perennitatem DEVS!) REX eſt, qui prudentiâ, quæcunq; ſubditis ſalutaria exiſtant, prævidet; præviſa verò imperio dirigit atq; moderatur: qui dum omnium ſomnos ſua vigilia tuetur, verè, quod ad Honorium Claudianus habet, ſe civem patremq; gerit, qui omnibus conſulit, quemque non ſua movent, ſed publica vota. Aſt hæc pluribus publicus perſequetur actus, quem ut præſentia ſuâ ornent Fautores, Amici, ac Cives Academici, hiſce rogamus. Non dubitamus, ſpontè quemvis teſtaturum, quantus Regiarum Virtutum admirator atq; cultor haberi velit. Omnibus verò & ſingulis, ut nova gaudia atq; novam gratiam cœleſtis favor præſtet, oramus devoti. P. P. die Anni M. DC. XXXV. auſpice.

ERENISSIMI AC INVICTISSIMI VLADISLAI IV. POLONIAE SVECIAEQVE REGIS AVGVSTI &c.&c. DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI, MAGNIFICE AC GENEROSE DOMINE LEGATE:

ILLVSTRES, MAGNIFICI, NOBILISSIMI AC STRENVI DNN. CONSILIARII REGIMINIS PATRII, ET PROCERES PRVSSIAE INCLYTI: MAGNIFICE DN. RECTOR: SPECTABILES DNN. DECANI; ADMODVM REVERENDI, CONSVLTISSIMI, EXCELLENTISSIMI DNN. PROFESSORES: REVERENDI, CLARISSIMI, AMPLISSIMI, PRAESTANTES DNN. HOSPITES OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI: NOBILISSIMI DNN. STVDIOSI.

Quod precata à Deo Optimo Maximo, cum universa Provincia, Academia hæc noſtra eſt, eo tẽpore, cum SERENISSIMO ac POTENTISSIMO PRINCIPI AC DN.DN. VLADISLAO IV. POLONIAE REGI AVGVSTO, MAGNO DVCI LITHVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIAE, SAMOGITIAE, LIVONIAE: NEC NON SVECORVM, GOTHORVM ac VANDALORVM, HAEREDITARIO REGI &c. &c. DOMINO SVO AC TVTELARI OPTIMO MAXIMO,

Divina Gratia, Regia Virtus, Procerum ſuffragia, moderandarum rerum ſummam tradidiſſent, ut, ſi contra obſtinatam Barbarorum perfidiam dimicandum eſſet, ſempiterno eos excidio deleret; ſin ſcelerum conſcientia victi, receptui canerent, Regia gratiâ ac pacis nobilisſimo bono ſervarentur, ut, quod bellum invicta virtus ſuſcepiſſet, id in ſuorum aſſertionem deſineret: ejus devotionis ſeſe eſſe convictam Beneficio DEI immortalis, Auſpiciis FELICISSIMI REGIS, Fide fortisſimorum militum, confesſione inimicorum, hodierno die Deo gratias agit, ſibi gaudet, ac, quantum poteſt, GLORIOSISSIMO VICTORI gratulabunda acclamat:

SALVE. VLADISLAE. AVGVSTE.
VICTOR. INVICTE. OPPRESSOR.
INIQVITATIS. ASSERTOR. PACIS.
IVSTE. FORTIS. CLEMENS.

Nec metuit, ut liceat te gratis ſalutare, cum munera ſalutandis Regibus exigat, mos & conſtitutio antiquiſſimorum. Perſarum ea lex erat, quæ quidem una ex omnibus obſervantiſſimè colebatur, & hodienum plerisque inviolabilis eſt: Verum linquens hæc ampliori fortunæ, quod unum poteſt, quemque ſolum diviniſſimarum virtutum æſtimatorem novit, æternam animi defert venerationem atque memoriam. Hanc mentium Auguſtisſimo nomini Tuo conſecrat ædem, in qua tropæum ponet

ære perennius,
Regaliq; situ pyramidum altius,
Quod nec imber edax, aut Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series & fuga temporum.

Fulgebit ea intemerato æternæ fidei auro, ac amoris non corrumpendi purpurâ. Quicquid argenti, quicquid nobilissimorum lapidũ enitet usquam, præstabit in hac purissimus devotionis candor, ac interminа servitiorum constantia. Statuetur post in hac, expressa Magni VLADISLAI imago, cujus & sacratissimum Caput, & fortissimam Dextram, &, sapientiæ quoddam virtutumque sacrarium, Pectus æternus nostræ devotionis prosequetur cultus. Personabunt eandem æterna tuarum victoriarum præconia, ac, quandocunq; licebit, Musarum nostrarum materia erit, Divina VICTORIS VLADISLAI Virtus. Et ne dubites, REGVM MAXIME, ipsas Musas, si corporum sensus admitterent, jam è Parnassi monte, Regium hunc ingressas, sacratissimum hoc sapientiæ domicilium tuis laudibus implere: Nunc cum id, me interprete, agi necessum sit, ipsarum voces, prout potero, æmulabor, ac, quod ipsæ dicturæ essent, altâ voce, referens, dico:

VIVAT. REX. VIVAT. REX. VLADISLAVS.
ET. ILLA.
QVAE. FVERAT. DIGNVS. SVMERE.
SCEPTRA. GERAT.

VT.

VT. PATRIS. CVM. LAVDE. PARI. MODERARIS. HABENAS.
REX. NOVE. SIC. VITAM. CVM. PATRE. VIVE. PAREM.

Sed fallor? An pertæſæ interpretis, coràm, quæ nuncuparant, vota Sacratisſimæ Majeſtatis pulvinaribus, devotisſimè inferre malunt Muſæ? Ita eſt: Adeſt cum univerſo Muſarum choro Apollo Pater, & jejunum linguæ meæ eloquium interpellat.

(*Muſica intercedens*)

O factum benè meæ Muſæ! cum æternitate certabit poſthac memoria noſtri Regis, dum veſtris artibus coli cœpit: Et nos quidem in præcipua parte felicitatis meritò deputamus, ei Regi parere, cujus æternaturæ virtutes æternæ admirationis cultum merentur; quemque non ſola naſcendi ſors, ſed divinior quædam mentis ſublimitas, in divinâ inter mortales dignitate conſtituit. Ignoſce, Regum Gloria, ſi virtutum tuarum cœleſtis impetus, in liberius laudum ſuarum præconium, abripiat meum ſtylum. Invitam equidem audire ſuas laudes, virtutem omnem ſcio: ſed & iniquum eſſe, quisquis Magnas virtutes debito cultu fraudat, ſcio. Moderabor tamen affectui, ac, ſi potero, vel unâ ſaltem lineâ, ampliſſimum virtutum tuarum comprehendam decus.

SIC PECTVS FORMAVIT SVVM VLADISLAVS AVGVSTVS, VT VIRTVTVM DIVINISSIMARVM SENACVLVM; SIC VITAM INSTITVIT OMNEM, VT PERPETVVM VIRTVTVM EXERCITIVM VIDEATVR.

Orbem

Orbem teſtem hujus dicti voco. Quotusquisque enim ejus locus eſt, cujus ſplendori ex clarisſima virtutum harum luce, non plurimum dignitatis acceſſerit? Parum videbatur bellicarum artium matri atque officinæ BELGIO, inq; eo feliciſſimæ virtutis Principi SPINOLAE, inſignia dare Martiæ indolis documenta: Roma ipſa adeunda erat, Regiarumq; dotum gloriâ illuſtranda, quæ quondam tot fortiſſimorum victoriis illuſtrata, omnibus ad virtutem ſectandam lux erat. Scilicet luſtrandus erat à te locus Auguſtiſſimus, qui brevi Auguſtisſimis tuis Victoriis ornandus erat. Oculis uſurpare placebat infinitarum virtutum fertiliſſimum locum, quem innumeris ſcriptorum laudibus ornatum, virtutis ſectandæ impulſorem habebas. Sed, quæ pro tuorum ſalute fortiter geſſeris olim, adhuc Moſcovia ad Boryſthenem fuſa loquitur. Æterno Tuo Honori Turcarum, Tartarûmque legentur clades, cum caput Oſmanicum perfidiæ ſuæ pœnas; Virtutis Tuæ ſenſiſſe potentiam fatebuntur. In aliis pari ſucceſſu, pari ſtudio clara virtus emicuit, nec unquam pertinax illa cura tibi defuit, ut non ſummus inter homines eſſes, niſi optimus. O verè Regium atq; Excelſum animum! Vos compello, quoscunq; AEternus Mundi Arbiter hominum regendorum clavo admovit, an exactior ad Regium culmen via ducat, decernite!

Regem non faciunt opes;
Non veſtis Tyriæ color;

Non

Non frontis nota Regiæ;
Non auro nitidæ trabes:
Regnum mens bona possidet.

Non CELSISSIMVS inter homines habendus, qui celsissimo locatus solio, plurimorum cultorum despicit obsequia: sed qui, supra homines sublimato animo, ejus æmulatur celsitudinem, cujus vicem gerit, Celsissimi è cœlo Dei. SERENISSIMVM Eum dicimus, qui, velut siderum Princeps, nubibus dissipatis, blandâ serenitate, quicquid infra se est, reficit; ita & subjectorum hominum res immoto oculo videt, ac propulsatis injuriarum nubilis, novâ lætitiâ serenat. REX POTENTISSIMVS est, non qui latè imperat, ac infinitos ferè Imperii fines moderatur; sed qui affectibus non succumbit, & horum impetum regit. Eâ laude insignem gerat animum, quisquis Regiis insignibus vult ornari. Atque hujus laudis possessio hæreditaria tibi, MAGNE REX, cum esset, nolebas admittere, ut tuâ culpâ minueretur splendidissima hæreditas; sed, si hæredem Patrii Solii constitueret te cœlestis favor, hæres esse prius avitarum, patriarumq; virtutum, cœlesti volebas animo. Neque enim DIVORVM ANTECESSORVM tangere solium volebas, nisi & laudum eorum culmen Celsissimæ Tuæ Virtutes contingerent. Hîc jam tot seculorum virtus repetenda esset, & suâ laude decoranda; quemadmodũ JAGELLONICA GLORIA inoffenso augmento creverit, & innume-

ris Res Polonicas felicitatibus auxerit. Dicendus hîc esset, AVGVSTISSIMVS JAGELLO VLADISLAVS, qui Magno Ducatu Lithvaniæ, Samogitiæ, Russiæq; nobilissima parte, Poloniæ fines ampliavit; Lithvaniam verò ipsam, veræ fidei nobilissimo dono beavit: Dicendus esset hujus Filius AEternæ Famæ, CASIMIRVS, qui subactam Prussiam Poloniæ Regno addidit: Dicendus esset laudatissimus SIGISMVNDVS I. cujus spectatam pietatem, inviolatam justitiam, & fortitudinem inprimis stupendam, cum omni virtutum felicissimo consortio, miratur omnis Historia: Dicendus esset inclytus SIGISMVNDVS AVGVSTVS, in quo frugalitatem, prudentiam ac scientiæ tam togatæ; quàm militaris sublimitatem, rarissimo exemplo, deprehendis. Dicenda illa omnia essent, nisi compendium verborum facere, ac, quæ in istis singula, in DIVO PATRE TVO junctim omnia, miranda occurrunt, dicere juberer. Cujus quidem SIGISMVNDI TERTII Magnum Nomen, ut sine veneratione nunquam profertur: ita Memoria AEterna nobis erit atque Sacrosancta. Speculum erat quoddam clarissimum, in quod universis Regibus inspicere proderat, ut, quid usui sibi esset, discerent! Asylum erat oppressæ justitiæ, quam non defunctoria opera, sed indefesso labore, ac curiosâ solertiâ tuebatur! Patrocinium Musarum, Præsidium innocentiæ, Refugium bonorum omnium, Patientissimus adhæc

laborum,

laborum, Servantissimus fidei, Fortis in Præliis, Pius in templis, Prudens in consiliis, ubique Regum exemplum absolutum! Neque jam quicquam immensis ejus laudibus accedere posse videbatur, nisi quod parem sibi videret FILIUM PRINCIPEM. Hinc intolerabilis quoque Sancti Capitis jactura extitisset, nisi hoc divinitus beneficio restituta videretur. Nam quod in avito agro, optimi Imperatoris Vespasiani, contigisse Suetonius autor est, Cupressum altitudinis conspicuæ, vi tẽpestatis evulsam, repentè procidisse, ac, insequenti die, viridiorem atq; firmiorem, eodem vestigio, resurrexisse: Idem, si fas est dicere, nobis præstitit æterna indulgentia. Erat tempus, quo quæ conditio natorum omnium est, finem rebus gloriosè gestis, imponeret Augustissimus Parens: Fractus curis, senio fessus, deficiebat divinus animus, hoc uno Deitate inferior; quod, uti cœpisset, ita desineret suum regere corpus. Mortis hinc violẽtia ereptus terris, rediisse iis, ac novo, in Te Regiarum virtutum Hærede, flore vigere videtur, dum, quod continuis tot annorum vigiliis, sudoribus atque curis servarat, tibi regnum cessit. Atque hîc, utrum satis prædicem, nescio, felicissimámne MAGNI REGIS virtutem, debito tandem præmio honoratam; an summam fortissimæ gentis felicitatem, cui ejus regi imperio contigit, quem votis omnibus quævis gens sibi expeteret! Et isti quidem ubique suus servabatur honor: vestras verò fortunas atq; vitam, NOBILISSIMA

NATIO, ejus tutelæ committi, non nisi immortale beneficium videtur. Certè Deo pleni fuistis, quicunque animis vestris eum Regem denotastis, quem propria virtus diu huic Celsitudini destinarat. Neq; enim absq; Deo Rex designatur: hinc, Deo suggerente, id vos cogitasse, quis dubitet? Et ô felicem præconem, quisquis primus, hoc auspicatissimum oraculum, turbæ expedivit: REX EST VLADISLAVS AVGVSTVS! Hæc namq; dum dixit, simul, quicquid Regiæ laudis dici potuit, expressit: Rex est, quem nasci, & à prima ætate nobiscum versari: quem eodem nobiscum hausto aere, eosdem haurire motus, atq; animi impetus, cœlestis voluit gratia: cujus, supra communem humanitatis conditionem, summis virtutibus ditatum pectus: quem iisdem dubii Martis periculis sudare nobiscum, & sanguinis quoque ac vitæ, pro Salute Publica, incuriosum toties vidimus. Cinget posthac, Sacræ Majestatis insigne, DIADEMA, illud caput, quod providè inter lituos & tubas, bono publico vigilavit, inque medium consuluit. Auream Imperii VIRGAM eæ tenebunt Manus, quas diuturna ferri tractandi consuetudo, felicissimè eidem præparavit. Iis Humeris PALVDAMENTVM Regium insternitur, quibus immensæ negotiorum moles sæpius incubueruut, atque feliciter fuerunt sustentatæ. O felices vos iterum dico, & vobiscum unâ nos ipsos, eo Rege, iis temporibꝰ, concesso, quibus gravissimis motibus agitata Polonia,

pru-

prudentissimo Rectore opus habebat! cum navis patriæ

Nudum remigio latus,
Et malus celeri saucius Africo,
Antennæ & gemerent, ac sine funibus
Vix durare carinæ
Possent imperiosius
AEquor.

Volebat scilicet illustrius reddere tuum regnum cœli Numen, ipsa exordii difficultate, ut non deliciarum atq; voluptatis, sed laboris curarumque, Regium nomen esse constaret. Asperioribus exercere voluit, non insuetam labori virtutem, quò gratior pòst, quieta esset atque tranquilla Majestatis possessio. Nam quod habet maximus Geographus, de fonte Insulæ Saxosæ, Laodicensibus vicinæ, cujus aquæ primo haustu salsedine marina, reliquo, grato dulcore sint: id verè de primis Regni tui Auspiciis experti sumus. Erat illud futurum fons, qui largissimis honorum rivulis æternum scaturiret, ac variè dispersus, omniū regnorum oras, tuæ gloriæ famâ allueret. Sed primum amara, bellicarum difficultatum, salsugo degustanda erat; cui consumptæ, perpetuus fluxus abundantissimæ Gloriæ succedit. Nam si virtutis sum̄a laus est, multis salutē dare, & ad vitā ab ipsa morte plurimos revocare; nil jam sublimius gloriosissimo Tuo Nomine erit, qui in primis Regni Tui incunabulis salutem, ac, à barbara sævitie, immunitatem nasci tuæ genti vidisti.

O dignam Divis Regibus Divam progeniem! Augustissimæ memoriæ Regem Suecorum, GVSTAVVM, Divum Tuum Proavum Paternum, LIBERATOREM SVORVM, Historiæ omnes prædicant; quod Regni sui principium, finis extiterit calamitatum, quibus cives Regni premebat vicina Tyrannis. Adeste Illustrissimi Poloniæ Proceres, tuq; universe subditorum cœtus, ac liberâ voce dicite, annon eadem, si non major, MAGNI VLADISLAI habenda gloria, postquam, simul cum Regno, castra ingressus, nefandum barbarorum profligavit insultum? Inundabat immensos tractus hostilis copia, ac eversura jam videbatur, quicquid obviã occurreret, cum adverso Regiæ Virtutis objectu, sistebatur rapidissimus impetus, ac, ne vastaret petitas terras, arcebatur, penitusque opprimebatur. Eant jam fœdissimi fœderum violatores, ac felicem perfidiam sperent! Vel num adeò rerum omnium ignari sunt, & expertes, ut fractæ fidei pœnas non didicerint? Ita omnino videtur: neq; enim, aliter si esset, tanti exercitus copias, apparatusq; bellicos, tam levi fundamini superstruxissent. Glacies perfidia videtur, quam cum sui belli statuerent fundamentum, quid mirum, si, igneo Divinæ virtutis impetu accedente, solutum hoc; illi collapsi sint. Nolo hîc, compilatis historiæ exemplis, divitem reddere meam orationem: illud unum dico, lætissimum firmandi Regii Solii omen fuisse, cum primas suæ potentiæ vires, in vindicanda per-

perfidia, & justitia asserenda experiretur Novus Rex. Nam qvod fundamentum, Oratore teste, perpetuæ commendationis est & famæ: id fundamentum Tui Regni auspicatissimi fuit, JVSTITIA. Hujus violationem impunitam si ferres, ne Regis nomen ferendum putabas. Et merito: Dei enim imago Rex est, non tamen, nisi justus. Justitiâ namq; & pietate, Deos fieri Principes, jam olim Augustus pronunciavit. Et, remota justitia, magna latrocinia esse regna nôras: hinc nolebas regno præesse, in qvo impune qvidvis admitteret perfidia, audaciamq; peccandi licentia pareret. Malebas nascentis Regni tui infantiâ ostendere, qvid de adultiore ejus ætate sperandum esset bonis. Quare eâdem, cum Comneno, usus voce, *Aut injurias*, hostibus dicebas, *aut vitam relinquite: nam vos injustè agere, & vivere, nec Deo gratum, nec mihi ejusdem ministro ferendum est.* Regia sanè vox, quæq; omnis prosperitatis lætissimum præsagium fuit. Nam quemadmodum bonum annum, non tam ex magnis fructibus, qvàm è justè regnantibus, existimandum ajunt: ita fortunatissimum Imperium, non è vastis & opulentis provinciis, sed præsidum æqvitate censendum puto. Terræ suæ nutriciæ, id beneficii collatum à Jove, ut qvicqvid noxiarum ferarum alibi degat, exulare hinc cogatur, cum nec genitrix, nec altrix earum sit, literis accepimus: dubiæ fidei res est. Tu, citra dubium, tuæ terræ, qvam natalem Tibi voluit provida Dei mens, optimè prospe-

ēturus,

ςturus, peſtilentiſſimum injuſtitiæ virus, longè inde pepuliſti, ne, quod florentiſſimis regnis vaſtitatem induxiſſet, atq; deſolationem, exorientis regni tui ſubverteret decus. Et jam obtinebas feliciſſimo eventu JVSTI nomen, cum nativâ munitum pectus Fortitudine, hoſtium vires aggrederetur, Moſcoviticas primum, &, hiſce fuſis, Turcicas. Vtraq; enim gens incremento tui regni obſiſtere præſumſerat, ut incrementum tuæ gloriæ promoveret. Obſeqventiſſimos habebas comites, qvotquot tuo regimini ſubjecerat AEterna poteſtas: qvorũ qui corpore armisq; ſeqvi neqvibant, votis ac piis te proſeqvebantur ſuſpiriis. Neq; verò fortius pugnat, armata ferro cohors; qvàm devota mens, invictâ precum vi. Qvandoqvidem enim infinita hiſce armis vincitur Potentia, qvidni mortalium imbelles iis frangerentur vires! Seqvebatur tuum agmen, ipſa cœleſtis exercitus multitudo, adeoq; AEterni Regis auxilium. Cœlo quippe inviſum erat perjurii ſcelus, adeoq; ſuis copiis impugnare idipſum videbatur. Qvas qvidem ſi oculi veſtri non uſurparunt, felix belli eventus patefecit. Nam id, credo, facilè dabitur, ſi humanis viribus res peragenda fuiſſet, deſperata fuiſſe omnia. Tantas copias, tàm latè progreſſas, tanto furore æſtuantes, à paucis profligatas, qvid eſt, niſi Dei opus? Felices milites, qvi Dei auſpiciis atq; ductu res ſuas gerunt! Qvid verò illud, qvod cœlũ ipſũ tuæ victoriæ, delendisq; hoſtib9, eo aëre conſtituto, qvi tuorũ fortitudinem, hoſtium ruinam augebat, ſerviebat?

Oni-

O nimium (quod de Theodosio Claudianus prædicat)
dilecte Deo, cui fundit ab astris
AEolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti!

Sed & tua virtus qvantum profuerit, inde patet, qvod, cum afflicti ſederent atq; mœſti, undique cincti cives celeberrimæ urbis, rerum omnium difficultate obſidionem augente, tuo, velut ſalutaris alicujus Numinis, adventu, tàm ſubitò omnia mutata ſint, ut priùs levamen calamitatum, quàm præſentiam tuam ſentirent. Nec credo, majore celeritate ſuas res confeciſſe, Romanæ Monarchiæ Auſpicem, Julium, quàm tu & hoſtes oppreſſiſti, & cum vitâ libertatem reddidiſti tuis. Et arma, & animus addebantur fidiſſimis militibus, poſtqvam Invictam Regis virtutem ſecum pugnare deprehenderant. Novum qvendam cœlo Julium dimiſſum crederes, qvi cœleſti virtutum ardore militum pectus inflammaret. Nam hunc imminente aliqvando periculo præſentisſimo, in prælium ruiſſe, corpusq; fortiter fortunæ objeciſſe, compertum eſt. Cumq; ſcuto è novisſimis uni militum detracto (qvod ipſe eò ſine ſcuto venerat) in primam aciem procesſiſſet, centurionibus nominatim appellatis, reliqvos cohortatus, prælium inſtruxit. Dictu mirum, qvid valuerit Heroica hæc Cæſaris virtus: nam & hoſtium impetum milites ſinguli, pro ſe, in conſpectu Imperatoris, in extremis ſuam operam navare cupientes, tardaverunt; & præterea tantò auda-

cius reſiſtere, fortiusq; pugnare cœperunt, ut &, qui vulneribus jam confecti procubuiſſent, ſcutis innixi prælium redintegrarint, inermesq; armatis occurrentes, ad deditionem hoſtes poſt cruentam adegerint pugnam. Eodem ſucceſſu à te, REGVM MAXIME, pugnatum eſt. Nam, qvæ ſiderum nobilisſimi Solis efficacia eſt, ut alia qvidem induret, atque fortisſimâ reſiſtendi vi induat; alia liqvefaciendo emolliat atque diſſolvat: Eadem, SERENISSIME REX, tua virtus efficiebat, tuis enim robur addebat, atque opprimendorum hoſtium audaciam, dum inimica pectora, tanqvam è Rhiphæorum montium glacie conflata eſſent, omni reſiſtendi facultate amiſsâ, liqveſcebant, & aqvæ more corporibus ipſis effluebant. Vidiſſes hinc, ad pedes Fortiſſimi Herois convolutos, interitum deprecari, qui paulò ante innumerarum urbium interitum, altâ mente conceptum, ſuperbo ore evomebant: cui reſiſtere fortiſſimæ dextræ non valebant, devotâ eam adoratione cernuos colere vidiſſes. Imò, quod verè Divinæ Virtutis eſt, in ea qvoq; agebat, quæ ſummis locorum intervallis diſſita erant. Turcarum namq; numeroſisſimus exercitus, qvanto furore ſævierat antea, tanto terrore perculſus felicisſimæ hujus Victoriæ famâ, de ponendis armis jam cogitabat. Augebatur is metus Glorioſiſſimi Victoris præſentiâ, qvam ubi acceperant, adeò ei ferendæ non erant, ut ſimul cum armis, animum abjicientes, admiſſis veniam, ſibi pacem peterent

terent. Inſperatum nuncium! qvos & ſæviſſima crudelitas, & militum copia, & rerum omnium mediocris ſtatus, ad nefarium bellum animârat; eos unius VLADISLAI VICTORIS præſentia exanimat. Ita minui Lunæ lucem, poſtquam, nocte pulſa, Solis ſplendor omnia illuſtrat, novimus. Ita non potuit ferre cœleſtem Divinæ virtutis impetum, mulieroſa indoles atq; effœminata; quomodo Jovis ſui inſolitam virtutem, non tuliſſe Semele dicitur. Ita, quod juſtè decreveras, fortiter executus, à tuis propulſaſti injurias, ac deſtinatas mortes. Qvàm chara tuorum tibi vita ſit, vitâ tuâ, periculis objectâ, teſtatus es, quaſi ſalvus eſſe absq; eorum ſalute non poſſes. Tuorum protector factus, plenus bonâ ſpe bellum ſubiiſti, non alio, niſi cœleſti auxilio, & conſtanti animi virtute tectus. Deorum operâ fabricatos clypeos, muniendis Heroum pectoribus, addebat priſca ſuperſtitio: Divinior tuus clypeus, qui intrepidâ virtute, cœlitùs conceſsâ, conſtabat. Hâc una reliqvorum ſecurus eras: nec te à laudabili propoſito, Regni primùm ſuſcepti eminentia dimovebat; non tuorum preces atq; vota, qvibus, ut domi novo Rege frui liceret, inſtabant; non moleſtiſſimæ viarum difficultates: ſed, quæ ſemel placuerat, ſtabat ſententia; primitias Regiæ fortitudinis, ſubditis ſacras eſſe debere. Neq; capitibus numerandum; ſed animis æſtimandum exercitum: ſæpè ſola opinione fortitudinem hoſtes terruiſſe. Et qvod firmius munimentum eſſe poteſt, quàm illud,

qvod natura dedit, non aliunde ſumptum eſt, virtutis robur, atq; imperterrita animi conſtantia? Nec proinde felicius contra hoſtes pugnant fortunæ, quàm propriis armis inſtructi. Neq; enim fortuita fortius armant, qvàm qvæ ſunt naturæ: adverſus quæ, armatos ſæpè inermes fuiſſe vidimus. Verum non hic fortitudinem dixerim, ſanguinariam illam atq; cruentam, qvæ inſatiatâ nocendi libidine, nunqvam defuncta ſuo munere videtur; niſi cædibus & ſanguine fœdata omnia adſpexerit. Apage degenerem atque ſpuriam nobiliſſimæ virtutis prolem, qvæ crudelitas & beſtialis qvædam ſævities eſt, non fortitudo. Is fortis eſt, qvicunq; oppreſſorum liberationi, opprimentium emendationi, vires ſuas impendit: Qvicunq;, Magno Seneca dicente, alieno ſanguini, tanqvam ſuo parcit, & ſcit, homini non eſſe homine prodigè utendum. Qvod ipſum cum tam examuſſim ſervaris, qvem niſi FORTISSIMVM dicemus? nolebas fortior in hoſte, qvam tuo animo ſubigẽdo videri. Hinc, cùm perdere poſſes univerſos, ſingulos ſervaſti. Non ſangvinis, non auri, non vani honoris ſitiens, ſed ſalutis omnium cupidiſſimus eſſe voluiſti. Ideo clementiam Victoris implorantes victos, CLEMENTISSIMVS ſuſcepiſti. Ac qvemadmodum, qvod Dei probat infinitum imperium,

Admota æthereis culmina ſedibus
Duros excipiunt Notos,
Inſani Boreæ minas,

Imbri-

Imbriferumq́; Corum.
Humida vallis raros patitur
Fulminis ictus: tremuit telo
Jovis Altisoni Caucasus ingens,
Phrygiumq́; nemus matris Cybeles.
Metuens cœlo Jupiter alto
Vicina petit: non capit unquam
Magnos motus, humilis tecti
Plebeja domus:

Ita te qvoq; eâdem facilitate, & subjectis parcere; & superbos debellare posse docuisti, qvando, qvos fortiter viceras, clementer servas. Non placet Laurea, victorum sanguine infamis; sed salute florida. Itaque unâ victoriâ subditis pacem, hostibus veniam, nobis omnibus lætitiam concessisti CLEMENS. Et qvo fine Turcicæ obstiteris potentiæ, lætissimus docuit exitus: Nimirum, qvod sapientum est, pacis causa bellum gessisti, & laborem spe otii sustentasti. SALUS TVORVM PVBLICA, unâ voce dicam, arma qvò sumeres, effecit. Non injurias, non damna æstimabas, simul ac eorum omnium felicissimum remedium, pacem, offerri Tibi ab hoste cognoveras. Qvin conditionibus honestissimis propositis, pacem oblatam æterno fœdere firmabas, cum immortali Gloriosissimi Nominis Tui honore.

Atq; hoc tuo, tàm excellenti, bono lætatur Academia, dum Te, suum Regem, Augustissimorum Imperatorum laudes exæqvasse cognoscit. In te qvippe

JVLIVM Cæſarem; in te AVGVSTVM; in te ANTONINVM PIVM; in te plurimos laudatisſimos Imperatores redivivos cernit, qvorum omnis laudis ſumma erant, CIVES SERVATI. Eſt ea tua quoq; laus, VLADISLAE AVGVSTE, qvam dum ſecum æſtimat tua hæc Academia, manus porrigit, ac coronam Civicam, Imperatoribus ſolennem, in AEternitatis æde,

VLADISLAO. AVGVSTO.
LIBERATORI. SVORVM.
FVNDATORI. PACIS. AETERNAE.
OB. CIVES. SERVATOS.

ſuſpendit: ſimulque, ut ſempiternâ hâc gloriâ triumphes, precatur. Neq; enim ulla glorioſior victoria obtinetur, qvàm, qvæ Pacis atq; tranqvillitatis mater eſt. Una hæc innumeris triumphis potior, qvæ tanti ſæpè fuit, ut & invictiſſimos Imperatores huic obtinendæ, imperij faſces ſubmiſiſſe acceperimus. Atque id meritò qvidem, cum, qvò plus hujus gratiâ de potentia ſuâ remiſerint, eò celſius ad Divinam Magnitudinem ſurrexerint. Divina namq; potentia eſt, gregatim & publicè ſervare; multos autem occidere, & indiſcretos, incendii ac ruinæ potentia eſt. Qvin divini honoris partem capiunt, qvi eodem cum Deo titulo, gaudere laborant, PACIFICI. Et hæc qvidem eò à nobis dicuntur liberius, qvò gratius pacis nomen atq; beneficium videtur. Non eqvidem tanti ſumus, ut ſummæ, poſt Deum, poteſtati, agendi leges

dare

dare audeamus: ſed neſcio, qvo grato qvodam faſcino fiat, ut tam pertinaci pacis amore teneamur. Credo idem, qvod iis, qvi, dulciſſimo Loti fructu ſemel guſtato, ſemper eodem delectantur, nobis qvoq; evenire: qvi Pacis nomen ſemper ſuſpiramus, poſtquam ejus bono tot annos, ſub DIVORVM ANTECESSORVM TVORVM FELICISSIMO Imperio, noſtris; tui verò AVSPICATISSIMO REGNI Exordio, barbaris etiam terris frui conceſſum eſt. Certè qvamprimum tuam, REX PACIFICE atque CLEMENS, præſentiam oppreſſa patria ſenſit, refecta jam aliqvantulum, optimæ ſpei ſibi ſignum erectum ſtatuit. Neq; enim fore confidit, ut, qvi bellorum tuorum aliis gentibus fructus fuit, ſibi uni denegetur PAX TRANQVILLA. Qvam qvanta devotione à TE PATRE SVO peteret, univerſa uno ore, ſi loqvi poſſet, ipſa exponeret; nunc meis verbis ita teſtatur.

AD PEDES TVOS, VLADISLAE REX AVGVSTE, PROSTRATA, SVCCVRRE OPPRESSAE, PETO. RESPICE NATAM, ATQVE DIVORVM ANTECESSORVM TVORVM HEV QVONDAM! VOLVPTATEM; NVNC DIRIS FOEDATAM MODIS, CRVDELISSIME SAVCIAM, CVNCTIS PERICVLIS EXPOSITAM, QVAEQVE VIX ANIMAM TRAHAT; RESPICE, PETO, PATER CLEMENTISSIME. SVB ISTORVM AVSPICIIS NATA, EORVM INDVLGENTISSIMO AFFECTV PROVECTA, ATQVE POTENTISSIMO PATROCINIO TVTA FVI. TV SORTIS ATQVE FATORVM INIQVITATE MISERE PERDITAM NE DESERE. DIVI TVI PARENTIS CVRA ERAM,

TV HAERES REGNI PATRII OPTATISSIME, PATRIARVM IN ME QVOQVE CVRARVM HAERES ESSE DIGNERIS. VIDES, QVAM MINIMVM, ET, NISI A TVA DEXTRA OPEM IMPETREM, NIHIL PRISTINAE DIGNITATIS SVPERSIT. TV, QVI COELO DONATVS AFFLICTORVM REBVS INSTAVRANDIS, RES MEAS NE DESPICE. REDDE TEMPLIS SVVM CVLTVM, LEGIBVS VIGOREM, DOMIBVS QVIETEM, AGRIS HONOREM, VIIS SECVRITATEM; REDDES AVTEM EA OMNIA, SI, QVOD VNA VOCE EXPRIMO, DEDERIS PACEM. O PACEM DONES, QVO NON II MODO, QVIBVS NATVRA SENSVM DEDIT, SED ETIAM TECTA ATQVE AGRI NOVO GAVDIO RESPIRENT. ITA DEVS TE REGEM TERRIS DIV COMMODET, AC FACIAT, VT, QVAMDIV MORTALIS ERIS, NIHIL EX AVGVSTISSIMA TVA DOMO POSTHAC MORTALE ESSE SENTIAS. ITA RECTOREM POLONIAE REGNO, TE REGIVM FILIVM LONGA VITA SERVET, NEC, NISI SERA, ET NEPOTIBVS NOTA DIES COELO REPONAT! ABSTINEAS AB HOC MANVS TVAS, FORTVNA, NEC IN EO POTENTIAM (NISI IN ISTA PARTE QVA PRODES) OSTENDERIS. PATERE DEVS, VT, QVICQVID PRIORVM REGVM AVGVSTISSIMORVM VIRTVTE POLONIAE REGNO ACCESSERIT, HVJVS SERVETVR ATQVE AVGEATVR. PLACET HIC, QVICQVID ADVERSANTIVM IRARVM OBSTAT. TANDEM BENEFICIIS HVCVSQVE CONCESSIS FAVEAS, AC MVNERIBVS TANTIS PERPETVITATEM ADDAS

In quo voto finio; ac confirmando ei nil, nisi illud addo:

DIV-

DIVTVRNVM. FACIAT. DEVS. ACCEPTVM.
DEO. ET. A. DEO. CVSTODITVM. FIRMVM.
SANCTVM. IN. MVLTA. SECVLA.
IMPERIVM. TVVM.
VLADISLAE. AVGVSTE.
IVSTE. FORTIS. CLEMENS.

PANEGYRICVS
I I.
POTENTISSIMI AC SERENISSIMI
VLADISLAI QVARTI,
POLONIAE SVECIAEQVE REGIS
AVGVSTISSIMI,
Cùm
Regiomontum primùm ingreſſus eſſet,
SALVTATIO
M. DC. XXXV.

VLADISLAE INVICTE:

SERENISSIME AC POTENTISSIME POLONIAE REX: LITHVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, SAMOGITIAE, MASOVIAE, LIVONIAE, MASOVIAE &c.&c. MAGNE DVX: NEC NON SVECORVM, GOTHORVM, VANDALORVMQVE HAEREDITARIE REX &c. &c.

Et id ultimum tantum undiq; afflictæ patriæ votorum restabat, ut, si aliorum impotens furor exitium indiceret atq; ruinam, Parentum suorum, quo non genita solum, sed enutrita atq; educta hucusq; fuisset, clementissimus persisteret affectus. Tuum, REX AVGVSTE, inoffensum favorem sufficere, infra cœlum qvidem, superandæ adversantium ferociæ rata est semper: qvem dum desideratissimâ præsentia testatum habet, novâ qvadam animi præsentia res suas aggreditur. Et felicissimi floris germina, si magnus Astrorum Rex, Sol remotior sit, langvidum ad terras caput declinare constat: at qvàm subitò propinqvo hujus refecta calore eriguntur? Scilicet SOLIS vice est Rex omnis, à cujus præsentia, universa gens animum haurit, atq; Spiritus. Qvod qvidem, MAGNE REX, tuis qvàm felicissimè præstiteris, alibi celebravit subjectissima nostra devotio, cùm Victorias Tuas Augustissimas, atq; faustum ad Patriæ fines accessum gratularetur: Nunc verò, cum urbem ipsam ingredi volueris, tantò ea omnia lætiore voce prædicat, qvantò præsentius rebus suis oppressis, in Te subsidium statuit, atq; patrocinium. Et qui id non facerent Tui, cum alieni etiam, maximum rerum suarum lenimen à Te sperent? Nam postqvam semel, pacis cupidissimus animus, instar lætissimi Solis, effulsit, omnis gens, nubilosa tempora, eodem dissipatum iri ominatur, utinam rato augurio! Qvanqvam id nunquam irritum fuerit, nisi importunâ qvorundam pertina-

ciâ,

ciâ, qvibus pro lucro cruentum aurum eſt. Sed conjuret ea in noſtram perniciem, animis ſanè nunqvam imperabit, aut fidem ſemel datam ſubvertet. De qva qvidem, SERENISSIME REX, jam non dubitabis, cum tantâ lætitiâ, omnes perfuderit Regius tuus ingreſſus. Nam ſi tam patuiſſet, in ſingulorum pectora, qvam in urbem ipſam, aditus, dubium non eſt, qvin diu expreſſis ſignis indidem legiſſes:

DEO & REGI.

Aut ſi Sclopetorum, ac catapultarum erumpentes flammæ emicuerunt, purior in ſingulorum cordibus effulſiſſet ignis, qui Regiæ clementiæ ac patrocinii nutritus pabulo, nunquam emorietur. Amoris ea flamma eſt, qvem intemeratũ, TIBI ſemel conſecrarunt, æternùm ſervaturi. Verum non ea corporis oculis uſurpantur: hiſce itaq; prout potuerunt, iſtorũ qvædam ſaltem ſigna ſubjicere voluerunt, non ut iis omnis exprimeretur animus (id enim poſſibile non erat) ſed ut ne, quæ exprimi poterant, occultarentur. Non adeò curat, quæ oculos feriunt, æternus DEVS, mens modo aperta ſit: Vos qvoque, qvos, humanarum rerum ſum̃os præſides, DEVS conſtituit, in hoc imitari DEVM ſtatuunt omnes; nam ſerio Dij eſtis, ſi veſtrorum ſalutem qvacunq; inita ratione tueamini. Et amœno riſu, & ſævo fulmine, cœlum terræ prodeſt: Vobis qvoque, & tranquillitate veſtros exhilarare, & inſurgentem ferociam reprimere datum eſt. Vtraque ſemente eadem veſtris incolumitas, vobis gloria na-

ſcitur. Si quietem illis inconcuſſam ſervaveritis, fœcunda OLEA; ſi inimicas huic turbas oppreſſeritis, æterna LAVRVS ſemper vivum feret honorem. Ita ſemper Minervæ donis, ſua Apollo ſociat. Qvæ dum tecum cogitas, REGVM GLORIA, hoſtium Terror, tuorum Amor, magnæ tuæ menti propitium Numen precamur, ut, quod ab hoc, tot ſuſpiriis, rerũ noſtrarum petivimus, levamen, Tuâ id nobis Virtute contingat. Et, ſi VALERIAM LVPERCAM, averruncandæ peſtis ergò immolandam, præſentisſimâ morte liberavit AQVILA: Sit ea virtus POLONICAE AQVILAE, ut, Dei armata robore, deſtinatam, aliorum conſiliis, exitio gentem liberet, ac præſentisſimis ereptam necesſitatibus, tutâ ſecuritate recreet. Sic, qvemadmodum Achæmenes, Perſicæ nobilitatis autor, AQVILAE alumnus fuit; Magnæ hujus AQVILAE ſuſtineamur indultu, & patrocinio defendamur. Vivax ſit ejus vigor, & æternâ juventâ refloreſcat virtus, nec unquam, ad ſuperbientium minarum tonitrua, moveatur. Cumprimis, ſi Pythagoram, AQVILAE auſpiciis, ad ſummam humanæ, divinæq; ſcientiæ eminentiam, evectum fuiſſe, fama eſt; Polonica AQVILA, Bregelanarum Muſarum prima auſpicia dedit, ejusdemq; præſidio tectæ, hucusq; ingruentium tempeſtatum ſuperarunt injurias. Quæ cum jam, novâ earum urgeantur violentiâ, defenſionem, immunitates, aliaq; gravamina concernente, eodem refugiunt, ac devotisſimâ ſubjectione patro-

cinium

cinium petunt. Non eqvidem curas Regias, gravioribus destinatas, suis oneribus fatigare audent: Id tamen, Regiâ Gratiâ confirmatæ, impetraturas se confidunt, ut, anteqvam S. V. M. abitum hinc paret, ex ILLVSTRISSIMIS AC GENEROSIS REGNI PROCERIBVS, qvidam sublevandis iisdem concedantur, ac tempus hisce recognoscendis clementissimè indicatur. Sic finiunt, REX GLORIOSISSIME, Tuæ Musæ, & qvi Scipionis ad Hannibalem sermo fuit, terminum sibi statuunt:

QVI. PRIORVM. BELLORVM. EXITVM. SECVNDVM. JVS. FASQVE. DEDIT. ET. HVIVS. DABIT. TESTIS. OMNIVM. DEVS.

PANEGYRICVS III.

CVM

DEO TER OPTIMO MAXIMO SVMMO PRVSSIAE LIBERATORI, AC MISERATORI CLEMENTISSIMO,

EVCHARISTICA SACRA

PRO INSPERATA PATRIAE TRANQVILLITATE,

FIERENT

DIE VIII. OCTOBRIS ANNI M. DC. XXXV.

INVITATIO AUDITORUM.



Alvete Deo sacræ animæ, quæ, quod unum Deo gratissimum sacrificium est, opem cœlestis manus, tot, precibus impetratam, novo carmine prædicatis! Non interpellabit vestram devotionem nostra hæc charta, sed augebit. Etenim

Quod generosa potest anima,
Lucis & ætheris indigena,
Solvere dignius obsequium;
Quam data munera si recinat,
Artificem modulata suum!

Euge igitur! carmina æterno Dei Nomini, Numiniq; pangite! & inusitata carmina pangite, quia inusitato auxilio, nec terræ nostræ cognito beneficio, præsto nobis fuit. Quis nostrum est, cujus ætas viderit, patriam Martio furore opprimi? quis, qui crudelissimas direptiones, immanes vastationes, truculentas cædes, nefanda latrocinia, &, quas alias mille malorum, turmas secum trahit bellorum acies, antea expertus sit? Nova vindictæ divinæ flagella fuerunt, quæ hoc novennio terram nostram afflixerunt. Novus plurimis, & insuetus armorum fulgor, catapultarum strepitus, & reliquæ militarium rerum machinæ, interitum & ruinam hucusq; nobis machinatæ; quæ omnia cum divinâ gratiâ sint sublata, insolitum beneficium insolito quoq; celebrandum cultu. Non vulgari pietate veneremur tam bonum, tam potentem Deum; sed quæ omni facultate, in ejus laudes assurgat. Fontinalia sua Romana superstitio agebat, quibus quot-

annis

tannis fontes, quorum in suppeditanda aqua beneficentiam experti erant, splendidissimis corollis, odoratissimisque floribus colebat. Fons sanè universæ bonitatis, Deus est unicus, & inexhaustus, hinc largo fluxu in omne hominum genus varia gratia dimanat, ut omnis inde terra abundet. Ea fuit, quæ, instar saluberrimi roris, arentem hanc terram refecit. Ea gratiosissima pluvia, quâ sine nulla messis, nulla seges posthac fuisset; nunc verò adjuta nostra tellus, novâ spe lactat suum colonum. Adeste itaq; ad divinissimum æternumq; hunc colendum fontem, quotquot ejus indiguistis (indiguistis autem omnes) refrigerio! Coronario eum honore venerabimur; qui nunquam terminum sciet, sed continuo nexu in se recurrens, interminus audiet. Ferat secum quisq; fragrantissimarum virtutum, amœnos flores. Sit vobiscum ROSAE purpura, fervidâ devotione ardens animus, quem tingat Roseus Servatoris sanguis, sacratissimum sacrificium. Sit LILII candor, absq; fuco, purus animus, quem non obfuscent terrenæ sordes. Exulet inde, quicquid castum non est, cum non nisi corporis, mentisq; castimoniâ, casta Mens, Deus, colatur. Accedat VIOLAE pallor, qui humili devotione Dei potentiam veneretur, eiq; tanti beneficij honorem, submissè referat. Iis mentibus Deo servitis, quicunq; hac prima Eucharisticâ solennitate, ad ædem sacram confluxistis. Iisdem mentibus, quod petimus, confluetis quoq; circa Nonam 8. Octobris, ad Panegyricum Primum, DEO TER OPTIMO MAXIMO, in Auditorio nostræ Academiæ Magno, habendum. Deo, quod suum est, primò omnium solvendum: sequenti tempore, quantum SERENISSIMO REGI, aliisq;

aliisq; Illuſtrisſimis capitibus debeamus, devotiſſimâ ſubjectione profitebimur. Vos, qui nunquam, absque hac Dei clementia, ſalvi fuiſſetis, nunquam ejus memoriam deponite. Quibuscunq; tandem modis poteſtis, quàm charum ſit beneficium, indicate. Verum cum id veſtrâ ſponte faciatis, prolixioribus abſtinemus; id unum precamur, ut, quod inſperatum nobis cœlitùs contigit munus, æternum ſit, univerſæque Patriæ ſine fine ſalutare. P. P. 4. Octobr. M. DC. XXXV.

DEVS OPTIME MAXIME, DOMINE IMMORTALIS, RECTOR OMNIVM POTENTISSIME, INFINITE, IMMENSE, MISERATOR CLEMENTISSIME AC MVLTVM MISERICORS, PATER INGENITE, FILI VNIGENITE, VTRIVSQVE AETERNE SPIRITVS!

Hymnum meditata Tibi eſt noſtra devotio, qvò, qvantum aſſeqvi licet, in laudibus tuis progrediatur, &, qvod, ſupra ſpem, magnum ſibi evenit beneficium, debitâ æſtimet gratitudine. Te ſibi carmen ſumpſit, qui fortitudo ipſi fuiſti & præſidium. Nec deſperat, gratum tibi fore id laudũ ſacrificium, qvi tua voce id ipſum, præſtitâ ope, exigis. Eqvidem, ſi, aut tua Majeſtas poſceret, aut ea ſortis noſtræ eſſet felicitas, ædes ſumptuoſæ, ac ſuperba templa, diu tibi exſtarent, qvarum auri argentive mixtus fulgor, intrantium oculis obeſſet, ac millenarum victimarum profuſus

fusus sanguis inundaret pavimentum; omnis ara Sabæo thure, & omni, qvem alter orbis fragrantissimũ parit odorem, fumaret: Nunc, cum te, sine termino omnib9 præsentem, non capiant cœlorum cœli, neq; concludaris angusto latere; cum non tauri carnem hircive sanguinem, nec, qvod omne tuum est, pecoris grandia capita, aut vanâ curâ longè petitos odores desideres: candido pectore natum præconium ea omnia explebit, ac felicius eo tibi litabitur, quàm multo sanguine, multâve cæde. Non pigebit te, quæ tua bonitas est, pectoris nostri pauperem subire ædiculam, ac placente oculo tenues victimas respicere. Quin si nube testatus olim es, Regi uni sapientissimo, gratiæ tuæ præsentiam: illabere nunc etiam mentib9 nostris, ac ne despice paupertini tugurioli hospitiũ. Si pia suspiria præsentiam tuam plurimis concessere cultoribus; nunc etiam inclina cœlos tuos, DOMINE, & descende: id volunt nostræ preces. Patere te iisdem cœlo deduci, ac pronâ aure audi hymnum, quem servus tuus coram te orat hodie.

Nunc ergo, quod sibi gratum; nobis faustum faxit Deus!

INVICTISSIMI AC POTENTISSIMI VLADISLAI, POLONIAE SVECIAEQVE REGIS AVGVSTISSIMI, PERILLVSTRIS DOMINE LEGATE:

CELSISSIME AC ILLVSTRISSIME PRINCEPS AC DOMINE, DOMINE SIGISMVNDE, MARCHIO BRANDENBVRGENSIS &c. &c. DOMINE CLEMENTISSIME:

MAGNIFICI, GENEROSI, NOBILISSIMI, STRENVI BORVSSI REGIMINIS CONSILIARII: MAGNIFICE DOMINE RECTOR: VIRI GENEROSI, NOBILISSIMI ATQVE STRENVI, ADMODVM REVERENDI, SPECTABILES, EXCELLENTISSIMI, CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, CLARISSIMI, AMPLISSIMI, PRVDENTISSIMI, PRAESTANTISSIMI, ET, QVICVNQVE OMNIVM ORDINVM CONFLVXISTIS, HONORATISSIMI HOSPITES:

hoc agemus, ut, cujus Spiritu totam hanc ſapientiæ ædem plenam ſentimus, religioſisſimo cultu excipiamus divinum hoſpitem. Paratæ ſint laudum victimæ, ac, quem unum tanti muneris autorem profitemur, devota veneratione colamus. Si namq; Romæ cœcitas, omnibus rebus incipiendis, gerendisq;, Deos adhibuit: Si Cn. Manlius, M. Fulvius, aliique innumeri ob res benè geſtas, pacemq; patriæ partam, honorem Diis ſuis haberi petierunt: Si A. Hirtii, & C. Cæſaris nomine, eadem cauſa, qvinqvaginta dierum ſuppplicationes, Diis decrevit: Agite, quid nos deceat, qui uno eodemq; beneficio, & peſtilentiſſimis bellorum motibus eripimur, & quietisſimâ tranqvillitate donamur? Vtrumque cœleſtis gratiæ eſt, quam quidem ſi, ob rei magnitudinẽ, non capit noſtra imbecillitas, conatu tamen vincere defectum ſtudet, ac, impeditâ linguâ, hæc ſaltem verba protrudit: DEVS FE-

FECIT. Quoties tua, ô Deus, munificentia ita obruit noſtrum genus, ut moli tuorum munerum ſuccubuerit, iisq; contemplandis defecerit? Poſtquam ſeptuagenario carcere ereptos Iſaci nepotes, terræ ſuæ reſtitueras, non capax ſuæ felicitatis gens omnis erat; ſed, quod alto ſomno preſſis, nonnunquam contingit, dulci quadam libertatis imagine, ludi videbantur. Adeo mali pertinacia, mentes afflictorum tenebat, ut nec præſentisſimo elidi auxilio poſſet: dum, quod inſperatum experiebantur lenimen, ſomnium quaſi habebant. Ita ſæpè longæ caligini asſuetus oculus, non fert ſerenum Solis radium! Certè! quæ nos velarunt hucusq; adverſitatum nubila, luctusq; tenebræ, nondum concedunt infirmis mentibus, clariſſimam, cœlitus ortam, ſerenitatem perſpicere. Nec ſatis ſibi credit Prusſia, dum quæ timidis votis vix ſperare audebat, tam benefica manu donata videt. Eſt ea noſtra miſeria; ut ad beneficiorum tuorum ſplẽdorem, ſemper cœcutiant nutantes oculi. Hinc, qui celebret illud debito præconio lingua, cujus ingentem fructum nondum novit animus? Tua erit gratia æterna lux, ſi, pulſis mentium tenebris, novo lumine eas perfundas. Tu ſi uno radio ſparſo, mentes noſtras colluſtres, cedet caligo divinæ claritati, ac quà pergendum ſit in tuis laudibus, conſtabit apertè. Hem! quàm anxiis votis, eam ſibi viam decurrere liceret, optabat noſter animus tum, cum undique mille mortes, eum circumſtarent, nihilq;, niſi turbæ quaterent, iræq; tuæ

 fluctus.

fluctus. Irritata quippe hæc malefactis populi, nolebat, nec poterat, si maximè voluisset, parcere scelerum licentiæ. Tua hæc est justitia, quæ quantò longius vindictam differt, tantò gravius affligit. Ac si lento oculo quandoque videt delicta, non injusto; sed vindice. Hinc pabulum sufficiente humanâ malitia, tandem exardet, ac consumit, quicquid objicitur, justissimꝰ furor. Sẽsit id nostra hæc patria, Sancte Vindex, qvam cum universum, justitiæ tuæ, satellitium adoriretur, tremebat universa, ac tantis ictibus convulsa jacebat exanimis. Non defuerunt ei affligendæ morborum contagia, ac pestilentissimæ lues, quæ exhaustas suis cultoribus ædes, viduitate ac orbitate replebant. Succedebat hisce diro agmine famis rabies, quæ una devastandæ huic terræ suffecisset. Sed, inter hæc omnia, nova fundo Prussico calamitas: (ita namq; placebat effrænem exercere petulantiam) incumbit. Gentes undiq; dissitas excitabas, excitatas, quà eundum esset, ducebas, patriæque finibus, diu incognitam, cladem immisisti. Vix à lacrymis temperat, quisquis infelix spectator fuit, miserè divexatæ provinciæ. Nunqvam excidet nostra memoriâ illud tempus, quo florentissimæ urbes devastatæ, opulentissima patrimonia direpta, nec sacris, ô tempora! manus abstinuit avidus victor. Crudo sanguine fœdata manus, lacrymis sæpè miserorum abluebatur, sed frustra. Nesciebat parcere ferox miles, postquam tu parcendi animum abjeceras. Quis hîc suis sedibus ejectam inopiam, latè domi-

dominante arrogantiâ, dicat? Nec legum sacrosancta Majestas depravatis mentibus, nec tuæ certò subsecuturæ vindictæ terror obsistebat, quo minus pro lege libidinem sectantes, quidvis auderent. Quoties hîc divinos honestatis terminos excessit, repagulis quasi convulsis, insatiata cupiditas? Quoties oculos pavit inordinatus animus, nefando scelere? Et quid hisce saucia patria, cui vix spes salutis reliqua erat, ageret aliud, nisi te suum patrem adiret, ac querulis lamentis noxæ veniam; pœnæ oraret mitigationem? Sanè si furentibus ventis, inter fastuosos fluctus, agitata navis, quicquid immittitur, tolerat, ac spe portus tranquilli, tempestatum tumultus vincit; hæc unicum in te suo Deo refugium habebat. Neque enim, si liberorũ vitia, severâ etiam virgâ, castigat, animum exuere parentem; neq; te, si quando crescentium delictorum atrocitatem, atrocius punis, paternum deponere affectum norat. Quin, si gravitatem pœnarum, delictorum gravitas promerita esset; gratiæ quoque tuæ magnitudinem, affulsuram suæ pœnitentiæ, indubia credebat. Illud unum maximè terrebat, plurimos, quibus voluptati erat peccandi impunitas, ac, quasi facinoribus suis egregium esset mantellum, ultro bellum placebat, non sentire vim mali, nec proinde remedia ejusdem exposcere. Eos dico, quibus aliorum supplex pietas, submissâ devotione, justissimam tuam castigationem, venerata, ac tandem ejusdem moderamen deprecata, risui erat atq; ludibrio.

Eos,qui,quod poterant,tantarum calamitatum præstare lenimen, nolebant, optimâ aliorum voluntate contemptâ. O miſeros homines, qui ad Dei pœnas ſtupetis, dubiâq; mentis vertigine non ſentitis vulnera, ne impetretis remedia! Ergo qvod aliorum imbecillitas non poterat, aliorum nolebat malitia; tua id nobis præſtitit gratia, AEterne Miſerator. Jam enim clarior aura fulgere incipiebat, ſed quæ multa caligine adhuc turbida, vix crepuſculum videbatur. Variis conſiliis, ſi fortè pax noſtræ genti reduci poſſet, agebatur, ſed qvàm difficilibus, qvàm graviſſimis? Dubia ubique lux erat, &, quæ heri cœperat ſerenitas, hodiernâ nobis iterum eripiebatur tempeſtate. Non ſemel, deſperato remedio, vulnera atq; cædes, ſi non internecionem & ruinam, metuebat terra. Ita decretum qvippe tibi erat, cum docturus eſſes, tua manu & deleri, & ſervari regna. Sit ſapiens, ſit potens, ſit felix hominum ſors, neqvicqvam eqvidem ſine Te, Magnum Numen, emolietur. Ergò quàm magno cum luctu amiſeramus, magno cum labore reqvirebamus, magnis cum lamentis repetebamus, dedit nobis tua Clementia (ô nunqvam ſine veneratione felicisſimum nomen exprimite!) PACEM. Quid addam auguſtisſimo Nomini, qvod omnia, quæcunq; optata habet, atq; proſpera hic orbis, ſuis continet terminis? Sufficiat hoc mihi dixiſſe, id muneris divinitus nobis conceſſum, qvo ſi patria caruiſſet, felicitate omni caruiſſet. Eat ſagacisſima mens, qvicqvid

qvid bonorum obtineri posſit, ſine pace æſtimet, &c, qvo cenſu ſint, decernat. Non mihi optem ſceptra, diademata, ac alia ſummæ Majeſtatis faſtigia, ſi ſua pace tuta non ſint, ſed cujuslibet inſanæ potentiæ exponantur. Quid auri argentive immenſæ moles, ſi incerto Domino teneantur, nec prodeſſe, intra ſuam qvietem, poſſeſſori qveant? Literæ, artes, ac feliciſſima Imperiorum Mater, Prudentia, ſi Martio furore turbentur, ac inquietentur, qvem juvant? Quid ſacratiſſimus Dei honor, qvid juſtitiæ ſanctiſſimæ rigor, qvid agrorum fertiliſſima opulentia, ſi horum omnium cultum, armorum tollat tumultus? Ergo horum omnium honorem, fructum atque oblectamenta, Pax una ſervat, qvam cum Dei dono habemus, reliqva adſunt omnia. Atq; hinc qvid mirum, ſi tam nobiliſſimo munere beata Patria, novo vigore animetur, ac ubiq; lætiſſimo vultu rideat? Quid mirum, ſi terra ipſa, nova fœcũditate, ſuos colonos exhilarans, gratulari videatur iis tantam liberationem, qvaſi invita antea peregrinis miniſtraſſet? Non dubito, ſi fieri poſſet, aqvas ipſas lætantis geſtum exhibituras, ac exultaturas eſſe, qvod priſtino jure regendæ, graviſſimâ ſervitute ſint liberatæ. Eſt ſanè id tuum beneficium, AEterna poteſtas, cujus ſenſum mortua etiam, ſenſuq; deſtituta percipiunt. Eſt id tuum beneficium, qvod Majeſtate ſuâ, maxima & ſtupenda tua opera exæqvat, in qvo, qvidnam prius mirer, ambigo, bonitatémne, an potentiam? an verò utriq; pa-

rem

rem ſapientiam? Illud omnium confeſſione prædicabitur, Te Vnum res impeditas nobis expediiſſe, deſperatisq; ſpe bonâ præluxiſſe. Ac, ſi qvondam tuæ genti aqvæ ſteterunt innocuæ, dum, quæ inſano impetu internecionem minabantur, atq; perniciem, tuo Imperio cogebantur: Nobis id præſtitiſti miraculi, ut, qui perditum nos venerant, inſtarq; vaſtiſſimi torrentis, terram omnem inundarant, ſubſideret eorundem furor, te dicente, nec terra omnis eluvies foret atq; vorago. Verè divinæ virtutis eſt ac omnipotentiæ, animis imperare mortalium, eosq;, quo velis, nutu flectere. Flexiſti, ac, velut fluentibus aquis, meatus iis ſuos præſcripſiſti. Limites fixiſti, veluti Maris ferociæ ſuum littus, quibus excedere non licuit, cum tibi diſpliceret. Nec olim ſaltem Leonum fauces domuiſti, ut, poſita rabie, blandirentur deglutiendis: Sed & hodiè rabidorum hoſtium mitigaſti furorem, ne læderent gentem, qvam diu ſuæ cupidini ſatiandæ deſtinarant. Adhuc recordatur patria civitas ſuperbas voces, quas continuis minis in ipſam, civesque ipſius evomebant. Verùm tu frangere ſuperbiam, ejusq; ſufflaminare alta conſilia noſti. Inhiabat noſtris rebus multorum aviditas, quas, tu niſi interceſſiſſes, prædam ſibi rapuiſſet. Miratur omnis ætas, mirandâ tuâ potentiâ, in mediis flammis ſervatos homines: Sed & nos mirabuntur poſtera ſecula, cum undique bellicis flammis cinctos nos audient, conſumptos non audient, quia fortis tui patrocinii aqua reſtin-

ſtinxit, quicquid in nos ſæviebat ignei furoris. Quicunq;, ſub ferventis Syrii æſtibus, exſuccos agros, nec ſuis frugibus educandis ſufficientes, intuemini, ut anxij hiſcant, ſuſpirentq; anheli: O vos ipſos cogitate, ac, qvi languor veſter fuerit, expendite! Annon exuſta erat veſtra tellus, odiorum igne atque irarum? Quæ vita, quis vigor ſupererat? Non lætus florebat ager, qui nullum lætamen hauriebat, præter innoxium ſanguinem. Nec cœli benedictio ei terræ ſperanda, quæ, hoc teſte, ſuorum ſanguinem bibit. Ergo ubicunque, ſterilitatis opprobrio ſqualida, tellus divinam opem, ſine voce, inclamabat: Impetravit etiam, cum almâ pace, roris inſtar ſaluberrimi, reficeretur. Quis neſcit refici mœſtos agros cœli rore, ac, quod inuſtum erat nimio calore, dedecus hujus elui refrigerio? Et nova noſtræ terræ ſperanda amœnitas, poſtqvam ea bonitate fuit curata. Florebit jam ſua templis pietas; vigebunt nobilisſimo juſtitiæ germine curiæ; ac, qvicqvid ſerviet noſtris uſibus, uberrimo proventu ſuccreſcet. Huc adeſte, quascunque adhuc premit belli calamitas, &, quæ Dei virtus ſit, gentes cognoſcite! Ne deſperate levationem tanti mali, qvam nobis cœli favor indulſit. Non, ſi vos occulta emergendi via latet, latet eadem providam Dei mentem, cui id unum competit, invenire rebus dubiis exitum. Nunquam vana conſilia capiuntur, qvibus hæc præeſt ſapientia, quæ una rebus noſtris gerendis, quod ſalutare eſt, ſuggerit. Adeſte! & fidâ

F prece

prece hujus consilia vobis petite, nec destituet vos lætus exitus. Neq; enim nostris viribus, nostrave prudentiâ, pax hæc parata est; neque meritis nostris, aut sanctissimæ innocentiæ debebatur: Sed sola miserantis Dei bonitas est, quæ novo exemplo omni mundo testari voluit, se quantum majestate, tantum bonitate omnes superare; nec qvicquam sua difficultate, perficiendi potestatem sibi adimere. Quod ergò omni mundo propositum voluit D. O. M., veneretur mundus omnis. Audiat hæc, qvisqvis vixerit, nec unquam intercidat tanti muneris memoria. Et vos, qui Dei laudibus, hominum curæ vacatis, ætherei spiritus, qui pacem nato Deo vestro, nostro fratre, tam lætâ voce nunciatis, quidni hîc etiam gaudeatis? Eqvidem hoc voluisset inferni Tyrannus, ut æterno dissidio rueret divinior cœtus, & cruentis animis suum cresceret dominium; sed prævaluistis iterũ boni Spiritus, &, quæ creatoris vestri ampliant honorem, strenuè egistis. Vos, qui tanti boni participes estis, quidni gaudium vobiscum communicemus? Euge! & nostro nomine, Dei laudes sonabitis, qvi nostro bono tantum laboratis. Et tu, quacunq; pates, vasta mundi machina, qvocunque pervenerit tanti beneficii fama, nobiscum consonas laudes Deo dicito. Est ea maxima tuæ felicitatis portio, si Dei enarres gloriam, &, qvocũq; præconio, ejus nuncies infinitam potentiam, qui te suâ potentia formavit, servat, regit. Non ignobilis tui pars est Prussia, quam ab interitu & ex-
itio

itio ſervatam, quî non læteris? Sed ita lætare, ut, qvod ipſa agit, tu agas; Deo jubiles, &, præeunte illa, conclames: Plena eſt omnis terra Gloria Dei. Pergat hæc Deo ſacra laus, donec reſonet eadem, quicquid cœlum tegit! Sed nec tu cœlum deſis, aër, ignis! tu deniq;, quicquid univerſi ambitu contineris! Non equidem hiſce præconiis, Deus immenſe, compenſandi immortalis muneris, vicem nobis ſumimus; ea namque donorum tuorum ſumma magnitudo eſt, ut omnem mentem, linguamque mortalitatis excedant: Sed, ne ſilentium ingratitudinis nos arguat, nitimur, &, quam referre non poſſumus, habemus gratiam. Nam hujuſcemodi gratiæ vis eſt, ut &, cum refertur, habeatur, & habendo, referatur: tum verò ea tua benignitas, ut quantulumcunque gratitudinis teſtem, modo apertus ſit, modo candidus, acceptes. Hac ſpe procumbit, ad pedes tuos, omnis Pruſſia, ac ſuas laudes tibi offert. Non inde abeſt INVICTISSIMVS AC POTENTISSIMVS VLADISLAVS, Rex verè tuo dono nobis datus: is enim,

Quod triumphet gaudio,
Curis ſolutus anxiis,
Tibi id ſatetur, Rex beate cœlitum,
Debere: tu laboribus
Vires ferendis; tu dediſti è prœliis
Redire duris ſoſpitem:
Nullam repulſam, voce cum te ſupplice
Rogaret, unquam adhuc tulit.

Ac, ſi ſummus Regum honor eſt, incruentis ſceptris ſuos gubernare, hunc ſibi à te conceſſum, lætus prædicat. Placuit ita tibi, Salomonis Pacifici exemplo, multâ laude inclytum eum reddere, ac, quos Divi Patris ſui hoſtes deprehenderat, ſanctiſſimo pacis fœdere ipſi divincire. Nec aliud agit, SERENISSIMVS AC POTENTISSIMVS ELECTOR, quem dum, denſiſſimis bellicarum tempeſtatum nubilis involutum, lætiſſimâ hac ſerenitate, tua gratia beat: hanc gratus celebrat, ac plenæ ſecuritatis ſubſecuturæ, certum omen habet. Eſt ea provida tua mens, quæ optimè, quibus temperandæ adverſitates ſint modis, novit, nec, quæ longæ ſunt, æternas eſſe patitur pœnas. Sed & reliquæ ILLVSTRISSIMAE MENTES, quæ partim præſentes hîc tibi ſe ſiſtunt, partim abſentes idem cogitant, quarum ſaluberrimis conſiliis eum ſucceſſum largitus es, ut tantum bonũ produxerint: qvicqvid inde ad ipſas honoris derivatum eſt, omne id tuo honori acceptum ferunt. Tantos laudum tuarum præcones, ſequitur omnis patria, ac, quo quisq; valet modo, Tuam Majeſtatẽ eo nomine veneratur, canit, loquitur. Quo argumento, ut nuper omnes & ſacræ, & profanæ ædes perſonuerunt: ita hodierno die & Academia hæc ipſa, quantâ poteſt, devotione idem meditatur. Neq; tamen eo pacto, abſolutum devotionis officium, quisquam cogitet: abſit ea judicandi temeritas, ut anguſtis adeo terminis, æterni muneris memoriam coärctet. Quin, ſi in poſteris, quisq; vivit,

vivit, horum ſucceſſuræ operæ, res tanta commendabitur, quò de generatione, in generationem, cultus tam deſideratus propagetur. Tu modo, AEterne Soſpitator, illud ut liceat, concede, ac, quam inſperatam terræ noſtræ quietem dediſti, æternùm ſerva. Pacem ab hoſtibus externis firmaſti: tu, ſi quid interni disſidij reſtat, etiam tranquilla; &, ſi irritatos hoſtilium animos tam facilè compeſcuiſti, noſtrum quoque omnium animos ita compone, ut pugnarum pertæſi, pace delectentur ac blando amore: aut ſi pugnandi libido teneat, una in nobis, adverſus ſcelera, pugna ſit. Nunquam ea ſecuritas homini Chriſtiano, ut non abunde hoſtium ubique occurrat. Nondum quieſcit prædo infernalis, qui omni ſuâ potentia id agit, ut proſternat miſeros. Felix miles, qui in hoc campo decurrit, ac victoriam diviniſſimam proſequitur! Ea una divina vincendi ratio eſt, quâ etiam, dum moreris, ſtas, tropæumq; obtines. Nullâ re aliâ, niſi fugâ, ſuccumbes: hoc prælium ſectare, ſi prudens es. In reliquis ita nos geramus, ut, quod verbis hoc loco profitemur, ipſo opere teſtemur, pacis nos eſſe cupidiſſimos, ac gratos præcones. Non te, Deus, afficit inanis labiorum ſonus, niſi vires ei addat purus animus. Hunc ſacrificii loco tibi conſecrari poſtulas: Ergo ipſemet incendas hunc, diviniſſimo tuo igne, ne quicquam, ei admiſtum, peregrini profanet. Spiret is odorem fragrantisſimum, divinarum virtutum, qui omni thure gratior tibi ſit. Non hirci vitulive, ſed ro-

ſeo Tui Filii, noſtri Domini, ſanguine rubeat, ſic conſummatiſſima erunt ſacra.

Cumprimis verò multâ gratiâ cumules, SERENISSIMA ET CELSISSIMA capita, quorum ductu regimur, ſpirituq; ſervamur. Sit tandem finis graviſſimarum difficultatum, quibus, inter bellicos motus, ea preſſa fuerunt. Exeruiſti tandem illis mitiorem vultum, diu illumines eundem ſuper ipſa, & tua virtute firma ſolium eorundem. Succedant jam ſereniores dies, qui multa felicitate ac proſperitate, ſubſequentes annos compleant. Quos auge longâ serie, ut diu eo, quem tuâ gratiâ, ſuis auſpiciis, tenent honorem, fruantur; quosq; multis laboribus ac periculis, ab hoſtium oppreſſionibus, defenderunt, ac eripuerunt, ſubditos regant. Ea voti noſtri ſumma eſt, qui omnem noſtrarum incolumitatem eorundem ſalute contineri ſtatuimus. Iis modo benè eſſe velis, neq; nobis malè unquam fuerit. Quin *inhabitabit gloria in terra noſtra, miſericordia & veritas obviabunt ſibi, juſtitia & pax oſculabuntur ſe. Veritas de terra orietur; & juſtitia de cœlo proſpiciet, terra noſtra dabit fructum ſuum. Juſtitia inter nos ambulabit, & ponet in viis noſtris greſſus ſuos.* Quin ſic

BENEDICTVM ERIT NOMEN MAIESTATIS TVAE IN AETERNVM, ET REPLEBITVR OMNIS TERRA MAIESTATE TVA: FIAT! FIAT!

PANEGYRICVS
IV.

VLADISLAO SIGISMVNDO

HOSTIVM VICTORI,
SVORVM LIBERATORI,
PACIS REPARATORI,
REGI POL. ET SVEC. AVGVSTO PACIF.
P. P. S. F.
Post pacem undiq; suis partam
MONVMENTVM SACRVM STATVENS.

INVITATIO AVDITORVM.

NOta vox summi Regis est; quæ æterno effato terræ Dominis, nominis sui communicans gloriam, DII ESTIS, dicit. Non hic, cuncta tanti tituli munera, scrupulosiùs inquirimus; quod præ manu est, unum proponimus. Summa divinæ potentiæ virtus est, quâ, præter alia omnia, tempestates suo arbitrio ordinat, quoties tristi nubilo magnum mundi lumen involvit, quæq; placidâ tranquillitate terræ, maria, & his conclusa, sua riserant amœnitate, subitâ ingruentium turbinum vi turbat, disjicit, evertit; quoties iterum lætam reducens serenitatem, tranquillat omnia, ac placidæ quieti, suæq; reddit securitati. Mare tumidum, aut insanum potius, suâ rabie cui non formidandum? Indomitum sacris literis est ac fastuosum, quod nullius regimen patiatur, at, ad solum nutum sui Dei, fluctus ponit, leniq; fluvio simillimum subsistit,

ve

vel unico Christi Sospitatoris mirando opere teste. Hinc jam eorum, qui rerum summæ præsunt, Deitatem collige, quibus, omni Historia teste, & bellicis motibus, si ita necessum sit, res humanas quatere, & læta pace firmare concessum est. Isti enim turbines quasi sunt, quibus Rerumpubl. navigia sæpius affliguntur, quassantur, sæpius etiam delentur. si, inter effervescentis furoris iras, turbetur publica salus, terræ cœlum, ima summis misceantur; si non blandior jam aura publicam naviculam provehat, sed violentior tempestatum vis rapiat, scopulis allidat, suoque vicinam interitui obruat; si, inter horridum armorum stridorem, tonitruumq; terrestrium fragorem, dies oculis eripiatur; si misero infecta cruore, speciem amittat undarum liquor, & quæ mille alias, minantur periculorum species, infelicia tempora. Atq; hisce turbis sedandis, compescendoq; furori, Regum Principumq; gloriosissimè laborat potentia. Summa horum laus est, si ea felicitate clavo assideant, ut nubila serenent, turbas ponant, suæq; navi securitatem præstent, ac facilem curam. Hæc enim una est, quæ victoribus etiam invictis pulchra, amplissima, ac speciosissima semper exstitit, quâ felicius ad divinam immortalitatem progressi sunt multi, quàm qui cruenta vestigia legentes, eam affectarunt. Eadem quoque INVICTISSIMO TRIVMPHATORI, REGI VLADISLAO, AVGVSTO, PACIFICO, P.P.S.F. DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO, perennis gloriæ posthac materies, noluisse, cum posset, cruentam victoriam, sed certam pacem; omnia experiri potius, in subditorum suorum salutem, quam dubiis armis eam credere, ac

tan-

tandē, crudelißimo naufragio ereptam, naviculam fida locasse statione. Potuerunt hoc rara ejus FORTITUDO, ac PRUDENTIA, quæ, simul ac exorerentur, suis populis, quasi Castoris, Pollucisq; sidere, (quod geminum, nunquam infelici omine, conspectum creditur) lucente, certa quietis spes undiq; affulsit. Hunc itaq;, sine exemplo, felicissimum (nunquam ea ô DEUS turbetur felicitas!) nostri seculi REGEM, quis nō consecret æternitati? Temporū injuria, Reges suos exemptura, Panæborum gens, defunctorum eorundem capita, inaurata in sacris collocavit. Quid nos deceat, jam constat! Sacra nobis erit æternum, tam Magni Capitis memoria, quod, cum proprio periculo ac labore, mortes atque interitum, à capitibus nostris, averruncaverit, nemo proprio capite à periculo (quod æternùm Deus avertat!) asserere recusabit: sed & nostræ Musæ, quantum poterunt, venerabuntur idipsum religioso cultu, ac devotißimis præconiis. Erit cum iis perpetuo, interq; sacra earum, quæ tam clementißimè tuetur, semper versabitur. Quorum quidem dum, hisce diebus, denuò testimoniū, publica oratione, in Magno Auditorio dabunt, ILLUSTRISSIMOS, ILLUSTRES, GENEROSOS, NOBILES, HONORATOS; MAECENATES, FAUTORES, AMICOS, CIVESQUE OMNES suos devotißimè, submißè, amicè invitāt. Non pigeat hisce sacris præsentiam commodare, quæ ejus honori dicata sunt, quem DEUM nostrum, ac liberatorem, concesßit divina indulgentia. P. P. Dominica Reminiscere. M. DC. XXXVI.

DRusſia tua, REX AVGVSTE, ſeriò experta eſt noviſsimè, quod omni mundo olim, hodiéque creditur, Regias mentes, DEI immortalis numine, regi ac gubernari: Ita ut, quæ juſta ſunt, regna, non humanis opibus; ſed divino præſidio, inconcuſſa conſtent. Experta item eſt, plurimis regnis, naſcendi ſorte, aliis fortunæ indultu reges conceſſos; Te verò, præter ea omnia, mira cœli gratiâ atq; favore, regiaq; virtute tuis populis obtigiſſe: ut, quemadmodum puro lumine ſiderum rector nubila pellit, caliginemq;, mœroris matrē, colluſtrat; ſic tu illuſtriſsimâ ſerenitate, & ſplēdore nebulas, tranqvillitate turbas tolleres; et ſi lætæ lucis ille, tu pacis atq; tranqvillitatis, exoptatæ fons eſſes, mirandus uterq; atq; beatiſsimus! Ac fortiſsimo quidem armorum impetu, feliciſsimè imperium tuum, diu aſſeruiſti: Sed poſtquam, cœleſti potentiâ volente, animos viciſti, mentesq;, qvò volebas, flexiſti, divinitatem regni tui abundè demonſtraſti, dum feliciori curâ turbatum hoc tranquillaſti, quàm tranquillum alius gubernaſſet. Vno etenim eodemque ferè tempore,

Qua Sol, relicto veſpere, auroram refert,
Sub algido Septentrione quod latet,
Quod Auſter humanum premit,

Cœleſtis tuæ virtutis impetus penetrans, ubiq; turbas ponit; novaq; recreat quiete.

Quorum

Quorum omnium quidem ſenſus,cum diſſita adeò loca pervaſerit, quid mirum,ſi Tuæ Majeſtati ſubjectisſima hæc provincia,in eaque, Tuæ hæ Muſæ, eodem plus reliquis commotæ ſint? Eſt hæc omnis felicitatis ſors,ut,quibus deſideratiſſima venit, eosdem maximè afficiat. Hinc ſi,quæ pericula, & mille mortes, affli ctiſſimæ provinciæ iminuerint, quis ponderet; Idem & gaudii, quo tuis, REX Optatiſſime, auſpiciis perfuſa eſt, amplitudinem aſſequetur. Cujus quidem dum hodiè interpres, longè impar, conſtituor, quid mirum, ſi inſolito hoc, ac inaudito MAJESTATIS VESTRAE ſplendore, perculſa hæſitet, aut omnino deficiat, oratio? Mithridatē, Aſiæ, Pontiq; Regem; Serviū Tullium, L. Martium Romanos; aliosq;, cœlitùs affuſis flammulis conſpicuos, emicuiſſe aliquando, Hiſtoria teſte, patet: Majeſtas ea Regia eſt, quam Veſtris, REGVM MAXIME, capitibus, DEVS addidit; quâ dum SERENISSIMA TVA MAIESTAS, in Illuſtrisſimis, ac Generoſisſimis Proceribus Legatis refulgens, tenue hoc Muſarum ſacrarium illuſtrat (quod quidem æterna noſtrorum pariter, ac poſterorum hominum, memoria, devotisſima ſubjectione venerabitur) qui non perſtringerentur ejus clarisſima luce, inſveta eidem lumina? Sed æquum eſt, ut, qvemadmodū ſolares radij, benefico fomento inferiora reficiūt, ſic à laudatisſimâ SERENITATIS VESTRAE Clementiâ, animetur hæc mea tenuitas, quæ ſemper laudabilius duxit, reverētiā, quàm facun-

diam, apud, Deo proximos, Reges profiteri; Eos præsertim, qui, quantâ TV, virtutum magnitudine, summis superiores sunt. Equidem quotquot Regum gloriæ, Regnorumque provehendæ saluti laborant; Prudentiæ, & Fortitudini ea omnia superstruunt. Si namque mentis oculus prudentia est, prævidebit ea singulos,

Caliginosi temporis exitus:

Quos si malos fore perspexerit, fortitudine in avertendis illis, tanquam manu, utetur, ut utrinque corpori consulatur. Secus si sit, quid juvet damna nosse, quæ declinare nequeas? Aut, quid robur prosit Cyclopi, effosso oculo? Minimè ad agendum idonea ea mens, quæ manuum ministerio caret: Sed &, quid viribus cunctos superet, si, qua parte noceatur, ignoret? At suppeditet consilium altera, altera exequendi robur præstet, sic, quam comitem eis fecerũt sapientes, insequetur Fortuna. Hisce artibus firmasti, REGVM Exemplar, hucusq;, & firmabis (volet Deus!) multis seculis regnum tuum. Consilio prodesse ejus saluti prius, quàm armis eam asserere voluisti. Quod si arma, temporum iniquitate, rapienda essent, & inde, si consultò gererentur, salutem promittebas: Sicut & desperatis malis, à ferro & flamma, sæpe remedia nascuntur. Ad antiquissimam AEgypti sapientiam, formabas animum, REX, cui populi Rectorem Mercurius notabat, geminâ facie, senili quidem prudentiæ; juvenili autem roboris indice. Et vegeta proinde virtute,

tute,&cana prudẽtia ſtantReſpublicæ.Eſt equidẽ violentia omnis cum naturæ ipſi; tum inprimis Rebuspubl. inimica: Verùm,cum ea nonnunquam ſit temporum injuria, quæ invitis obtrudat arma, ad bellaq; protrahat etiam pacis ſtudioſiſſimos, per vim agatur neceſſum eſt, quod leniora reſpuebat remedia. Nam & ea Regiæ laudis magna portio eſt, prudentiſſimo Tacito cenſente, modò, ne quid im̃oderatè, ne quid temerè, ne quid crudeliter geratur. Hinc nunquam ad debellãdum hoſtem pergatur, niſi eâdem ſolertia, in debellãdis animi motibus, laboretur. Nec unquã, niſi publicâ utilitate urgente, arma capiantur. Levis alioquin eorum jactantia, Auguſtisſimo Auguſto habebatur,qui triumphandi amore,aut ob lauream coronam, vacuam fructibus frondem, ſecuritatem civitatum quaſſabant. Hinc, cum multas gentes armis domuerit,nullam,niſi cauſis juſtisſimis, aggreſſus legitur.Peculiaris ea TIBI, Invictisſime Triumphator, laus eſt, qui,quo animo bella ſuſciperes,cum non,niſi provocatus, arma ſumeres; quo fine gereres, cum, ſimul ac Salus tuæ genti ac Pax oſtenderetur, ea deponeres, docuiſti. Raram ac ſine exemplo, in ſummâ majeſtate, virtutem! Quam multos ipſius fortunæ abundãtia,quod ejus muneribus,cum inſidiæ eſſent, ſuperbirent, evertit,ſpesq;,non ſupra modum extendendas,docuit? Deflet id omnium tragœdiarum clamor, fortunæ indiſcreto ictu, florentiſſima regna concidiſſe. Quot ſolâ ultionis libidine, aut inexplebili

bili alieni rapiendi cupiditate, truculentisſima bella amant, humanoq; ſanguine, aut furentes iras reſtinguunt, aut jam jam perituras opes redimunt? Nihil horum in TE, VLADISLAE PACIFICE! qui, cum blandientis fortunæ favore eò progreſſus eſſes, ut tot triumphos, quot hoſtes numerares; nec ullum, quem non ſubegiſſes, aggreſſus eſſes, uti tantâ fortunâ optimè noras: quòd levitas ejusdem conſtaret, qua ſuopte ingenio calamitatibus humanis gaudens, repentinas, rebus ſecundis, calamitates inducit. Inſtructiſſimus rebus omnibus exercitus, Generoſisſima Illuſtrisſimorum pectorum virtus, ſpectata Nobilisſimorum Militum fortitudo, Fides, Tolerantia, Potentiſſimorum Regum, populorumq; auxilia, rerum benè gerendarum occaſio, &, quicquid feliciter pugnandi militaris prudentia tribuit, qvem non ultrò prælio immiſiſſent? Te ſolum non, cui decretum erat, qvæ liceret, omnia acturum, modo turbis ereptæ tuæ terræ, pacis fructum; tu verò tam nobili facto, æterno Exemplo, PACIFICI titulum teneretis. Non privatæ, quæ fortè intercedebant, difficultates, publicam opprimebant ſalutem, qvod jam non tibi, ſed orbi publico vivere TE ſtatuebas. Sic, qui populorũ plurimorum Rector eras, amor quoq; ſingulorum audire volebas; magno laudatiſſimi Veſpaſiani exemplo. Et quæ major ejus, quem prius diximus, gloria fuit, quàm cum Pater Patriæ, inter publica tripudia, proclamaretur? Felices ô ſumi terræ Reges, ſi filiis præ-
eſſe,

esse, quàm servis, malitis; & amore potius regere, quàm Panico metu, vestros populos! Felices, si quod paucis licuit, molliter deponatis felicitatem, plurimis eâ ipsâ, qvâ evecti erant, fortuna collapsis! Eat jam, & vastos imperij sui fines, orbis immensi terminis metiatur, dulci fortunâ ebrius juvenis Macedo! Annon, in splendissimo hujus fulgore subito, destitutus, magnum vicissitudinis documentum fuit? Annon post eam celsitudinem, quâ major nulla restabat mortalitati, terra tegendo corpori deerat, cujus animo antea ad victoriam ea defuerat, Romani Consulis? Sed & hujus victor, mundi potens, solius animi impotens, quàm cruentâ cæde ceciderit, notum. Imò nota ista sunt; quanquam nunquam ea orbis noster novisset, si illi modum statuere suæ fortunæ novissent. Qui tamē, si fato in nostrum delati fuissent ævum, discere id potuissent, TE, REX POTENTISSIME, felicissimo summæ hujus virtutis exemplo. Jam diu enim Orbis Rectoribus, veram imperandi rationem dedisti, ex qvo nullus in illo superest locus, qvo AQVILAE POLONICAE virtus non pervenerit. Nam & calamitates tuorum capitibus, ac pericula prohibuisti, longè ab iisdem, qvicquid bellicarum tempestatum imminebat, propellens; quemadmodum grandinis periculum, Aquilæ pennæ pellere dicuntur: & insana furentis fortunæ fulmina, illæsâ mente, superasti, nec unquam ejus succubuisti sævitiæ; sed & splendentis ejusdem summum fulgorem, immo-

immoto ſemper uſurpaſti oculo', ut nunquam,ejus nitore,diviniſſimæ mentis hebeſceret acies, qvæ qvidem omnia, qvàm Aqvilæ conveniant,' hîc non exprimo. Nequeo tamen, qvin illud huc referam,qvod Hiſtoriæ Romanæ freqventiſſimum eſt, auſpicatiſſimas ſæpius, boniq; futuri omen certisſimum,fuiſſe Aqvilas. Id qvidem verisſimum nobis exſtitit, qvi fauſtisſima omnia ſperabamus, poſtqvam Tuo, SERENISSIME REX,imperio,Polonorum Aqvila gubernanda apparebat.Nam cui,auſpicatisſimo omine, REGENDI HONOR, magnum VLADISLAI nomen dederat,eum ſummo rerum clavo admotum qvotqvot videbant, glorioſisſimum ejusdem fore imperium ominabantur: breviq; tempus illud promittebant, qvo, qvi Gentis Polonæ Illuſtrisſima Gloria eſſet, LAVDIS omnis LAVS,non tam voce,qvàm re audiret. Augebant eam ſpem integræ Tanti REGIS vires, vegetum corpus, animi ignea vis, cum juſta ætate: qvæ neq;, per juvẽtutem,inconſultum qvid concederet;neq;, per ſenectutem,ab arduis magnisq; retardaret langueſcentem. Ac ea omnia, qvàm rato omine ſtatuerimus, felix noſtra ſors docet. Annus eſt integer, quiq; excurrit menſis, cum Tuis, REX POTENTISSIME, advoluta pedibus, inter ſuſpiria ac gemitus, cladem ac ruinam deprecabatur afflictisſima patria; Patriæq; Tuæ curæ (ignoſce confidenti amori!) res ſuas commendabat devotiſſimè: Nunc ea omnia Dei O.M. munere, TVO, VLADISLAE

PACI-

PACIFICE, beneplacito, adepta lætatur, vix capax ſui boni. Nam quod diu inter arma proſcripta juſtitia, nunc laudabili tua curioſitate ſuis laribus reſtituatur; qvod in Dei ædes nil liceat poſthac effræni ferocitati; qvod alienis furtim inſidiari matrimoniis non qveat effuſa libido; qvòd intra ſecuritatis qvietem quemque ſua ars alat, id omne Pacis almæ, &, cujus hæc ipſa eſt, Tuum Donum arbitratur. Ideoq; tibi, REGVM OPTIME MAXIME, meritò

Grates Pruſsus agit, quod milite tutus inermi
Et metuens hoſtile nihil, nova culmina totis
AEdificet terris; nigrasq; rubigine falces,
Exeſosq; ſitu cogat ſplendore ligones,
Agnoſcatq; caſas, & collibus oſcula notis
Figat, & impreſso glebis non cedat aratro.

Tantum boni in Pruſsiam invectum, præſenſit Regiomontana plebs, cùm primo urbem ſuam ingredienti Tibi effunderetur omnis, quò oculos inſolito ſpectaculo paſceret. Te parvuli noſcere, (quod ille de Trajano optimo, tuiq; ſimilimo Principe habet) oſtentare juvenes, mirari ſenes. Apparebant referta tecta ac laborantia, oppletæ undiq; viæ, anguſtus trames relictus tibi, alacer usq; qvaq; populus, ubiq; par gaudium, & par clamor. Quæ omnia, qvibus modis ſub ſecundum & numero, & fortunâ adventum aucta fuerint, res ipſa, citra mea verba, locuta eſt. Non equidem profuſo, in ſuperbientes porticus, aliaque opera publica, ſumptu (qvæ vanâ ſæpè ſpecie menti-

untur devotionem, jam jam temporis injuriâ, cum simulato affectu, delenda) sed æterno fidoq; sponsore, subjectissimo mentis cultu, obsignarunt, quæ sentiebant omnes. Nam & occursantium animus tam promptus Tuis, REX AVGVSTE, servitiis obeundis videri volebat, qvàm prompto gressu tibi corpus occurreret. Et, cum aperire pectus, patefaciendo huic, non possent, caput aperiebant, qvo nudam & absque pallia mentis fidem, cœlo teste, testarentur. Sed &, si capitis apertio servitutis nota Romæ fuit, TE suum DOMINVM agnoscebāt: Tibi servitia semel addicta, uni fida erunt & obseqviosa. Non diviso, cum aliis, cultu, cœli Dominus gaudet: Nec qvi terrarum Domini sunt, partem debitæ submissionis aliis tribui volunt. Nec defuerunt, qvi manuum deosculatione Majestatem Tuam venerati sunt, ut, qvàm omnibus superiorem, proximum Deo TE haberent, ostenderent. Deo peculiaris cultus est adoratio, qvam qvi Regibus primi addiderunt, Dei partes in hominibus à Rege geri docuerunt. Nec aliter est: Divinum opus est, inordinatam licentiam cogere, & multi capitis monstrosam plebem coërcere; Divinum, & à sacris rebus, & profanis, Diaboli funesta prohibere molimenta; Divinum est, serenitatem præstare tranquillam, inter insanientes irati maris minas: At id opus omne tuum esse, REX FELICISSIME, semel, iterum, & tertiò prosperrimo successu monstrasti; dum, qvæcunq; cum Deo egisti, læto hoc fine peregisti. Hæc
se

se Deos esse Reges ostendant; hac ingrediantur, qvi ad Deitatis culmen festinant. Quod cum affectaret Caligula, ut erat hominis stupor, idolorum suorum, capitibus demptis, trunco suum imponebat. Leve pondus! Riserit necne, ex Gentilium mente, Jovis Olympij idolum, stolidum hominis institutum; risu & cachinno omnis seculi excipienda insania. Servent omnes, tueanturq; singulos, qui mortalitate exempti, divino honore æternum gaudere Reges volunt. Qvod qvidem cum maximè omnium egeris, REX GLORIOSISSIME, qvi aliter affecti in te essent civitatis incolæ? Sed & hac mente Musæ Academicæ, devotissimæ S. V. M. cultrices, se tibi sistunt: qvæ qvidem qvemadmodum sortis suæ tenuitate negari sibi, qvod olim Triumphatorum munus erat, auream coronam dolent; sic, qvæ peculiaria sibi habent, qvæque antiqvissima, paupertate jubente, victorum insignia erant, LAVRVM & OLEAM submissè offerunt. Deorum specialia qvædam dona hæc credebantur, cumq; spectatissimam istam Parnassus produceret, Apollini; hanc Minervæ, Musarũ antistitibus, ut credebantur, utrisq; sacras volebant. Honor hinc utriq; habitus, ut Romæ Lauru donaretur Victor, qvæ postea, in sinu Jovis deposita, asservabatur; Olea verò Athenis eidem causæ adhiberetur, notissimâ Historiâ. Certè & qvas victorias, præliorũ successionibus, retulisti, TRIVMPHATOR INCLYTE, & qvam tuâ fortitudine, divinaque mansuetudine, qvietem tuis peperisti

risti, VLADISLAE PACIFICE, supremi numinis donum omnes æstimant. Quæ qvidem ut ipse, verè Regia ac magnâ voce, ejus indulgentissimo favori accepta refers: Sic ei hæc omnia, ut intra ejus sinum fidissimè servata constent, devotissimè commendamus. Tutissima eorum felicitas, quæ patria hujus solertia proteguntur. Ejus quodcunq; tenet dextra, nunquam humanis illud quassatur viribus. Ejus supplex oranda potestas, ut æterno vigore floreat, qvæ tanto labore parata Pax est. Neque enim desultoria operâ, ea producta fuit. Adhuc cogitat nostra gens, & nunqvam, sine nefando nominis sui dedecore, cogitare desinet, gravissimas molestias, viarum difficultates, aliaq; incommoda, à TE SVO REGE ac DOMINO, pro se, suscepta: dum, ut subditis tuis qvietem ac securitatem acquireres, insomnes noctes, gravissimaq; capitis pericula non subterfugisti, & sangvinis, si ita necessitas tulisset, prodigus. Neq; enim minori fortitudine, quàm clementia, munitum pectus vidimus. Quid est, si hoc non est, Patrem Patriæ, civicæq; salutis curiosum esse? Erit ea posthac im̄ortalis hic Tuus Honor, qvo gloriosissima nomina vinces, quem tot laboribus partum jam tenes. Ea indoles OLEAE dicitur, ut tardè crescat, multoq; labore educetur, sed quæ vivacitate, miraq; fertilitate multas arbores superet. Scilicet magno labore Pax reddenda nobis constabat, sed reddita jam æterno REGIS nostri honore, immensæq; fœcunditatis felicitate,

(an-

(annue Deus!) perennabit perpetuò. Ipſe cogita, REGVM INVICTISSIME, qvæ ex hoc, ad Te, facto, apud poſteros qvoq; redundatura ſit gloria; qvi, cum gentes natione barbaras, copiis non numerandas, ſævitiâ incomparabiles, Tuâ virtute victas audient, mirabuntur: verùm affectibus imperatum, animumq; intra ſplendidisſimam fortunam, mirâ moderatione temperatum eſſe, ne qvid, niſi qvod ſalutare publice eſſet, vellet, cùm audient, certè Deo ſimilem (cujus ea propria virtus eſt) te prædicabunt. Summus omnium publicorum laborum fructus eſt, ſi tranqvillitas qviesq; publica inde ſuccreſcant, qvam cùm alii multo auro ac ſangvine parandam ſtatuerint, tu ſola animi virtute obtinuiſti. Hinc unâ eademq; operâ, & tuis fœcundiſſimum, omniumque bonorum feracisſimum, PACIS donum, & TIBI æternum immortalis nominis decus largitus es. Certè æterno flore & OLEA, & LAVRVS vernant, qvem nec cœli inclementia ulla, nec horrenda tonitruum vis (illam excipio) lædat. Dabit id TIBI qvoq; æterna bonitas, ut ſecurus omnis fortunæ, æternaturo vigore perennet Tuus Honor, qvi, ut LAVRVS Imperatorum janitrix erat, fidus cuſtos SACRATISSIMAE TVAE MAIESTATIS futurus eſt. Non admittet is, ut ulla in te ſurgat poteſtas, aut malevolentia, qvam non fortisſima virtus tua ſternat ac frangat, qvomodo qvercum, rari roboris arborem, olim LAVRO junctam, ad Imperatorum ædes ſtetiſſe conſtat. Ea quippe re-

pe regia laus eſt, ſtrenuâ virtute, qvod partum decus eſt, tueri. Agis id, VLADISLAE INVICTE, dum pace partâ, qvæ poſthac regenda tibi ſunt, providus luſtras. Cui qvidem imperio incolumitatem, ac ſtabile à Deo incrementum, precantur Muſæ Academicæ, ac, qvod LAVRO peculiare erat, ut profanis uſibus nō pollueretur, eam ſanctiſſimam IMMORTALIS TVI HONORIS, AVGVSTISSIMIQVE NOMINIS venerationem humilimè pollicentur. Sic, qvibus Fundatoribus, Nutritiisq; D. D. TVIS ANTECESSORIBVS, natæ ſervatæq; gloriantur, TE POLONIAE REGE GLORIOSISSIMO, CONSERVATORE CLEMENTISSIMO, diu, qvod devotiſſimè petunt, regi ac defendi optant, qvo diu poſteris qvoque illa repetatur vox: VIVAT VLADISLAVS SIGISMVNDVS TRIVMPHATOR PACIF.

PANEGYRICVS
V.
QVI EST
GRATIARVM ACTIO,
AD
SERENISSIMVM AC POTENTISSIMVM
PRINCIPEM AC DOMINVM,
DN. GEORGIVM WILHELMVM,
S.R.I. ARCHICAMERARIVM ET ELECTOREM: MARCHIONEM BRANDEBVRGICVM:
DVCEM

DVCEM
PRVSSIAE, JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM &c. &c. &c.
CVM SVIS LABORIBVS CONSILIISQVE
AFFLICTAM PRVSSIAM RVINA
LIBERASSET.

INVITATIO AVDITORVM.

VOluptatem cœlitum, delicias mortalium, FLORVM PRINCIPEM, ROSAM, inter spinas, infinitis usibus lætissimè succrescentem, quicunque mirantur: Mirentur ij AMOENISSIMAM ILLVSTRISSIMAE BRANDEBVRGICAE DOMVS ROSAM, quæ quantũ felicissimo incremẽto plurimis aliis præcelluerit semper, non hodiè demum patet. Viguit ea cælesti gratiâ, multa annorum serie, inoffensa amænitate, cumq; gravissimis bellorum (quæ enim non sustinuit?) tempestatibus obrueretur, in concussum servavit lætissimi sui floris honorem. Sed si ROSA nunquam eam, quâ claret, laudem, venustissima specie, obtineret, nisi beneficentissima, quâ hominibus succurrit, virtus adesset: Hæc certè Illustrissimæ suæ gloriæ, solidissimum fundamentum statuit, salutem dare hominibus, quod nulla re aliâ, ad æternum honorem homines, etiam principes, propius accedere constet, Oratore teste. Hinc quàm semper alios juvet, calamitatibusq; quandocunq; licuerit, eripuerit, Historiæ testes sunt: Nobis quantum superiore anno profuerit, mundus omnis testabitur. Nam si ob infinita, quibus sufficit, remedia, Panacæa Medicorum, ROSA dicitur; Hæc nobis malorum

lorum omnium Panacæa exstitit, quæ, quibus languescens patria contabuisset ferè, malignos affectus sustulit omnes. Ac, si solus nobilissimi floris odor, Epilepticos sanat; fragrantissimæ hujus virtutes, PRUDENTIA, MANSUETUDO & AMOR fuerunt, quæ etiam in dissita, tam validè egerunt, ut collapsi omnium animi subitò erigerentur, novoq; vigore reviviscerent. Tua namq; SERENISSIME ET POTENTISSIME ELECTOR AC DOMINE, DOMINE CLEMENTISSIME, paterna cura fuit, quæ, quo terram hanc tuam ab exitio, vastitate ac interitu servares, POTENTISSIMOS undiq; ac INVICTISSIMOS REGES POPULOSQUE, tanti consilii socios asscivit, multoq; tandem labore, gravissimisq; difficultatibus superatis, pristinæ felicitatis sortem incolis reddidit. Euge itaq; quibuscunq; læta hæc ac optata evenit, grata quoque ac devotissimâ mente coli à vobis tantum munus ostendite. Id quidem, quàm à vobis cumprimis, qui MAECENATES, FAUTORES, AMICI AC CIVES Musarum estis, fiat, 12. Martij, testabimini, quo publica Panegyris SERENISSIMI NOSTRI ELECTORIS, DOMINI AC NUTRITII NOSTRI CLEMENTISSIMI æterno honori instituetur. Hanc ut præsentiâ vestrâ augeatis, simulq; pro æternaturo ROSAE BRANDEBURGICAE, inter sævissimos nimbos, tempestatumq; nubila, (quæ tandem serenes DOMINATOR DOMINE) vigore vota fundatis, submisse, amicè rogamus, monemus. P. P. Dominica Judica M. DC. XXXVI.

Qui



Vi indomito æqvoris inſanientis furori erepti, vitam ac reculas ſuas, intra præſentisſimam mortẽ, citra jacturam, ſervarant, Diis ſoſpitatoribus veſtimenta, &, qvæcunq; poterant, donaria votivâ tabula ſuſpendebant olim, non ſine veneratione prætermittentes, qvod cum certisſima ſalute ſibi evenerat, beneficium. Noſtra hæc provincia immanibus ſaxis, ſcopulisque infamibus, quibus tot florentisſima regna conqvasſata ſunt, erepta, tutaq; tandem ſtatione, poſt innumeras Charybdes evitatas atq; Syrtes, locata, qvantum venerationis & cultus tibi, SERENISSIME AC POTENTISSIME ELECTOR ET DOMINE, DOMINE CLEMENTISSIME, debeat, æternùm fatebitur. Somniabant iſti Portunum qvendam Deaſtrum, cui, qvod navigiis molli aurâ portatis, portus ſecuros præſtaret, ſacra fiebant: Tu, citra omne dubium, providâ tuâ mente, patriaque curâ id nobis muneris dediſti, dum ſaluberrimis conſiliis, agitatam ac obruendam jam, patriæ naviculam ſervaſti, truculẽtiſſimoq;, graviſſimarum tempeſtatum, liberatam ludibrio, portus ſecuritate donâſti, quo hinc inde collectis tabulis reficeretur, ac hiantia undique compingerentur latera. Non equidem vix coaleſcentia adhuc, qvibus undique lancinata patria fœdabatur, refrico vulnera, ne qvid caliginis affundatur ſolenni, præſentis diei, gaudio, illud tamen, qvod certis-

ſimum eſt, etiam me tacente, auditur, conclamata fuiſſe omnia, nec qvicqvam, niſi triſtes ſingultus, & fracta ſuſpiria, reſtitiſſe moribundæ terræ. Quæ verò ſimul ac, feliciſſimis tuis laboribꝰ, tranqvillitatem ſibi paratam cerneret, ſubitò novâ lætitiâ perfuſa, cuncta loca riſerunt, interque inſperata jubila, ovarunt ubicunque. Ac ea qvidem, ſi præſentibus Tuis oculis uſurpare licuiſſet, ne ullum qvidem, qvibus gaudium oſtendi poterat, deſideraſſes ſignum, adeo ſuæ felicitati indulgebat provincia. Primò omnium, qvicqvid gratiſſimarum vocum ſonorumq; edi poterat, hinc inde audiebatur, qvibusque aliàs funeſtæ pugnæ, cruentisque præliis feroces mentes præparantur, nunc, novo uſu, ad gaudia homines animabantur, lituorum clamoribus atque tubarum. Inſeqvebatur hinc fragor catapultarum, ſclopetorumq;, non horrendus ille, ſed gratioſiſſimus, cœlo ipſo remugiente, nam, & hoc teſte, prædicabant, tuâ curâ vaſtationis atque ruinæ inſtrumenta, lætantium luſus factos, ac exoptatiſſimi gaudii incentiva. Accenſi qvoq;, in plurimis urbis locis, ignes relucebant, qvibus, ac ſi cœleſtem hauſiſſent flammam, ad iterandas gratulandi plaudēdiq; vices, incēdebātur omnes, uno hoc tenore, qvo æternùm benè eſſet, qvi, ut pace tàm deſideratâ, tam ſpectatâ, benè eſſet huic provinciæ, egiſſent. Cujus qvidem beneficii cum maximam partem, Tu Tibi SERENISSIME ELECTOR, habeas; ne dubites, qvin, ſi præſentia tua illuſtrisſima id conceſſis-

cesſiſſet, omnis in occurſum tuum effuſa plebs, non eqvidem, qvi Athenarum mos erat, palmarum foliis fructuque, ſed, qvos feliciſſimo TVO proventu, tua hæc terra producit, amœniſſimis floribus, frugibusq; ſparſis, Tibi, inter ROSAS amœniſſimas, feliciter nato, devotiſſimi cultus teſtes oſtenſura fuiſſet. Neq; potuiſſet aliter, niſi deteſtabili impietate ſpernere voluiſſet, plus qvam patriam tuam, in aſſerendâ ipsâ, curioſitatem. Quod qvidem, qvàm alienum ab omnibus fuerit, teſtatur communis eorum vox, qvà uno ore proclamant omnes, TVO amore ac indefeſsâ curâ, qvicqvid tranqvillitatis affulſerit, conſtare. Nam, ſi, oleo infuſo marini ſubſidere fluctus, poniq; furores vulgò creduntur; certè veriſſimum hoc ILLVSTRISSIMAE TVAE CLEMENTIAE, qvam illud ſæpius ſignat, munus fuit. Quæ qvam primum rebus noſtris miſerrimis immiſcebat ſeſe, ac tollendarum turbarum curam ſuſcipiebat, ſubſiſtebat jam nonnihil harum tumor, ac neſcio qvid, gratiſſimæ malaciæ promittebat. Quam ubi paulò poſt, plenè reſtituendam decreverat, tum demum clariſſimo Exemplo orbi demonſtrabat, qvãtum poſſet verus Principum in ſuos amor. Nihil iis difficile eſt, qvodcunq;, amore dictante, ſuſcipiunt: Quin vitæ incurioſos nonnullos, cum morte ſuâ ſuorum vitam ſervatum iri viderint, effecit amor, qvæq; vel viliſſima capita detrectarent, ultrò ſummis terræ Dominis idem impoſuit. Quod qvidem cum tam feliciter, SERENIS-

SIME ELECTOR, tuis præſtiteris; qvid mirum, ſi divinitùs ſibi conceſſum omnes gaudeant, venerentur omnes, divinæ clementiæ, amorisq; in inferiora, expreſſum exemplum? Glosſopetram eo nomine, qvod ventos comprimat, tempeſtatesq; ſedet, nobilem lapidem non terrâ naſci, ſed cœlo, deficiente Lunâ, decidere credunt. Tu, pulsâ imminentium turbinum ſævitiâ novâq; reſtitutâ tranqvillitate, qvî non à Deo, deficienti noſtrorum hominum felicitati, conceſſus videaris? Equidem, quicunq; rerum humanarum ſummæ præſunt, divino beneficio eidem præesſe conſtat. Etenim, quæ omni orbi jus dicunt, imperia omnia,

Non hæc humanis opibus, non arte magiſtrâ
Proveniunt; non hæc mortalis dextera ſervat.
Major agit Deus, atq; opera ad majora remittit.

Qui verò ſingulari clementiâ, gratiaq; ſuos amant, juvant, Principes, eos quoq;, peculiari Dei indultu, commodari mortalium rebus, nemo negaverit. Nam cum ſæpisſimè ea mortalium ſit pervicacia, ut parco ſum̃i Regis cultu, ſpernat æternam Majeſtatem, hinc offenſa eadem tanto ſcelere, qui iſtud vindicent, immittit Tyrannos: Et miſeram ejus gentis ſortem, cui, dum ſævit ira, dum mens æſtuat, regem præficit cœli Rex! Qvid namq; inde ſolaminis, qvid auxilii ſperes, qvod, ut pœna ſit, præſto eſt? Contrà fortunatos homines, quibus, ut in periculis præſidia, in miſeriis ſolatia, in oppresſionibus ſuſtentacula ſint, Reges dat mundi arbi-

arbiter! Ideoq;, quoties ferè terris hoc ipſum præſtitit, toties novo quodam, ac inſveto etiam ſigno, gratiæ quaſi quodam præcone, teſtatus eſt. Nam ſi faces ardentes, leonum, draconum, & alia ominoſa portenta, naſcendorum magnatum tyrannidem indicarunt: laudatisſimorum quoque, & inclytorum Dominantium felicitas, plerumq; amabili quadam notâ indicta fuit. Conſtat quippe Cyri magnitudinem floridâ vite; Octavii Auguſtisſimi felicitatem, ac beneficentisſimam indolem, clarisſimo Solis jubare exorto, patribus indicatam. Quibus qvidni addam, quod in DIVI PATRIS TVI, SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS AC DOMINI, DOMINI JOHANNIS SIGISMVNDI, DOMINI AC NVTRITII heu quondam! NOSTRI LONGE CLEMENTISSIMI, æternæ memoriæ Principis, nativitate notarunt plurimi: ſcilicet, qui decus ac honor, POTENTISSIMAE DOMVS BRANDEBVRGICAE, futurus erat, eundem ortum noſtro orbi, Casſiopea, inſveto lumine, gaudebat ac gratulabatur. Cujus quidem ominis rarisſimum eventum hîc fuſiùs adſtruerem, niſi id, ſua ſponte, fulgidisſimæ tanti Principis virtutes facerent, qvarum Serenisſimâ Claritate, adhuc relucet orbis omnis: de quibus quò minus plura hoc loco dicam, præſentis inſtituti ratio me monens, revocat eò, unde harum rerum memoriâ digreſſus ſum, nec patitur aliarum rerum commemoratione occupari, TVAE SERENITATI

destinatum cultum. Nam, cum communia ista sint bona; quorum fructus omnes æquè, ut Solis benignitatem, sentiunt: hæc, quà Pacem ac quietem reddidisti nobis, privata tua laus est, ELECTOR POTENTISSIME. Ex qua quantum gloriæ & tibi paraveris, & ILLVSTRISSIMORVM DIVORVM ANTECESSORVM TVORVM, æternæ famæ addideris, omnes vident; quotquot norunt, antiquissimam POTENTISSIMAE DOMVI BRANDENBVRGICAE curam semper fuisse, quæ felicitatis gloriæq; omnis fundamentum est, Pacem ac Tranquillitatem & suis, & aliis hominibus omnibus servare. Quod cum quadriennio integro Marchiæ ditiones, magno sumptu, pariq; labore tranquillans, tam strenuè egisset, gloriosissimæ memoriæ Princeps, FRIDERICVS BVRGGRABIVS NORINBERGENSIS; primus omnium DIVORVM ANTECESSORVM TVORVM, ELECTORATVS ac ARCHICAMERARII dignitatem, cum Marchia BRANDEBVRGENSI, à SIGISMVNDO AVGVSTO obtinuit. Et cepit is quidem laborum suorum, quibus tot hominum quietem procurarat, fructũ ubertimum: CELSISSIMIS verò suis POSTERIS, ut, quibus artibus acquisita esset Electoralis dignitas, iisdem hancquoq; tuerentur, Pacis studio ac mansvetudinis, documentum dedit. Quod quoq;, quàm laudabili solertiâ, HI sectati fuerint, vita singulorum loquitur. Quid enim hujus, quem diximus, SERENIS-

NISSIMVS FILIVS, cui cum res fortissimè gestæ FERRATI nomen indidissent, tamen non solùm ea modestiâ, animique mansvetudine claruit semper, ut nec inclytum POLONIAE regnum, mortuo, absq; mascula prole, DIVO VLADISLAO REGE, oblatum, ne iniquus in verum existeret hæredem; nec post BOHEMIAE regnum, ne alieni regni sectator esset, acciperet: sed & eo pacem studio sectabatur, ut, inter summa Fortissimi Principis elogia, maximum eminеat, quo ipsius consilio ac sapientia, plurimæ civitates pacatæ leguntur. O felix divinissimarum virtutum consortium, quo, raro exemplo, summa sapientia ac mansuetudo, cum summa fortitudine, stabulantur! Nôras videlicet, Principum gloria, nec esse veram fortitudinem, nisi quæ, divinæ omnipotentiæ æmulatrix, oppressorum sublevationi vires impendit; nec magis homini convenientem virtutem, quàm immanissimarum bestiarum robur, consilio destitutam fortitudinem. Quæ quidem non minus suo inutilis videtur possessori; quàm insessori generosi equi, qui fræni impatiens sit, indoles. Si itaq; prodesse debeat humano generi, comites sibi habeat magnas in TE, ad miraculum, virtutes. Neque alia mens reliquorum, CELSISSIMAE FAMILIAE Successorum, quos tamen, prolixitatem cavens, hac vice omitto, ac, quem propinquiorem Tibi, SERENISSIME ELECTOR, Dei favor voluit, adduco, MAGNAE GLORIAE PROAVVM TVVM,

JOHAN-

JOHANNEM GEORGIVM, qui cum patriæ afflictisſimæ amantisſimus, tum aliorum quietis maximè fuit ſolicitus. Hinc enim factum credo, quod gravisſimis, inter STEPHANVM POLONIAE REGEM AVGVSTVM, & Gedanenſium urbem, ſimultatibus componendis, ſolertisſimè laboraverit. Atq; hujus Filius nunquam ſatis laudatus, JOACHIMVS FRIDERICVS, cum multa laudabiliter egiſſet, ſopitâ etiam lite, quæ inter CELSISIMVM COGNATVM, DOMINVM GEORGIVM FRIDERICVM, & Noribergam tum fortè gliſcebat; iisdem disſidiis, quorum tollendorum felicisſimum auſpicium Tua, SERENISSIME ELECTOR, conſilia fecerunt, finiendis multum operæ impendebat, non tamen votis reſpondente ſucceſſu. Credo, quod jam tum tanto operi, tuam virtutem provida fata deſtinarint, nec proinde alienâ operâ, confici debuerit arduum negotium. Quod quidem ſummæ difficultatis fuiſſe, quis non dicat, cum ſatis pateat, quam difficile ſit ab irâ flectere animum, jam concitatum, eorum præſertim, qui ſceptris admoverunt manus? Hinc, ne qua parte, tanto obtinendo muneri deeſſet tua cura, primò omnium id agebas, ut, quæ provincias omnes, atq; regna fidisſimè cuſtodit, à Potentisſimis ac Amicisſimis Regibus, Populisq;, amicorum copiam convocares, quibus res tam ardua atq; ſumma, eâdem fidelitate ac ſolertiâ curaretur. Neq; enim eorum placebat temeritas, qui, quicquid ſuggeſſerit cupiditas,

cœco

cœco impetu ſequuntur, gravisſimâ plerumque rerum ſuarum ruina. Nunquam nimiam eorum deliberationem ſuſcipi ſtatuebas, in quibus, citra plurimorum perniciem, peccare non licet. Et vos quidem, ILLVSTRES florentisſimorum Regnorum ac provinciarum PROCERES, quotquot incomparabili Pacis bono, hiſce terris reparãdo, tàm promptè, tam ſolerter operati eſtis, quæ tandem vos hinc gloria manebit? Loquetur gloriosisſima veſtra nomina, quamdiu Prusſia ſuis cultoribus non deſtituetur. Magna quidem è fuſo exercitu, ac opimis ſuperborum hoſtium ſpoliis, ſuccreſcunt gloriæ ornamenta, ſed quæ ipſo cæſorum ſanguine ſqvalent nonnunquam. Qui verò, publico populorum incremento, gloriam ſuam augent, eos demum honoratisſimos, orbis omnis ſuſpicit atque colit. Fuit hæc veſtra cura, qua, quocunque terrarum tantum veſtrum munus pervenerit, eodem & ſapientiæ veſtræ, atq; conſiliorum virtus pertinget. Te verò inprimis, quem præſentem noſtra hæc urbs habet, ILLVSTRISSIME AC CELSISSIME PRINCEPS AC DOMINE, DOMINE SIGISMVNDE, MARCHIO BRANDENBVRGENSIS &c. &c. DOMINE CLEMENTISSIME, nulla unquam ætas mentib9 noſtris eximet, qui, cùm SERENISSIMI ELECTORIS præſentiam, temporum difficultas, tantis laboribus non concederet, tantâ curâ, negotium omne ſuſtinuiſti, ut quietis propriæ incurioſus, ſæpius viſus fueris. Equidem vereor

K ulte-

ulterius in laudum tuarum præconium deſcendere, ne, dum gratus eſſe laboro, moleſtus fiam; hinc, qvicquid non admittunt in præſentiarum, inſuetæ ejusmodi lenociniis tuæ aures, feræ id omne poſteritati prædicandũ relinquitur, quæ quidẽ nunquam adeò ſui obliviſcetur, ut non tuas virtutes æterna memoriâ ſit cultura. Sed & vobis veſtrum decus ſervabitur, MAGNIFICI AC GENEROSI PATRII REGIMINIS CONSILIARII, qui, cum POTENTISSIMI PRINCIPIS partes hiſce in terris tueamini, ſtrenuè quoq; huic negotio operã veſtrã cõmodaſtis, nec ulla gravis moleſtia exſtitit, quâ immortalis veſtri DVCIS AC DOMINI CLEMENTISSIMI, contineri honor videbatur. Hinc quæcunque voluerat SERENISSIMA ejusdem CELSITVDO, in medium collatis conſiliis, ſumma fide, ſolertiâ, conſtantiâ (quod æternum omnis ætas venerabitur) expediiſtis, nec ceſſaſtis prius, quàm ſolennis illa proclamaretur vox, atq; diu optata: PAX SIT ac QVIES huic terræ. Quam quidem dum tua cura, SERENISSIME ELECTOR, hiſce, quæ diximus, mediis, eidem dederit, gaudet ea ſuo tam nobili bono. Ac, ſi voto ejusdem particula aliis conferri poſſet, jam diu ſæviſſimis tempeſtatibus elapſa, ſuâ tranquillitate, quæ hæreditate tua eſt, MARCHIA gauderet. Hujus enim florentiſſimæ terræ, heu nimis diram! ſortem, quâ mente ferat, facile credent omnes. Dolet certè, quoties cogitat hanc, quæ eidem ſecum ſubjacet regimini,
non

non eâdem gaudere fortunâ. Equidem, ſi tua conſilia, SEPTEMVIR POTENTISSIME, tantis malis obſiſtere poſſent, non dubium eſt, quin ſubitum eorum terminum viſura eſſet. Neq; enim, quæ multorum libido eſt, humano ſanguine urbiumq; cinere gaudes, quin quam omnes, ſi fieri poſſet, ab interitu & ruina aſſereres, docuerunt omnia tua, quæ Pacis, non armorum ſocia fuerunt, conſilia. Quoties, ut tandem cladem à tuis prohiberes, ſinus obliquavit Tua Prudentia, &, quicquid licuit, ejusdem propulſioni adhibuit? Sed vicit hucusq; temporum injuria, reſpuitque omnia adhuc remedia pertinax malum. Quod ipſum, cum tenuitas virium noſtrarum nequeat, fortior precum impetus avertere ſtudebit. Interea Tibi, SERENISSIME ELECTOR, pro immortali bono, tuis curis patriæ conceſſo, omnis noſtra vita, fortunæq; omnes ſacræ erunt. Suſpendimus ea, tuisque ſervitiis ſubjectisſimis offerimus, voti damnati, poſtquam ea omnia potentisſimâ liberatione, tua feciſti. Videbantur ea jam, undiq; ingruentium fluctuum violentiâ, eripienda nobis, & in quosvis terræ angulos diſturbanda; cum TE noſtri miſeratio ſubiret, & ne, quod metuebamus, fieret, prohiberes. Et Muſæ tuæ inundandæ jam, tuis conſiliis ſervatæ adhuc ſtant; ſine quibus ſi fuiſſent, præſentisſimâ eluvione obrutæ interiiſſent. Hinc ſi Jovi cuſtodi, Domitianus templum ingens, quod ipſum, in ſeditione Vitelliana, à furore conſervaſſet, exſtruxit: Tibi,

POTENTISSIME DOMINE, TVTELARI SVO O. M. ædiculam ſuam conſecratam,æternùm colent, in eaq; beneficentisſima tua in ſe ipſas munera,perenni venerabuntur devotione. Ornabit eandem tabula votiva, quæ,quicquid laudabiliter,tuisq; ſalutariter à te geſtum eſt, expreſſum, omni ſeculorum memoriæ proponet. Ac, ne quid deſit ſuis ſervitiis, voto rem omnem deſignant.

Det Deus, ut tàm aſperis hucusque exercitum, SERENISSIMVM ELECTOREM, benigniora poſthac reſpiciant fata. Oriatur tandem ILLVSTRISSIMAE DOMVI BRANDEBVRGICAE nova ſerenitas, quò eâdem refecta amœnisſima hujus ROSA, potentisſima virtute ſuâ,diu ſuos recreet atq; conſervet.



PANEGYRICVS VI.

SVPER

OPTATISSIMA PRAESENTIA,

POTENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI:

DOMINI

GEORGII WILHELMI,

MARCHIONIS BRANDEBVRGICI S. R. I. ARCHICAMERARII ET ELECTORIS: PRVSSIAE, JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM &c.&c. DVCIS &c. &c. &.

DN. AC NVTRITII SVI MVNIFICENTISSIMI:

ET
PRIMO IN BORVSSIAM INGRESSV
ILLVSTRISSIMI AC CELSISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI:
DOMINI
FRIDERICI WILHELMI,
MARCHIONIS BRANDEBVRGENSIS:
BORVSSIAE, JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM &c. &c.
DVCIS &c. &c. &c.
DOMINI SVI CLEMENTISSIMI.
XIX. NOVEMBRIS M.DC.XLVIII.
HABITVS.

INVITATIO AVDITORVM.

IMPERATORVM imagines atq; nomina, candenti plerumq; ferro cuti inusta, Romani milites gerebant, non fidei saltem, sed amoris certissimo testimonio. Is omnium hominum in suprema, quibus reguntur, capita affectus esse debet; sola illa venerari atq; colere, quamq; semel addixerunt, intemeratam æternùm probare fidem. Equidem vario imaginum cultu, aliàs in suos amorem testabantur Romani, nullus tamen ex omnibus eo, quem diximus, devotior exstat. Non modò enim, quasi absq; Imperatoribus esse nequirent, ubiq; eorum secum ferebant speciem; sed & vulnere atq; sanguine, quàm curiosi ipsorum essent salutis, profitebantur, nunquam se tam parcos sanguinis futuros, ut non eodem Imperatorum capita assererent. Neq; profectò aliter esse potest; Si namq; Parentum ac eorum, qui amore nobis

junguntur, omnium charæ ſunt imagines, crebroq; earundem intuitu, abſentiæ tædium levamus; quæ ſanctior eſſe nobis ſpecies poteſt, quam eorum, quos communes Patriæ Patres, conſtituit æternus mundi Rector, ut, quem uni alterive proli alii, hi univerſæ gentium multitudini affectũ, quæq; ex eodem promanat, ſolicitam curam impendant? Aliunde conſtat, quàm non poßit absq; iis ullus conſiſtere rerum ordo, aut ulla ſuſtineri felicitas; quin uti miſeranda orphanorũ conditio eſt, poſtquam, amisſis parentibus, fidâ deſtituti curâ, variis exponuntur periculis: ita ſuis Patribus orbæ Reſpubl. patrocinio, adverſus hoſtium libidinem, carent. Aſt contra felices illas, quibus, in ſinu ſuorum Rectorum, deponere querelas, atq; paratum inde deſumere remedium conceditur? Certæ ſunt ſuæ felicitatis, ſecuræ ruinæ, quod curioſis ſuorum Principum conſiliis, atq; indefeſſo labore, ſtare ſe ſciant. Et quàm turpe facinus eſt, tantas moleſtias, puri amoris fide, obſequiiq; devotione, quam unam poſcunt, venerari nolle? Neq; tamen deeſt ea inter homines impietas, quæ fortuitò geri Reſpubl. dum ſomniat, nunquam debiti hujus cultus recordatur. Sed faceſſat eorum inſania! Vos, qui cordatiores eſtis, altius hujus muneris cogitatis magnitudinem, cumq;, immortali Dei beneficio, iis Rectoribus (diu nobiſcum eos eſſe patere ô Deus!) res veſtras curari ſæpius experti ſitis, ut nunquam par veſtræ felicitati cultus reperiri poſſit, non quidem extremæ cuti, ſed intimis animorum receſſibus, tam charorum capitum imagines ac nomina, purâ amoris flammulâ, inuritis, ut, quemadmodum iſti perennant, ſic hæc æternùm cum iis perſtent. Fuit hic veſter nobiſcum

labor

labor, dum SERENISSIMVM AC POTENTISSIMVM DOMINVM, DOMINVM GEORGIVM WILHELMVM S. R. I. ARCHICAMERARIVM ET ELECTOREM, MARCHIONEM BRANDEBVRGENSEM, DVCEM BORVSSIAE &c. &c. &c. DOMINVM AC NVTRITIVM NOSTRVM MVNIFICENTISSIMVM; CVM SERENISSIMO AC ILLVSTRISSIMO FILIO PRINCIPE AC DOMINO, DOMINO FRIDERICO WILHELMO, MARCHIONE BRANDENBVRGENSI, BORVSSIAE DVCE, &c. &c. &c. DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO, *absentem, non modo assiduè cogitastis, sed & anxii EORVNDEM, inter præsentissima pericula, salutis, devotissimè, quicquid metuēdū occurrebat, deprecati estis. Verùm enimverò, quantâ lætitia SERENISSIMAM VTRIVSQVE PRAESENTIAM exceperitis, clarissimis indiciis passim patet. Scilicet reipsa docuistis, quantum, præ imagine aut memoria absentium, exoptatissima præsentia vos recreaverit. Nunc, cum Academia nostra horum omnium testem dare, hucusq; variis intercedentibus impedimentis, nondum potuerit, agere id futuro die Jovis, hora I. pom. in Auditorio Majori, solenni Panegyri, constituit, ac debita gratulatione, tantum adventum excipere: cui uti præsentiam ab omnibus, Boni Publici studiosis, facilè commodatum iri confidit, ita demereri eum favorem, officiosissimo amore sese velle pollicetur. P.P. Novembr. M. DC. XLVIII.*

GENE-

GENEROSAS quoq; arbores, tarda interdum ubertate placere, nec semper culpandos, qui serò producuntur, fructus constat. Palmæ invenio speciem, quæ non, nisi seculo integro elapso, gratitudinem, haud ingratam, cultori testatur. Zizyphi nobilissimus fructus, omnium, quotquot proveniunt, tardissimus nascitur, ast saluberrimo mortalium usui. Vestra quoq; hæc, SERENISSIMI DOMINI, Academia, CELSISSIMAE AC CLEMENTISSIMAE BRANDENBVRGICAE MVNIFICENTIAE, nobile germen, & voto, & debito, & solito tardiùs, inter publicas universæ Provinciæ gratulationes, gratitudinis suæ fructum VOBIS offert; neque tamen veniam modò, sed & assensum sibi pollicetur. Ita quandoq; evenisse compertum est, ut gaudii magnitudine, linguam ipsam obrutam, voce præclusâ, longus silentii stupor tenuerit. Et quî hæc gaudii sensum exprimere citiùs valuisset, cui nec capiendo animus, nec exprimendo lingua sufficiebat? Neq; tamen, quia huic muneri tandem par inventa sit oratio, quod diu distulit, hoc die perficere conatur; sed ut nimia morâ, criminis incurreret notam, metuebat. De cætero neq; infantiam, quæ velit, absque balbutie; neq; se affectum suum, exactè unquam expedituram confitetur. Sed ita quoq; confidit: & humilitati suæ orationis, plurimum à CELSITVDINE VESTRA sublimitatis; & obscuritati istius plurimum à SE-

à SERENITATE VESTRA ſplendoris acceſſurum. Ipſa interim felicitate ſua læta, ea ſuſcepit, quæ, absq; iſta ſi eſſet, nunquam fuiſſet auſa. Teſtes hujus dicti voco, quicunq; humanæ felicitati terminos conſtituitis, atq; modum. Ea, credo, veſtra mens eſt, primam illius eſſe partem, ſi præſides optimos habeat Principes, quorum amore curetur, laboribus ſuſtineatur, fide ſervetur, clementiâ creſcat, juſtitiâ defendatur, fortitudine propugnetur; qui non prius MAXIMI atq; AVGVSTISSIMI, quàm OPTIMI eſſe velint. Adſunt nobis ea omnia, dum TV, SERENISSIME ELECTOR ades, qui cum DIVI PATRIS TVI, NOSTRI DOMINI AC NVTRITII quondam MVNIFICENTISSIMI, nunc BEATISSIMI, CELSITVDINI auſpicatò ſuccederes, non tantum ſummæ inter nos fortunæ, ſed & divinæ mentis hæres eſſe volebas: quodq; ille, hac ipſi ſuggerente, ſemper uſurpabat, PRO LEGE & PRO GREGE, TIBI quoq; dictum putans, his ſolidiſſimis fulcris, gubernandi ſuperſtruebas ſucceſſum. Non TE hinc difficultates, non graviſſimæ temporum injuriæ (quibus ô tandem modum ſtatue, mundi RECTOR!) dimovebant, poſtquam ſemel non tam voce, quàm mente, MAGNO ANIMO NIHIL IMPOSSIBILE ESSE, profeſſus eras. Imò, ne difficile quidem ſæpe TIBI fuit, ſalutem Tuis parare ac quietem, quod tamen, cum publica omnium vox loquatur, ego hîc ſileo; niſi quòd adhuc poſitarum, optatisſimâ

L

ſimâ pace, turbarum memores, gratum cultum atq; præconium, pro eodem munere, quod haud ita pridem abſenti ſolvebant, nunc præſenti etiam reponere geſtiant Muſæ. Quoties pro ejus diei auſpiciis vota fecerunt, quo tam divini boni autorem, præſentem venerari liceret? nunc, dum geminâ eundem felicitate illuſtrem conſpiciunt, quicquid unquam lætitiæ, hinc inde, gentibus ſparſim evenerit, id ſibi collectim omne contigiſſe gloriantur. Ex omni fortunæ ſævitiâ, TE SVVM DOMINVM ATQVE PATREM, qui omnes, ſævientis fortunæ, inſultus ab ipſis depuliſti, ereptum, ſecum verſari, ac, quæ undiq; circumvallârunt, difficultates evitatas, lætantur. Sed &, quem animis toties coluerant, oculis nunquam ſubjecerant, ILLVSTRISSIMVM FILIVM, quantum Principem! TEcum una reducem primò (quod æternum felix ac ſalutare huic Provinciæ D. O. M. faxit!) his in terris, ineffabili affectu, ſalutant, quod ineffabilis, in IPSO, virtutum ſplendor, animis ſuis obverſetur. Sciunt eam bonis civibus votorum ſummam eſſe, ut, cùm optimi quoq; Principes, mortis intercedente imperio, æterno regimine hominum res moderari nequeant, fœcunditate ſaltem mortalitatem vincant, atq; perpetuâ in ILLVSTRISSIMA SOBOLE ſucceſſione, eſſe inter mortales nunquam deſinant. Sed quia, prout ſemper in errorem proni ſumus, facili lapſu, primæ illud ætatis lubricum, à Celſiſſima virtute, declinat, tum demum certa conſtare felicitas vide-

videtur,cum ab iis,quos tanto faſtigio natos cernunt, inoffenſo curſu,illi vivendi ſcopuli ſunt evitati,rectoque tramite ad virtutis culmen pergitur, ac, qua ſolidantur regna, hujus ſoliditate firmatur animus. Sic inconcuſſum ſtat regimen, prout nunquam corruit ipſa virtus. Atq; hinc felicitatis ſuæ ſecuræ, cum univerſa Provincia,Muſæ quî non gaudeant,cum omnia ea in CELSITVDINE TVA expreſſa conſpiciant? Vera me dicere undique conſtabit, modo per TE, ILLVSTRISSIME PRINCEPS, proferre, quæ debeam,liceat. Sed quid agas? Neſcia latere veritas ultrò erumpit. Nondum inter homines eſſe in terris cœperas, cum jam decus Tuum iſtis cœli aſtra prædicarent. Hinc in his legebant alii quidem,ſummam bellorum felicitatem, quæ non modò in militum,ſed hoſtium ipſorum animos,facilimum habitura imperium; nec minus hos ad ponenda arma, fœderumq; bono publico ineundas amicitias; quàm illos,ad obſequioſam promptitudinem,virtute ſuâ,adactura eſſet. Alii verò, quibus caſtra atque bella deteſtationi, Muſarum tranquillitas voluptati eſt, & harum,ex tuis incunabulis,uberrimum incremētum prævidebant: atq; jam tùm, faventiſſimo Tuo in eas affectu, plurimum in pellendo ipſarum ſqualore animabantur. Hiſce feliciſſimis ominibus,mundo naſcendum,virtus ipſa ſpectabat. Illuſtriſſimum namq; quoddam, Tui pectoris Hoſpitium, ſibi aperiendum, quo, proſcripta undique atq; pulſa,exilii miſerias ſolaretur,ar-

bitrabatur. Neq; falſa fuit: conceſſum eidem, quod peteret, eſſe, vultus ipſe, dum naſcereris, gratisſimus, ac virtute quaſi plenus loquebatur, quo non magis SERENISSIMOS PARENTES, quàm omnes TIBI ſubjectos, exhilarabas. Quorum oculi, à tam deſideratâ formoſitate, excludebantur, animos ii tamē, atque aures, hac ipsâ paſcebant. Ad Nominis ipſius perceptam CELSITVDINEM, apertis tripudiis jactabant, etiam in hoc GENEROSISSIMO BRANDENBVRGICAE ARBORIS SVRCVLO, novo germine ſuppullulaturum, amœnisſimum priſcæ Germanorum virtutis florē, qui maturo, divinæ pacis, fructu donaturus eſſet ſuum orbem. Ita & multam in GALEA, armisq; fortitudinem, & opulentisſimum, in togâ atq; PACE procuranda, honorem ſinguli ominabantur. Et adhuc certum illud omen tenent, modo ſupremum Numen (quod eo nomine ſupplices colimus) afflictisſimas Germaniæ res, aſpicere tandem dignetur: TVA equidem, ILLVSTRISSIME PRINCEPS, ea virtus, ut explendæ huic ſpei affatim ſufficiat. Eo quippe tenore, omnis peracta juventus eſt, ut adultæ maturitatis ſpeciem exhibeat. Non attigiſti dubium illud Herculis bivium; neq; enim hujus periculum, inſignis virtutis benignitas admittebat, quæ ſimul, ac, ſub primum naſcendi auſpicium, ILLVSTRE PECTVS eſſet ingreſſa, decus ſuum eidem aperuit, nec unquam deſerere ſtatuit, quam æternam ſibi legerat, ſedem. Ignoſcite

ſcite hæſitanti linguæ: ingenuâ voce dico, neſcire me utrum plus prædicem? Téne, CELSISSIME PRINCEPS, tanta hoſpite Illuſtrem, an virtutem tanto hoſpitio felicem? Tu eam, adverſus fortunæ injurias, clementisſimo affectu fovebas, illa TE opulentisſimis donis ditabat: Tu divinum ejus ſplendorem aſſerebas, illa, immortali fulgore, illuſtre Tuum decus augebat: Illa per TE, Tu per illam, periculorum ſecuritatem obtinebatis; ita ut neq; TE admisſæ hoſpitis, neque illam hoſpitii occupati pœniteret. Adeſte, adeſte, qvicunq; humanæ felicitati aſſerendæ, divinitùs eſtis præfecti; quod ſequamini, invenietis. Ita præparandæ mentes eorum, quibus ſubditorum mentes, olim devinciendæ ſunt. Virtutem ducem ſequantur priùs, quàm terrarum duces audiant. Huic obſequia præſtent, ut obſequium ſuorum civium obtineant. Non diviniori ſplendore illuſtres ſunt, quàm qui ab immortali virtutis luce refulget: Nunquam tam celſâ fortunæ ſublimitate evehũtur, quàm ſublimi virtutis celſitudine, ſupra terram conſcendũt. Ita, prout, quamvis alio ſenſu, Poeta jubet, ijs,

quos in ſpem ſtatuis ſubmittere genti,
Præcipuum jam inde à teneris impende laborem.

Atq; hunc dum tantâ curioſitate, SERENISSIME ELECTOR, in educando CELSISSIMO FILIO PRINCIPE ſuſcipis, avitum quidem ac patrium, ILLVSTRISSIMAE BRANDENBVRGICAE DOMVS, decus feliciter auges, ſed & felicitati tua-

rum gentium operaris. Hæc enim, quia TIBI cordi eſt, non vis eam, niſi digniſſimo poſt TE, (quod tamen ſerò evenire velit Deus) Rectori committi: proinde, quicquid virtutum VIRO PRINCIPI uſui eſſe, expertus ipſe diu eras, ejus omne peculium, comparare ſibi ILLVSTRISSIMVM FILIVM volebas. Neq; Ille viciſſim aut divinæ huic voluntati, aut tanto noſtro bono deeſſe viſus, promptiſſimâ mente, quæ dicebantur, accipit; ſcientiæ parandæ, confirmandæq; prudentiæ causâ, varios labores, variasque operas ſuſcipit: viarum difficultates nõ refugit: quicquid ubiq; & togatæ, & ſagatæ Virtutis occurrebat, ſub ductu NOBILISSIMORVM VIRORVM, qvorum ſpectatiſſima virtute ſemper comitatus incedebat, luſtrat, ac vigili mente reponit. Ita ubique ſuorum Amorem, Spem futuræ felicitatis, Virtutis Alumnum colebant, ac, quâ poterant, omnes veneratione proſequebantur: donec (quod æternum Dei beneficium venerabimur) feliciter redux ſuæ patriæ redderetur. Nunquam excidet diei illius memoria, quo primus, tanti adventus, nuncius ad nos perferebatur. Exultabat omnis Provincia, & vix capax erat ſui gaudii, quòd diu exoptatum vultum oculis uſurpatura eſſet. Sed immane quantum hoc ipſum gaudium augebatur, quòd TEcum unâ, SERENISSIME ELECTOR, ſalutandus eſſet. Nam & TVAE ſecuritatis diu anxia fuerat patria, quod non unius, undiq; imminentis, periculi ſævitiâ (cujus tamen memoriâ,

moriâ, præſentis ſolennitatis lætitiam turbare nolo) tentari eam timeret: & præſentiam TVAM res qvædam deſiderari videbantur, non quòd minus dextrè gererentur (non eam cenſendi licentiam ſibi ſumunt boni cives) ſed quòd, neſcio quomodo, illis, qui Dominum videre plurimum in rebus ſuis, neq; ſatis feliciter procedere, quæ oculis agantur alienis, dicunt, nimium fortasſis crederetur; eorum tamen omnium remedium, à tam deſideratâ præſentia ſibi pollicerentur omnes. Neſcio utrum Gemellorum ſidus, certisſimum felicitatis autorem, ſuo navigio ſperarent; an verò Solis, quamq; hujus filiam nonnulli autumant, Lunæ puram ſerenitatem, res ſuas ſerenaturam confiderent. Illud quidem certum erat, quemadmodum Sol luminis fons, cùm Lunam illuſtret, ſuum nulli, præter Deum, deberet ſplendorem; ita TE, SERENISSIME ELECTOR, celſiſſimum Decus, niſi Deo, nemini acceptum ferre, qvo tamen illuſtrisſimi Filii contineretur ſplendor, colligebant. Quin ulterius etiam ita ſtatuebant, non magis utriusque, quod diximus, ſideris claritatem, agris atq; frugibus profuturam, qvam VESTRAE SERENITATES noſtrum incrementum eſſent adjuturæ. Sed ô! quanta tam SERENAE ſpei objiciebantur nubila, cum morborum, quibus urgerentur CELSISSIMA CAPITA, ingrueret nuncius? Nunqvam tantâ caligine cœli immerſam faciem credo, quanto tunc luctu turbabatur gaudium Boruſſorum. Audiſſes miſerrimas

voces

voces, SERENISSIMARVM PRINCIPVM AC DOMINARVM, AVIAE atq; MATRIS: ILLVSTRISSIMARVM itidem VIRGINVM PRINCIPVM, FILIARVM atq; SORORVM; hinc tantillum gaudij concessum conqverentium; inde fatorum iniquitatem accusantium, quâ, quem vix monstrassent orbi, tam repentè repetitura essent. Scitis, quàm semper hominum animus, cœli sequatur temperiem, ita, ut ab hujus sive luctu, sive gaudio suos ordinet affectus: Et, quæ facies inferioris fuerit provinciæ, sub CELSISSIMORVM, qvasi siderum, horum nubilo, adhuc qværitis? Nimbosa, atq; lacrymarum squalens imbribus; fracta suspiria omne gaudium turbabant; ipsæ Dei ædes anxiis votis, pro Tantorum capitum incolumitate, passim gemebant. Atq; evicerunt ea Dei interminum amorem, ut sedatâ aliquantulum tempestate, serenior inceperit affulgere radius. Vidit tandem hujus luce, CELSISSIMOS HOSPITES suas subire portas, patria, qvorum utut ILLVSTRISSIMA SERENITAS, quibusdam adhuc nubilis impedita appareret, mox tamen purâ eam luce illustrandam confidebat. Non hæc Sabinorũ more dicuntur, sed eâ certissima opinione sustinemur, ubi hanc ingressus faustitatem, patria divinitus obtinuit, longo successu ad votum, qvod nuncupamus eo fine, prospera subsecutura. Stultâ olim opinione elatus SERVIVS Tullius, hoc adversitatis averruncandæ medium jactabat, quod, cum quâ diu

con-

confveviſſet, fortuna ad ipſum per feneſtram dilaberetur. Quæ fortuna? Levis illa fortè & inconſtans, quam umbram & auram vulgus; nihil, ſapientia dicebat. Dei bonitas eſt, quæ ſæpè nobis adfuit, nunc non deerit; hac freti, quæ volumus, certo ſperamus. Neque unquam ceſſabit noſtra devotio, quin cœlum defatiget, pro impetrando petito. Erit, erit, & brevi erit (Deus volet!) illud tẽpus, quo, pulsâ nube, clariſſima lux orietur, ac, quicquid vel bellorum tumultus, vel valetudo oppresſit, læto reficietur vigore. Eâ ſpe ſolito lætior, Academia Veſtra, ſi SERENISSIMIS oculis à me ſubjici poſſet, diu POTENTISSIMIS SVIS DOMINIS occurriſſet, & clementisſimum hunc acceſſum flexo poplite venerata eſſet, caput interim Roſis cincta atque Lauro: hanc namque ſuam ſecuritatem, iſtas delicias ſuas habet, neq; gaudere aliter novit. Inter Roſas vivere, felices ſaltem putabantur; Et iſta felix eſt, quia inter Illuſtrisſimum ROSAE BRANDEBVRGICAE florem, & nata, & nutrita, quam ſi ſpinæ pungunt, amœniorem oſtendunt, cum, inter has, florentisſima ſemper emineat. Neq; deerit, hæc modo, Deo benedicente, floreat, iſti Laureus ſecuritatis baculus, quo nixa virulentiam fortunæ ſuperabit. Palmam atque Myrtum manibus geſtaret; ſic fragrantisſimum, BRANDENBVRGICAE munificentiæ, poſteris commendatura favorem: nam & arborum odoratisſimam Myrtum, & Papyri loco Palmam fuiſſe didicit. Quid addam?


M ſper-

ſpernens omnia fortunæ blandientis lenocinia, fabuloſum illud Amaltheæ cornu calcatum opprimeret, ac ſola Clementisſimi affectus fiduciâ lætata, amœno virore tegeretur. Ea, ſi fieri poſſent, videretis SERENISSIMI DOMINI; nunc, quod unum posſumus, priſca illa DIVI FVNDATORIS monimenta, illuſtrisſimos munificentiæ teſtes, ac Muſarum omnem (quem coram videtis) exercitum exhibemus, qui ſi luſtratus fuerit, tot florentisſimæ ætatis germina, tot futuræ eruditionis fulcra, tot nobilisſimi ſanguinis ſemina; &, quod primò dicendum erat, dirutæ atq; moribundæ Germaniæ reliquiæ, quæ omnia pacato hoc ſalutis portu recepta, VESTRA, quam implorant, æternâ incolumitate lætantur, imò vivunt, occurrent. Occurrent, quos VESTER, DIVORVMQVE MAIORVM clementisſime favens affectus, hiſce docendis præfecit, qui, prout absque VOBIS ſe, ſuaq; jura ſalva eſſe non poſſe fatétur: ita, pro æterna veſtra felicitate, devoti ſupplicant cœlo. Ipſi parietes ſuo ſenio vacillantes quaſi, ac hiulci, &, quæ me gerit, cathedra lætitiæ ſumpto vultu, opem atq; auxilium à VESTRIS SERENITATIBVS, non minus petunt, quàm ſperant. Non jam Idæ ſuam rupem, Jovis ſedem; non Theſſaliæ ſuum nemus, Muſarum delicias, invident: poſtquam VOS, DEOS SVOS atq; AMORES, non abhorruiſſe ſuam ædem experiuntur. Quo ipſo quidem uti ſumma Imperatorum capita, quæ humilimis caſis, anguſtisſimisque ſæpe ſub-

ſubeundis portis ſe ſubmiſerunt, gloriâ exæquaſtis: ita immortalem clementisſimi affectus noſtris hiſce dediſtis teſtem. Cumq; nil aliud, quod pro tantâ clementiâ reponant, habeant, ea fata, POTENTISMAE DOMVI BRANDENBVRGICAE precantur, quibus D.O.M. ſuus honor, SERENISSIMIS ELECTORIBVS AC PRINCIPIBVS ſua felicitas, Muſis ſuæ ſedes, Civibus tranquillitas, Vrbibus vigor, Agris amœnitas æternum conſtet. Hiſce omnibus ſi liceat, VESTRARVM SERENITATVM ſervitiis devotam hanc linguam, atque cordis hujus ſacram ædem, non alio, quàm Auguſtisſimorum Nominum,

GEORGII WILHELMI
PATRIAE PATRIS
ET
FRIDERICI WILHELMI
MAXIMI PRINCIPIS.

impreſſo ſplendore illuſtrem, ſubmiſſus addo.



PANEGYRICVS
VI.

POTENTISSIMO ET SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO:
DOMINO
FRIDERICO WILHELMO,
MARCHIONI BRANDEBVRGENSI:

S. R. I. ARCHICAMERARIO ET ELECTORI,
BORVSSIAE, JVLIAE, CLIVIAE,
MONTIVM, STETINI POMERANORVM,
CASSVBIORVM, VANDALORVM,
CARNOVIAE ET CROSNAE IN SILESIA
DVCI:
BVRGGRABIO NORIBERGENSI,
PRINCIPI RVGIAE,
COMITI MARCAE ET RAVENSBERGI,
DOMINO RAVENSTEINI,
DOMINO AC NVTRITIO SVO MVNIFICENTISSIMO:
PRO FELICI REGIMINIS
AVSPICIO CONFIRMANDO
M. DC. XLI. XIX. NOVEMB:
DICTVS.

INVITATIO AVDITORVM.



Ta sunt Principum sortes, ut quocunq; tandem modo exerceantur, semper eorundem tempora, publicas Rerumpubl. fortunas tangant. Quemadmodum cœli, siderumq; motus nunquam, absq; inferiorum vicißitudine, apparent. Hinc si, Phœbo ridente, mundus omnis lætari videtur, eodem contra turbido, aut omnino abscondito, mœror hunc premit atq; tristitia: ita quoque & gaudium, & dolor Principum, vel tollit, vel ponit animos subditorum, ut, si SELENITEN lapidem pro Lunæ, cujus imaginem refert, incremento ac decremento, augeri minuiq; scribunt autores, eodē modo civium crescat ac decrescat gaudiū, prout

super

superiorū influit status. Cum namq; non Rectores tantùm, sed conservatores quoq; sint publicæ felicitatis, summi Principes, quænam istius amœnitas esse potest, his, quorum munere poßidetur, intra luctus nubila constitutis? Solem ereptum tenebræ, has verò dolor, luctus atq; metus insequuntur: ita, obscuratâ publica lætitiæ luce, tristis privatorum est facies. Tum verò, si capite languescente, membrorum omnium marcor est atq; consternatio; nunquam vigere videbis Reipubl. corpus, malè affecto, qui hujus caput est, Principe, quin, per omnia membra, diffuso dolore, languescere atque concidere vides. Ita proh dolor! superiori anno experta nostra Patria est, cum, supremi Dictatoris imperio, SERENISSIMVS AC POTENTISSIMVS PRINCEPS AC DOMINVS, DOMINVS GEORGIVS WILHELMVS, MARCHIO BRANDENBVRGENSIS, S. R. I. ARCHICAMERARIVS & ELECTOR, BORVSSIAE, JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, STETINI POMERANORVM, CASSVBIORVM, VANDALORVM, CARNOVIAE ET CROSNAE IN SILESIA DVX: BVRGGRABIVS NORIBERGENSIS, PRINCEPS RVGIAE, COMES MARCAE ET RAVENSBERGI, RAVENSTEINI DOMINVS, DOMINVS AC NVTRITIVS NOSTER MVNIFICENTISSIMVS, *nunc* BEATISSIMVS, *mortali hac statione evocatus, cœlestis aulæ proceribus jungeretur. Non, intra Augustissimam DOMVM, luctus hujus cladis terminabatur, sed undiq; prorumpens, ita omnium animos percellebat, ut singuli privatum tam duræ sortis sensum experirentur. Audiisses hinc fortißimum Principem, inde benignißimum Patrem; hinc justitiæ acerrimum vindicem, inde clementißimum*

 inno-

innocentiæ protectorem acerbißimè desiderari, &, quantum quisq; posset, tantum hujus jacturæ damnum plorare. Istæ scilicet erant squalidæ luctus tenebræ, atque aterrima caligo, quibus, cum luce, omne gaudium provinciæ eripiebatur. Ast dum, quæ Dei bonitas est, novus lætitiæ Sol oriens, SERENISSIMVS AC POTENTISSIMVS PRINCEPS AC DOMINVS, DOMINVS FRIDERICVS WILHELMVS, MARCHIO BRANDENBVRGENSIS, S. R. I. ARCHICAMERARIVS & ELECTOR, BORVSSIAE, JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, STETINI, POMERANORVM, CASSVBIORVM, VANDALORVM, CARNOVIAE ET CROSNAE IN SILESIA DVX: BVRGGRABIVS NORINBERGENSIS, PRINCEPS RVGIAE, COMES MARCAE ET RAVENSBERGI, RAVENSTEINI DOMINVS, DOMINVS ET NVTRITIVS NOSTER MVNIFICENTISSIMVS, *post plenariam Gubernationis Borussæ possessionem, pristina luce ac claritate omnium mentes illustrat, mox atræ luctus nubi pulsæ, lætior animus succedit. Hinc, quem tãtæ jacturæ compensatorem intuentur, eum luctus quoq; ac doloris abolitorem, venerantur omnes. Ita, post horridas noctis tenebras, cum aurora; aut, post tristem brumæ caliginem, cum Veris serenitate, nova gaudia, novumq; vigorem animis redire vides. Quod quidem quibus modis, sub auspicatißimum SERENISSIMI ingressum, omnes undiq; testati sunt, ipsa civitas ubiq; declamavit: neq; enim coerceri, intra pectoris angustias, tam effusum gaudium poterat, sed, prout ubiq; fructum uberrimum promittebat, ita quoq; nullibi non celebrabatur. Et reliqui sanè, quocunq; modo oculos ferire possent, curabant, Musæ verò literariæ, cum & ipsæ non*



minimam hujus lætitiæ partem sibi vindicent, quippe quæ felicissimum incrementum, à benigno SERENISSIMI hujus SOLIS influxu, sibi pollicentur, more suo, quod hinc conceperũt, gaudium soleñiter testaturæ, non pomposo splendore, sed devotâ mente peragent. Eo fine, SERENISSIMO SVO DOMINO, clementissimè annuente, horam 9. futuri diei Jovis, constituerunt, qua publicâ, in Auditorio Majori, gratulatione, sidus illud suũ, cœlitus exortũ, salutabunt ac venerabuntur. Huic solennissimæ festivitati, ut DOMINI, MAECENATES, PATRONI, FAVTORES, AMICI AC CIVES SVI præsentiam commodent, simulq; immensum illum, ac æternum regnorum omnium arbitrum, pro felicissimo ac inoffenso, initæ Gubernationis, successu, devotissimè orent, subjectissimè, submissè, officiosè, amicè invitant atq; rogant. Ita æternus nobis Divinæ Gratiæ Sol æternùm exoriatur! P.P. die Novembr. 1641.



QVi unus & Regnorum, & Regum æternus constitutor est, ac conservator, cujus infinita potestate Principatus atq; dominia stant, cadunt, adimuntur, conceduntur; quiq; Dominorum omnium supremus arbiter, atq; Regum Rector jus dicit, ac leges sancit æternas, DEVM TER OPT. TER MAX. immortalem, immensum, cujus clementissimo favore dum TE, SERENISSIME AC POTENTISSIME PRINCEPS AC DOMINE, DOMINE FRIDERICE WILHELME, MARCHIO BRANDEBVRGENSIS,

S.R.I.

S.R.I. ARCHICAMERARIE ET ELECTOR, BORVSSIAE, JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, STETINI POMERANORVM, CASSVBIORVM, VANDALORVM, NEC NON CROSNAE ET CARNOVIAE IN SILESIA DVX, BVRGGRABIE NORIBERGENSIS, PRINCEPS RVGIAE, COMES MARCAE ET RAVENSBERGI, RAVENSTEINI DOMINE, DOMINE AC NVTRITIE NOSTER CLEMENTISSIME, poſt Divi PATRIS, (qui utinam diuturnior recreator hominum, qvàm maturior cœlitum comes fuiſſet!) beatisſimum diſceſſum, ſibi DOMINVM conceſſum, hoc die, Academia ſubjectisſima, intra felicisſimas acclamationes & gratulationes, intuetur, eum, inquam, immortalem, immenſum tàm divini muneris largitorem, ante omnia devotisſimè veneratur, ac ſanctisſima pietate tantum beneficium colit. Si namq; & gentilium cœcitas, ex JOVE ſuo Reges eſſe, nec ullum majus diviniusq; donũ, regno, mortalibus contingere poſſe, accuratisſimè perſpexit; multò clariùs id noſtris mentibus, diviniori faculâ illuſtratis, conſtabit, ut nunqvam, absq; religiosisſima veneratione, illud bonum, ſine quo nullius boni fructus conſiſteret, ſint uſurpaturæ.

Te proinde, ſummæ Vniverſitatis Rector, hoc qvoq; nomine, decet hymnus & laudatio, & honor, & benedictio, & virtus, & gloria, in nunqvam terminandam ſeculorum perennitatem.

Tibi verò, SERENISSIME DOMINE, Celsisſimi hujus honoris uſurpationẽ, devotisſimæ ſubjectionis teſtandæ cauſæ, gratulatura Tua Academia,

quia

qvia paupertinam hanc, jejuni oris, eloqventiam tanto muneri destinavit, Agesilai, Lacedæmonum fortissimi, propono exemplum, qvi cum, paucissimo ac debilissimo instructus milite, adversus potentissimum Atheniensium, Corinthiorum & Thebanorum exercitum præliaturus, à patria mitteretur, maluit, qvantum fidei ac obseqvii huic deberet, clade ob impares vires imminente, ostendere, qvàm tenuitatis prætextu, qvodcunque de ipso patria officiosum, ac salutare sibi promitteret, detrectare. Et vide mihi uberrimum pietatis præmium! Suscipit ille bellum, gerit, & victor conficit. Quanquam longè ab hoc successu vota mea absint, qvi nunqvam eò temeritatis prolabar, ut eloqventiâ aliorum vincere gratulationes coner. Quin, ut liberâ voce loqvar, non tàm gratulandi, neq; enim id asseqvuntur meæ vires; qvàm dignam tanto Principe gratulationem afferri non posse, excusandi animo, locum hunc conscendi: nisi Tua, SERENISSIME, benignitas pietatem potiùs nostram æstimare, ejusdemque conatum, clementissimo affectu, perficere dignetur. Et ejus rei haud incerta spes firmatur, Augustissimâ Tuâ Præsentiâ; quam dum, inter gravissima ordinandæ Patriæ negotia, audiendis votis nostris clementissimè concedis, Optimi Imperatorum Trajani gloriam exæquas: cujus divinæ ac innumeræ virtutes, im̃ortali hac benignitatis laude, immane qvantum cumulantur, quâ militaribus occupationibus impeditissimus, tenuis tamen sortis

mulierculam ut audiret, moram, cum omni exercitu, patienter tulit. Et qvidni grandem hinc suam felicitatem Academia quoq; ominetur, postquam infimi ferè ac abjectissimi, temporum injuriâ, ordinis cliens, tantam DOMINI SVI atq; NVTRITII clementiam experitur? O quàm vellet, si per virium tenuitatem liceret, digno aliquo pignore, ejus beneficij signare venerationem! Ast qvoniam, præter literas, nihil à fortuna reliqvum habet, iis saltem, qvanto Tuas Virtutes cultu & proseqvatur, & prosecutura sit æternùm, orbi omni proponet. Neq; tamen, hoc etiam dum conatur, adeò temeraria est, ut vel immensum Virtutum Tuarum Decus, arctissimis præconii sui terminis includi, vel à tenuitate sua dignum, Tantâ Celsitudine, præconium proferri posse putet: Sed ita saltem fore suspicatur, ut, si Archimedis, tenui atq; fragili vitro, patentem illam, ac undiq; diffusam, cœli machinam comprehendêtis, æmula, maximam Laudum Tuarum compagem, intra angustos exilis orationis terminos, complectatur; non inclementiorem SERENITATIS TVAE animum, quàm Jovis oculum sphæræ conditor senserit, sit provocatura. Et sanè quid poterat aptiùs, Virtutibus Tuis declarandis assumi, qvàm aureum illud, tot lucidissimorum siderum, theatrum, in qvo qvicquid occurrit, suo splendore est illustre? neq; enim aliter Tua mens apparet, in qvâ qvot virtutes radiant, tot sidera coruscare videntur. Ignosce, SERENISSIME DOMINE, si dicendo non minùs, qvid virtutibus

TVIS debeatur, qvàm qvid ferre aures TVAE possint, considerare cogar. Omnis ea Summorum Capitum sors est, ut omnium freqventissimi, laudum suarum fiant auditores; sed & hoc, credo, cum divinitate commune habent, qvam ut virtutibus proximè accedunt, ita ejusdem quoq; honoris hanc quandam capiunt partem. Verum qvoniam cœlestium mentio semel facta est, liceat pulcherrimæ contemplationi diutius indulgere. Et ego quidem ita colligo, cum omnium Principum honor divinus verè sit, Tituli etiam nominisq; divini, ab ipso Deo, concessa comunione, cœlestem quoque, ac planè ab omni vulgo secretam, eorundem virtutem esse debere: ita ut, quemadmodum cœlum non situ modo, terrenis omnibus superius est; sed purissimâ qvoque simplicitate omnia vincit: sic ipsi quoque & virtutibus omnes supereminéant, & clarissima puritate illustrent. Neq; hæc à me, tanqvam homine umbratili, jucunda qvadam speculatione, qvæ interdum suaviter sibi blandiri, &, qvod libuerit, solet somniare, ita fingi qvisquam putet: imò ipsum Orbis Christiani Augustissimum Caput, Aeterni Honoris Imperatorem, CAROLVM V. pro me adduco, qvi illustrissimas sumorum Principum expressurus virtutes, commodissimum hunc, qvem diximus, typum exponit. Quid namq;, qvæ, à Sapientissima ejus mente profecta, seqvuntur, videntur? SATVRNVM supremi ordinis, at tardissimi motus Planetam, summus Prin-

ceps imitetur, qvi uti ſupremum inter homines obtinet, ita ſemper ſibi conſtet, nec niſi tardisſimis animi motibus mutetur. SOLIS verò benignitatem, diverſisſimis fortunis eandem, ita exprimat Princeps, ut infimorum juxta atq; procerum, opulentiæ atque inopiæ res eâdem curâ gerat, eodem amore proſeqvatur, foveat, juvet. Et ſicut SOLES obſcuratos, grandes rerum humanarum clades inſequi ſolent; ita, cùm ſummi Principes nunquam, absq; ſummo ſubditorum diſcrimine, peccent, ſtudioſiſſimè hoc iis cavendum ſuadet. Cæterùm ſummam Principum clementiam, diſtinctisſimo eventu, hujus qvandoque pertinaciam obfirmare, iſtius promovere bonitatem, haud ſecus dicebat, ac SOLE ipſo indurari alia, alia liqvere cernas. Sed & LVNAE efficacisſimos in inferioribus motus, quemadmodum ſolâ viciniâ produci ſentiamus, ita multum, in utramq; partem, valere Principum præſentiam; quâ quantum moveantur ſubditorum mentes, ſemper conſtat. Ita ſcilicet Sapientisſimus Imperator, ex cœli ſiderumq; meditatione, ſummas viri Principis virtutes exactisſimè deſignavit, cui ſi Te, PRINCEPS CELSISSIME, intueri contigiſſet, quàm illuſtrius ea omnia eluxisſent. Vidiſſet non eas, quas innuimus, ſed, quicquid ſupereſt clarisſimarum ſtellarum, in te lucere. Quas ſi, per temporis anguſtiam, oſtendere liceret meo ſermoni; quàm effuſiſſimè, in fulgidisſimo illo cœleſtis theatri campo, evagaretur, ac amœnisſimâ luce

omnia

omnia illuſtraret. Monſtraret, quacunque diffuſus, patentisſimus cœli globus, luceat,

Septentrione quod ſub algido nitet,
Quod Auſter igneus tenet.

omne id clarisſimarum Virtutum Tuarum exhibere imaginem. Ita videremus exactisſimi Tui, SERENISSIME, judicii regimen in CYNOSVRA & HELICE, indefeſſam pro tuis vigilantiam in DRACONE, perfectisſimam mentis venuſtatem in CASSIOPEIA, ſummum gubernandi meritum in CORONA ARIADNES, Heroicum virtutis impetum in HERCVLE, præſentisſimum oppreſſorum patrocinium in PERSEO, circumſpectum prudentiæ moderamen in AVRIGA, nativum DOMVS BRANDENBVRGICAE Decus in AQVILA, flagrantisſimum ſubditorum amorem in DELPHINE, generoſisſimam magnanimitatem in EQVO, &, ſi quæ alia, accuratis Septentrionis luſtratoribus, occurrant. Hinc verò ſi benignior Auſtri regio oculos, animumq; ad ſe raperet, offerret ſe, in armato ORIONE, videndam militaris Tua Virtus, in BALAENA gravitas, ac probè deliberata conſiliorum tarditas, in LEPORE promptitudo atq; velocitas rerum gerendarum, in CANE conſtantisſima fides, in ERIDANO munifica liberalitas, in ARGO navi literarum præſidium, in ARA religionis cura, in POCVLO ſobrietas, in THVRIBVLO devotisſima pietas, in CORONA deniq; AVSTRALI abſoluta omnium

Virtutum perfectio. Hasce illustrissimas stellas omnes, si more debito proponerem, quis se splendor Augustissimo huic Auditorio ingereret? Sed, missis iis omnibus, illum saltem, qui temporum Annorumque exactissimus moderator est, atque distributor, AVREVM ZODIACVM, magni illius luminaris æternum hospitium, lustremus, ac, quandoquidem ei rei dicatum hoc tempus, clementissimè voluit TVA SERENITAS, amœnissimâ ejus pulchritudine animos pascamus. Quod tamen dum fiet, illud ante omnia præmitto, aurei mihi Solis, qvi continuo siderum percursu in ZODIACO versatur, instar esse, eminentissimum, atque Sole omni illustrius, inclytæ DOMVS BRANDENBVRGICAE decus, quod tot annorum felicissimo decursu, nunquam extra hanc virtutum orbitam deflectens, non evanidam decem siderum lucem, sed æterno splendore relucentem, DECEM SERENISSIMORVM ELECTORVM, virtutem orbi universo produxit: quorum singulorum cœlestes virtutes recitaturus, facilè ostenderem, omnem astrorum splendorem obscurari; nisi in Te, quem VNDECIMVM DEI bonitas (ô diu faveat!) addidit, compendio qvasi facto, istarum omnium species reluceret. Et si non modò moderatissimâ temperie, anni vicem constituit, sed æquissimâ mensurâ, diem etiam partitur, primus reliqui gregis ductor ARIES; quidni primò omnium auream mediocritatem, perfectissimam virtutum completionem,

nem,

nem, absq; qua hæ, qvod ſunt, eſſe deſinunt, hoc notem? quâ felicisſimè animo imperans, nunquam vel nimium ei indulges, vel quicquam, Principe Viro indignum, permittis, ſed optimum rerum gerendarum modum conſtanter ſectans, tantum te ab errore, quantum ab extremo, abeſſe ſtatuis. Quod ut feliciùs cures, Deum ipſum, ne à medio tramite devies, ducem viæ poſcis, piiſſimâ ſymboli voce:

DOMINE FAC ME DISCERE VIAM, PER QVAM AMBVLEM.

Huic verò, quam arctiorem comitem, VIRIS PRINCIPIBVS jungas, Majeſtate, quâ non modo debitam ſibi à ſubditis venerationem obtinent, ſed & ſolidisſimè regnorum firmant fundamenta? quæ quantoperè vacillent, collapsâ Principum autoritate, quis ignorat? Hinc flammulas, imperantium capita lambentes, cœlitùs ſæpè viſas credo, ut ſingulari majeſtate, Principem populorum armaret Deus. Et eodem ordine, TAVRI illuſtre ſidus, in cœlis ſuccedit, cujus eâ mente metuendam frontem dixerunt, quod & aliàs robur, ac potentia, cornuum ſignó proponatur. Scilicet & Tuum, SERENISSIME, venerandum caput eſt, quod, poſtquam ſummâ inter nos Majeſtate divinitùs eſt coronatum, quisquis colere (abſit tamen ea ſuſpicio) noluerit, robur ejusdem, non citra extremam cladem, eſt ſenſurus. Neq; tamen, à ſummâ autoritate, Amorem boni Principes excludunt, quin quemadmodum, magnæ cœlorum,

terra-

rumque domus compagem, hoc uno fulcro ſuſtineri ſciunt, ita debile omnis majeſtatis faſtigium ſtatuunt, quod non Amoris fundamento nititur. Ad eorum indolem formata SERENISSIMA TVA MENS, non minus Amoris ſubditis præſtat, quàm venerationis ab his provocat. Et hoc illud auſpicatisſimum GEMELLORVM in Te relucens ſidus, quorum, & morte indivulſum, amorem, cœlo dignati ſunt priſci. Atq; ſi iſtud & SATVRNINIS, & MERCVRIALIBVS, & MARTIALIBVS deniq;, prout vocant, STELLIS illuſtre eſt, omnia iſta in Tuo amore clarius exprimuntur. Nam & firmisſimâ conſtantiâ, & clementisſimâ affabilitate, & fortisſimâ defenſione tuorum curam gerens, idem, quod Patris, Boni quoq; Principis munus cenſes. Porrò cum ea res regnum ſit, in quâ, quia nunquam impunè peccatur, nil temerè, nil præcipitanter, ſed prudentisſimè, quodcunq; ſuſcipitur, eſt agendum, ea ſolertisſima Tibi cura fuit, ut priſcorum retroſpiciens acta, præteritorum ſucceſſus, futurorum præſentiumq; moderamini applicares. Liceat hanc CANCRI retrogradientis, quandam imaginem vocare. AElianum, quisquis de hoc dubitas, adi, & non uno ſigno, Prudentiam in Cancro notari lege. Ad antiqua autem retroq; lapſa ſecula, Prudentiæ ſectatoribus recurrendum, vel Apollinis oraculo firmatur, qui Zenonem, de optimo prudentisſimoq; vitæ inſtituendæ modo, conſulentem, concolorem mortuis fieri jusſit. Obſcuro quidem, & qua-

& qualis hujus oraculi esse debebat, sensu, quem tamen, si evolvas, ad veterum monimenta evolvenda ablegatum, facilè vides. Ita quippe defunctis similem fore statuebat sapiens, si eorundem, quos postea, utilissimos Principum consiliarios, Alphonsus vocabat, familiaritate utens, mores ad eorundem præcepta formaret. Et quæ animi fiducia, absq; Prudentia Viro Principi adsit? Imparatum enim imprudentis pectus, ad singulos fortunæ ictus concidit, quos tamen benè præparata mens vel omnino declinat, vel prudentissimè excipit, intrepida certè semper fortunæ suæ occurrito. Et ea est magnanimitas, quæ solidâ prudentiâ nitens, Virum Principem, inter innumeras regnandi difficultates fortiter servat, ne curarum mole obrutus, concidat ipse, aut clavum manibus amittat. LEONEM hîc videte, cujus instar magnanimus Princeps, leviores fortunæ velitationes spernit, graviorem furorem fortiter vincit: nec tàm Leoninas cum Hercule exuvias, quàm Virtutes ubiq; ostentat. Quam quidem hæreditariam, ac privatam quasi TIBI virtutem quis dubitet, qui DIVI FRIDERICI PRIMI & plurimorum, PRIMVM Hunc Electoratus Brandenburgici usurpatorem, insequentium Heroum Celsissimam cogitet Magnanimitatem? Est ea æterna DOMVS BRANDEBVRGICAE gloria, & CICERONES, & ACHILLES ferratis dentibus procreare. A qua quidem verè regia virtute, quam longè absunt, qui magnanimos sese mundo probaturi;

turi; superbissima regnandi arrogantiâ, ruptis legum constitutionumque repagulis, pro lege libidinem sectantes, quà lubet, eunt, nec quicquam tam fœdum, tàm horrendum putant, quod ipsi non audeant! Sed ô boni! furor iste vester est, non magnanimitas, quæ quantum immotâ fortitudine, concessam dignitatem inter aspera tuetur, tantum moderatissimæ continentiæ ac modestiæ semper studet: ita ut non minus propè hæc isti adjaceat, quàm LEONIS feritatem, blanda in cœlis consequitur VIRGO. Neque enim boni Principes, privatorum tantùm virtutes esse, se non obligare statuunt, castitatem, modestiam ac sobrietatem: quin uti potentissimorum regnorum vastitates atque excidia, contrariis vitiis inducta sciunt, ita studiosissimo virtutum cultu, firmam securitatem suis terris afferunt. Non minus notum ac antiquum est, qui potissimi ad evertendam Rempubl. accedant. Id quia nosti, SERENISSIME, & privatæ & publicæ salutis tuendæ causa, jus dicis affectibus, intraq; rectæ sobriæque rationis contines leges. Et hoc quidem agens fortissimo omnium præcepto, exemplo proprio, subditis legum observantiam inculcas, ut, dum ipsi nil alienum iniquè cupiendum vident, aliis quoque non modo relinquant, sed tribuant etiam suum. Mihi sanè ita videtur, Justitiæ, quæ unica ac sola felicitatis humanæ mater est, primam atque maximam partem esse, nihil illiciti vel appetere, vel agere: ita quippe fore videas, ut nemo injusta sit passurus. Et hæc

hæc cœleſtis illa LIBRA, quâ ſi & virtuti, & ſceleribus ſuum appendatur, ſancta, cœloq́; affinia regna ſunt, cujus unicum opus eſt, æquali juſtitiæ tenore, rerum omnium ſervare incrementum: cum contra hàc ſi deſtituantur, verisſima ſententiâ nil, niſi magna ſint latrocinia, in quibus, quantum quisq́; poteſt, tantum nocet. Quæ tamen mens quàm longè à TE exulet, vel primo Regiminis Tui auſpicio teſtaris, quod nulla re alia illuſtrius cupis, quàm gravisſimorum, quæ juſtis querelis exponunt ſubditi, onerum abrogandorum curà (quam felicisſimo ſucceſſu proſperet cœli bonitas!) unde facile, quid metuendum ſibi, mali conjicere queunt, cum tam clarisſimè, quid bonis ſperandum ſit, oſtendis. Nam & Dei, & boni Principis in hoc quidem convenit Virtus, amare, juvare, tueri bonos; odiſſe verò, affligere, atq́; evertere deſperatam malitiam. Hinc cujus amorem, clementiam, atq́; bonitatem, verbis nunquam ſatis prædicari legimus, ejus furorem, Vindicisq́; iræ horrendam flammam, tam graviter proponi invenimus, ut alius fermè Judex Deus, ab eo, quem Patrem veneramur, videatur. Scilicet optimis quoq́; Principibus nociva SCORPII vis adeſt. Quærunt & ij, ex Prudentisſimorum Medicorum præſcripto, ab igne, ferro, & veneno, deſperatis morbis medelám: quam tamen, uti non, niſi in ſceleroſis, experiuntur, ita absq́; ea ſi esſent, neque juſtitiæ adminiſtrandæ, neque, quæ hinc omnino dependet, regni, ſuorumq́; ſaluti aſſerendæ,

dignè ſtudere posſent. Quod proinde ad Dei mentem formatus Judææ Rex, hoc in capite ſibi, propoſitum recenſet, omnes videlicet ſceleribus operantes, regni ſui finibus exterminandos: eandem TIBI curam futuram felices auguramur, nec ullius amore, ullius autoritate, ullius blanditiis, hanc TIBI mentem mutatum iri confidimus, quò non quidem à venenatis infectis, ſed, qui plus etiam his nocent, ſceleratis hominibus puræ ſint tibi terræ. Cum namq; ſemel omnis Tuæ poteſtatis eum TIBI præfixeris ſcopum, qui, tot fortisſimis Romanorum Heroibus, omni triumphali, glorioſiores impoſuit coronas, OB CIVES SERVATOS, nunquam oculus vel potius mens, quæ Tua perſpicacitas eſt, ab hac meta dimovebitur, ſed exactisſimos SAGITTARII mores imitans, ſemper eo collimabit, unde ſummum Imperantes honorem lucrantur. Eſt interdum ea fortunæ inſolentia, ut, & acutisſimè deliberata conſilia, multùm à ſcopo divertat, eludatq; optimè cogitata: ſed nunquam ea re percellitur Principis animus, quin, modò ſemel, quæ Romæ erat, ſibi legem ſupremam fixerit, POPVLI SALVTEM, obliquat quandoq;, ad levisſimum fortunæ impetum, ſin9, ác præteritorum emendatione perficit futura. Quanquam inter hæc omnia, neſcio, annon ea, quæ penè exciderat, Principis Virtus familiam ducat, quâ ſupremus ipſe cum ſit, infimorum quandoq; neceſſitatibus miſceri non detrectat, ſed benigno oculo ſupplicum intuens miſerias,
omnem

omnem ſuam potentiam, miſeriæ erigendæ impendit. Soli equidem, poſtquam CAPRICORNVM ingreſſus, humilimo tramite decurrit, nequicquam illuſtrisſimi ſplendoris, atq; lucis decedere videmus, quin longè gratisſimum brumæ tempore eundem experimur: nec alia laudatisſimorum Principum eſt, fortuna; quandocunq; à Celſitudinis ſuæ ſolio, ſeſe non nihil demittentes, oppreſſorum adverſitates traſtant, non modò illi CELSISSIMVM DECVS aſſecunt, ſed &, quantò magis deſcendunt, ſublimant, dum & amorem ſubditorũ fortius ſibi obſtringunt, & Dei ipſius, qui ſupremus cum ſit, infimorum tamen curâ tangitur, glorioſisſimi exiſtunt æmulatores. Quorſum hæc dicantur, SERENISSIME DOMINE, non tam mea vox, quàm certisſima omnium noſtrum ſpes indicat, quà uti omnes, ſummorum pariter atq; infimorum, curas, Deo idipſum VOLENTE, in Tuum ſinum deponimus; ita omnes ex æqvo à TE, SVO DOMINO ATQVE PARENTE ſuſceptum, &, quantum per temporum iniquitatem fieri posſit, geſtum iri ſtatuimus. Et ita nos jubet ſumma illa Tua benignitas, quam quoties antè & vultu, & verbis, & reipſa es teſtatus, toties nobis quidem, certisſimum optimæ ſpei ſignum, quaſi erexiſti; Te verò glorioſisſimum CELSISSIMAE DOMVS BRANDENBVRGICAE Hæredem docuiſti. Brevis eſſe cogor, adeoq; non longius progreſſus, DIVI AVI TVI, SERENISSIMI JOHANNIS SIGISMVNDI,

memoriam repeto, quæ cum plurimâ aliâ laude, tum inprimis benignissimâ Munificentiâ tam sancta est, ut nunquam absq; veneratione usurpetur. Hujus TE CELSISSIMVM NEPOTEM, & hac Virtute demõstrare perges, qui effusâ liberalitate, AQVARII instar, aliorum egestatem perpluens, novum vigorem atq; florem eidem reducas. Nam & ista non ultima Principum laus est, opulentia suâ subditos juvare, dumq; ipsi fortunis omnibus affluunt, providere etiam, ne Reipubl. aliquod deficiens membrum, ac tabescens, ad interitum inclinet, sed novo potius suffecto alimento, pristino restituatur colori. Verùm enimverò sublimioribus ista relinquens, quandoquidem emensus ferè sum meum circulum, quod ultimo loco, PISCIVM, occurrit, sidus subjungo, eodemq; cum nil aptius notari posse videatur, quàm religiosum arcanorum silentium, consiliorum omnium animam, tantoq; magis Principi necessariam Virtutem, quanto ipse Consiliariis reliquis omnibus superior; ne ipse, dum silentium tracto, nimium dicax, aut, dum consiliis Tuis me immisceo, temerarius arcanorum scrutator culper, non ulterius in laudum Tuarum cursu, qui & disertiores multùm, inque dicendi stadio versatissimos oratores maximè defatigabit, provehor, sed potius patriæ felicitatem, quæ summa isthinc oriri videtur, admiror. Ita namque plerumq; fieri videmus, ut puram cœli serenitatem, lætissima inferioris mundi facies sequatur, contra, turbido

bido isto, varia in hoc rerum omnium intemperies producatur. Et eadem Rerumpubl. vicissitudo, qvarum tranquillitas atq; incrementum, unicè à principum suorum dependet influxu. Si horum mentem divina virtutum lux serenat, rident, florent omnia: ast quamprimum vitiorum umbra interjicitur, mera Eclipsis ac caligo populum terret. Nunquam enim, absq; præsentissima subditorum peste, malignæ istæ nebulæ, virtutis lucem obfuscant. Ea, Ea lux est, PRINCIPES, quæ SERENISSIMORVM Vobis Titulum, vero elogio, concedit, quam Virtus illustrat, non quam purpura, aurum aliaque blandientis fortunæ lenocinia ostentant. Lusus hi sunt levissimæ sortis, qui &, dum illustrissimè splendent, occasui proximi sunt; nec unquam animum magis, quàm oculos feriunt, quibus simul ac excutiuntur, animo quoq; excedunt. At isti contrà revera Atlantes sunt, qui non in vertice, sed in pectore, omnem lucidissimarum virutum sustinent sphæram. Atq; hinc quidni lætetur TE, TANTO SVO PRINCIPE, cum universa Patria, Tua hæc Academia? quæ quò magis cœlestes Tuas virtutes cogitat, eo magis erepta quodam modo sibi, ad priscorum etiam seculorum, quibus siderum imagines dispositæ fuerunt, delabitur memoriam, ac certissima mente conjicit, si in ea tempora delata Tua Virtus fuisset, longè facilimè, præ NAVIS, CVRRVS, CINGVLI, aliisq; fabulosis nominibus, GALEAE, quam, felicissimo omine,

NO-

NOMEN TVVM exhibet, locum concessum fuisse. Sed ignosce, SERENISSIME DOMINE, summo affectui, quo sæpe immemores sui hominum mentes, ea dicunt, agunt, quæ, absq; hoc, vix veniam invenirent. Illud tamen revera, scio, credis, non effictâ illâ, superstitiosæ consecrationis, viâ, sed virtute cœlum teneri. Hâc qui procedit, felicissimè confesto itinere, nubes calcat atq; astra. Ac ita quidem DIVO PARENTI TVO contigisse, quis dubitet, qui indefessum Ejus, pro rerum divinarum humanarumque vigore conservando, studium; qui summam, pro tranquillo ac felici terrarum suarum regimine, curam non ignorat? Quorum omnium dum TE felicissimum Heredem intuemur, & Nominis, & Virtutum omnium, continuam succesionem in Te veneramur. Te suum Dominum, suum Præsidem, suum PATROCINIVM omnes reverentur, amant, colunt. Tuis Virtutibus, tanquam GALEA fortissima, tutas atq; tectas se fore sperant aræ, curiæ, scholæ, civitatum negotiationes, agrorum messes, & quæcunq; Provinciarum felicitas esse potest: Si namque ORCI GALEAM securos omnes præstitisse Historiæ testes sunt: Idem à TE sibi pollicentur Tui populi. SI PISANDRO, timidissimo homini, GALEAE majestas, tantum profuisse dicitur, ut multum terroris inimicis incusserit: Ea in TE, nostra GALEA, nobis spes, TVA Illustrissima Dignitate, omnem metum Tuis ademptum, inque hostes depulsum iri.
ABRA-

ABRADATAE, Perſarum Ducis, HYACINTHINAM GALEAM plurimi mirantur: Hyacinthi loco in Te, noſtra GALEA, devotisſima tua pietas erit, quæ, ad indolem generoſiſſimæ gemmæ, cœlum ſuum ſectatura, tutisſimum inde nobis præſidium procurabit. CONIDI, contra Miſos centurionis, GALEAM POCVLO, modo SVSCITANTI, modo REMITTENTI FLAMMAS inſignem invenio: Idem in Te noſtra GALEA aget, ſobria Tua atque prudentisſima moderatio, quâ & ſumere, & ponere juſtæ iræ flam̃am ſcies. CARIAE populos, GALLIS GALLINACEIS GALEAS ornâſſe referunt: Te, noſtram GALEAM, plurimùm ornat providæ mẽtis vigilantia, quâ ſalutis Tuorum curioſus, poſt diuturnos labores, noctes etiam inſomnes toleras. STRVTHIOCAMELI quoq; PENNAE, hoc fine GALEIS additæ leguntur, cujus quidem avis, ſi ex AEliano, accuratam, in pullis ſecernendis, indolem notes, quidni Tibi, noſtræ GALEAE, easdem tribuamus? qui eâ mentis polles prudentiâ, ut probè ſcias, quo loco boni atq; improbi habendi, ne ab his, iſtorum ſecuritas lædatur. GALLORVM præterea GALEAS CORALLIO conſpicuas notarunt: Te autem, noſtram GALEAM, non corallio, ſed flammanti amoris purpurâ, rubentem vident omnes, atque hoc unico, ab omni venenatisſimo hoſtium morſu, æternùm ſe tutos lætantur. Reliquas GALEAS MONSTROSIS FERARVM PELLIBVS INFAMES, atq; horridas,

hîc non recenſeo, quod iſtæ ad terrorem atq; metum gignendum, ſint effictæ: Te verò, noſtram GALEAM, amore potius, quàm, infirmo regiminum fulcro, metu colendum decreverunt omnes Tui. Cujus laudatisſimi propoſiti, uti gravisſimas cauſas divinæ Tuæ virtutes, omnium venerationem ultro provocantes, præſtant: ita illi nihil, quodcunq; conſtantisſimæ huic menti declarandæ inſerviat, unquam omittent. Vidiſti, SERENISSIME, ſub ipſum, lætisſimi in hanc urbem ingreſſus, tempus, ut omnia in novos applauſus animata occurrerint. Quid namq; pompoſus ille platearum, ædium, & hominum ipſorum apparatus? oſtendebant alii auro omni ſolidiorem, alii argenti candore puriorem fidem, alij verò ita feliciſſimæ omnis ſpei novum revireſcere florem, prout ſylvæ ipſæ ſuis ſedibus evulſæ, lateritiam atque fumoſam, vernanti atq; floridisſimâ, omnem civitatis faciem commutaverant. Vidiſti inquam, SERENISSIME, ea omnia, quod ſi verò declamari quoque eadem unâ voce potuiſſent; iſta ſimul audiiſſes: TVAE VENERATIONI, TVO AMORI, FRIDERICE HAEC SACRA SVNT. Magnificæ porro illæ arcuum, quos tranſibas, moles, quid aliud loqui tibi videbantur? quam; SALVE AMOR ac DELICIVM TVAE GENTIS! Ita felix, ſi fieri poſſet, ſingulorum pectora, non minore fidei, amoris ac devotionis ornatu ſplendida, ingredereris: nunc verò, quando id nobis teſtibus indicandum fuit, æternùm felix, æternùm potens, FAV-

FAVSTO SIDERE, SIDVS O BORVSSVM
ORBIS DELICIVM, HVC SVBI PRECAMVR!

Crede, DOMINE, iſtam, ſi non linguam, mentem omnis illius ſplendoris fuiſſe. Si namq; inter feras, & Cervi & Elephantis ea indoles eſt, ut, ille novilunii, hic Solis orientis ſplendorem, muta quidem, ſed devotisſima veveratione adoret: quidni TVA virtute inanimatis etiam machinis, venerationis atque cultus ſenſus fuerit inditus? Sole præſertim ipſo, quaſi præſentiæ TVAE Illuſtrisſimæ ſenſum perciperet, ruptis præter opinionem nubibus, ubiq; TE, cœlo cognatum ſidus, venerante? Aut, quod mirandum, de mali Perſicæ fructibus notant autores, in iis literas, nucleo ſerendo impreſſas, legi: idem hîc contigiſſe puta. Omnia iſta externi ſplendoris ſigna, fructus quosdam devotisſimi pectoris fuiſſe, qui, quod huic firmisſimè impreſſum erat, clarisſimè legendum propoſuerunt: AMOR, FRIDERICI WILHELMI. Atq; ea cum una omnium mens ſit, non aliam Academiæ Tuæ puta. Vincant iſtam omnes opulentiâ, ſplendore, fortunisq; aliis; plurimi generoſitate & dignitate, nonnulli etiam autoritate: fide certè & devotione nemo vincet. Accipe hujus rei arrham, SERENISSIME, non modo Rectoris Academici, Viri, Prudentia, Moderatione ac Perſpicacia, ita ad gubernandam Academiæ navim nati, ut, ſi parva magnis comparare liceat, à TE SVO SOLE, Illuſtrisſimarum Virtutum luce, tanquam Nova Luna, illuſtratus

refulgere videatur; ſed & reliquorum hujus Scholæ, ne tantillum ab hoc ſuo capite degenerantium, membrorum, ſubjectisſimam devotionem: quam quibus modis teſtentur, ex ipſis Muſis, ſi placet, clementisſimè accipe. Ita loqui mihi videntur:

SALVE. SEPTEMVIR. INCLYTE. DVX.
BORVSSORVM.
SALVE. SPES. PATRIAE. SALVS. BONORVM.
LIBERATOR. OPPRESSORVM. OPPRESSOR.
INIQVORVM.
BRANDENBVRGIACAE. LAVS. MAGNA.
STIRPIS.
FELICES. RVRSVS. TE. REGENTE.
MVSAE.
ET. GAVDIO. OVANTES.
LAETVM. PAEANA. CANVNT.
SIS. FELIX. SIS. POTENS. FRIDERICE.
WILHELME.

Et lætum iterant:

SIS. FELIX. SIS. POTENS. FRIDERICE.
WILHELME.

Nec dubita, cœlum ipſum, ut robur dictis ſit, iis acclamare:

SIS. FELIX. SIS. POTENS. FRIDERICE.
WILHELME.

Ita votis, quod donis nequit, peragens, omnia iſta complectitur, quæcunq; & FELIX & STABILE domini-

minium reddere queunt: nec unquam eo nomine cœlum venerari deſinet, ut, quem nunc DIVINA GRATIA, REGIO CONSENSV, PROPRIA VIRTVTE, inter feliciſſima auſpicia, ac lætisſima populi tripudia, imperium ſuſcipere gratulatur, huic ea perpetuo cœlitus oriantur tempora, quæ inter feliciſſimam tranquillitatem, & tranquillam ſecuritatem, ac ſecuram opulentiam, ac opulentam felicitatem, æternum hoc gaudium conſervent. Hoc verò ut feliciùs contingat, id Virtuti TVAE robur precatur, quod, cum flore ætatis, validiſſimo incremento provectum, quæcunq; regnorum atq; populorum, ruinas interitumq; accerſere ſolent, feliciter ac fortiter opprimat. Atq; ſic, ut TE OPTIMO PRINCIPE, quàm diutisſimè frui posſit, novo iterum, ut Numæ temporibus, incremento annos menſesque augeri optat, quo non niſi, quàm tardisſimè, inter aſtra, quorum illuſtrisſimus æmulator exiſtis, TE & annis & honoribus maximè ſaturum, reſplēdere cernat. Hisce omnibus ſi quid muneris addendum eſſet, illud unum votis omnibus expetit, ut SERENISSIMAE TVAE MENTI, ſpeculum aliquod fulgentisſimum proponere liceat, ex quo ſummus ille dolor, tam clarisſimè eluceat; quàm gravisſime ipſam premit, nil dignum Tanti principis Virtute offerri poſſe. Nam & hæc ipſa, quam immortali TVO HONORI dicavit, oratio, ab eo Eloquentiæ, quæ ſemper floridas atq; amœniſſimas eligens ſedes, nunquam inter mi-

ſerias, & egeſtatem felix naſcitur, ſplendore, quem TVA SERENITAS requirit, longisſimè abeſt. Verum enim verò, quod ſummis capitibus familiare ſcimus, non minorem lætitiæ ſenſum oriri iisdem, ſi oppreſſam afflictorum ſortem, quàm opulentisſimorum felicitatem, clementisſimè reſpiciant, atq; juvent; quemadmodum non minor humi repentium fragorum atq; violarum, inter herbeſcentia nemora, quam Cedri, Cupreſſi, Palmæve, intra cultisſimam hortorum ſuperbiam, eſt voluptas: idem de TE, SERENISSIME, nunquam TIBI ſe, quia miſerior ſit aliis atq; abjectior, ingratiorem fore, ſibi pollicetur; quin ſi opulentiſſimorum commodorum promisſione, Clementisſimum TVVM affectum alii impetrarunt, hæc ſola miſeriæ ſuæ commemoratione, idem obtenturam ſe confidit. Tu modo, SERENISSIME DOMINE, benefici Solis inſtar fovere ne dedigneris, hoc tot DIVORVM ANTECESSORVM curis conſitum, propagatum, ac felicisſimè provectum, Academiæ germen. Recordare clementiſſimè, viventium omnium, benignisſimum nutritium calorem eſſe: ac proinde, quæ inter lethalis frigoris rigorem, animam agere videtur CLEMENTIA TVA animatam, ſuo reſtitue vigori Muſas. Serva æternum eum DIVORVM ANTECESSORVM honorē, quo veriùs longè, ad eorum felicisſima veſtigia, templa, Scholæq; conſurgere ſemper viſa ſunt, quàm Jovi & Junoni recubantibus, flores terram ſubmiſiſſe, fabu-

losè

losè notatum invenimus. Sed pluribus forſan iſta petimus, quæ ultrò TVA Virtus nobis pollicetur. Ita quidẽ præſagire animus videtur, poſtquam in FLORIDISSIMO TVO VVLTV, & PATRIAM prudentiam, & AVITAM munificentiam, & univerſum, BRANDEBVRGICARVM VIRTVTVM, lumen intuemur. Quarum illuſtrisſimum decus, ne rudi lingua ulterius profanetur, operam dabo. Ac ſi D.O.M. devotisſimus cultus, religioſo ſilentio abſolvitur: TE quoq;, Dei inter nos VICARIVM, eodem modo venerabor, non dubitans, etiamſi plura, quàm debui, dixerim, longè tamen plura dicturum me eſſe, ſi intra hanc Tui admirarionem devotus conticeſcam.



PANEGYRICVS
VII.

GEORGIVS. WILHELMVS. PRVDENS.

MARCHIO. BRANDENBVRGENSIS.
S.R.I. ARCHICAMERARIVS. ET. PRINCEPS. ELECTOR.
BORVSSIAE. JVLIAE. CLIVIAE. MONTIVM.
STETINI. POMERANORVM. CASSVBIORVM.
VANDALORVM.
IN. SILESIA. CROSNAE. ET. CARNOVIAE.
DVX.
BVRGGRABIVS. NORIBERGENSIS.
PRINCEPS. RVGIAE.
COMES. MARCAE. ET. RAVENSBERGI.
DOMINVS. RAVENSTEINI.

POST-

POSTQVAM.
POPVLIS. SVIS.
PARTIM,
PACE. OPPORTVNISSIMA. TRANQVILLATIS.
PARTIM,
INTER. COMMVNEM. GERMANIAE. RVINAM. AB.
INTERITV. SERVATIS.
OMNIBVS. VERO. ET. SINGVLIS.
PRVDENTISSIME. GVBERNATIS.
FORTVNAM. CONSTANTISSIMA. FORTITVDINE.
AFFECTVS. INCREDIBILI. MODERATIONE.
MORTEM. IMMOTA. FIDE.
FELICISSIMVS. VICTOR.
SVPERARAT.
ORATIONE. FVNEBRI.
LAVDATVS.

Programmatis Invitatorii locum explebit, subsequens Intimatio, in funestissimis MAGNI PRINCIPIS Exequiis proposita.

SERENISSIMO, AC POTENTISSIMO
PRINCIPI, ET DOMINO,
DOMINO
GEORGIO WILHELMO,
MARCHIONI BRANDENBVRGENSI;
S. R. I. ARCHICAMERARIO ET PRIN-
CIPI ELECTORI,
BORVSSIAE, JVLIAE, CLIVIAE,
MONTIVM, STETINI POMERANORVM,
CASSVBIORVM, VANDALORVM,
CROSNAE ET CARNOVIAE IN SILESIA
DVCI:

BVRG-

BVRGGRABIO NORIBERGENSI,
PRINCIPI RVGIAE,
COMITI MARCAE ET RAVENSBERGI,
DOMINO RAVENSTEINI,

DOMINO SVO AC NVTRITIO
QVONDAM MVNIFICENTISSIMO, NVNC
BEATISSIMO,
EXEQVIAE SOLVENDAE,
CIVIBVS ACADEMICIS INDICVNTVR,

FVnestus, ater, atq; nocte omni obscurior hic dies, inter grandem luctum ac squalorem, mugienti undiq;, per tot Provincias, campanarum sono, EIVS FVNVS, qui, ne funus crudelissimarum manuum tot essent homines, prohibuit; qui, si potentiam spectes, unicum publicæ, inter suos, felicitatis columen fuit atq; robur; si indefessam curam, atq; solicitudiné, fidissimus populi sui pastor ac custos; si clementissimũ erga suos affectũ, com̃unis quidam omnium Nutritius ac Parens, &, ut verbo res constet, qui mortalis, inter nos, Deus, tot populorũ res & necessitates gessit, juvit, tutatus est, SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS ET DOMINI, DOMINI GEORGII WILHELMI, MARCHIONIS BRANDENBVRGENSIS, S. R. I. ARCHICAMERARII & PRINCIPIS ELECTORIS, BORVSSIAE, JVLIÆ, CLIVIAE, MONTIVM, STETINI POMERANORVM, CASSVBIORVM, VANDALORVM, CROSNAE ET

CARNOVIAE IN SILESIA DVCIS: BVRGGRABII NORIBERGENSIS, PRINCIPIS RVGIAE, COMITIS MARCAE ET RAVENSBERGI, RAVENSTEINI DOMINI, DOMINI ET NVTRITII QVONDAM NOSTRI MVNIFICENTISSIMI, indicens, quo dolore exigendus ſit, nulla vox, nullus calamus aſſequitur. AEgypto parum erat, terram omnem luctu, Regis defuncti, complere, cœlum ipſum clamoribus reſonabat, ita, absq; rectore palantium, inconditus erat planctus, ut nullibi reſtare, miſero Regno patronus videretur. Perſis, ultra omnem luctus modum, progreſſa, nec ſacris parcebat, dum æternum, ac Regni ſuperſtitioſum cuſtodē, IGNEM extinguebat, quaſi, Regio extincto ſplendore, quicquam in regno ſplendeſcere nefas eſſet. Spartanâ conſtitutione, poſt denunciatam, per equites, Regis mortem, quæcunque acerbisſima luctus forma inveniri poſſet, concedebatur, cui nec nox, nec dies quietem afferebat. Neq; tamen, paganos iſtos ritus, dolori ac lachrymis exprimendis, hac vice adhibemus: ſed, quo ſanctior, atq; gravior, lugendi cauſa exiſtat, en Dei voce intimatum luctum: VLVLA ABIES, QVIA CECIDIT CEDRVS! Adeò grandis clades eſt, ut, ſi fortè ea quorundam durities ſit, atq; immota animi pertinacia, quæ nullo humanitatis ſenſu flectatur, divino tamen impetu perculſa, juſtas lachrymas fundat, ac lamenta. Cecidit ergo CEDRVS NOSTRA, quæ Celſitudine ſua Illuſtrisſima, vigore atque amœnitate felicisſima, fructibus opulentisſima, atq; ſalu-

ber-

berrima hucusq́; fuit! CECIDIT CEDRVS NO-
STRA, quæ & magnanimâ virtute, ſuorum robur;
& ſaluberrimis conſiliis, medicina; & clementisſi-
ma amœnitate; voluptas gentis ſuæ oppreſſæ exſtitit!
CECIDIT CEDRVS NOSTRA, quam &, ob po-
tentiam, metuebant; &, ob clementiam, amabant;
&, ob celſisſimum patrocinium, colebant; cum ſuis
omnibus, vicinæ quoq́; terræ! Cecidit CEDRVS
NOSTRA, tanto, ut breves ſimus, Cedro omni ſub-
limior, quanto ſumma mundi capita, plebejas atq;
vulgares animas ſupereminent: quæq́; ad Cedrum
nullam comparanda eſſet, niſi & ipſa, arborum quæ-
dam quaſi Princeps, atq́; caput haberetur. Si namq́;
celſisſimo locati gradu Principes, omnib9, quos ſub-
jectos ſuo imperio regunt, ſublimiores exiſtunt; quæ
aptior eorundẽ, quam CEDRVS, & ipſa omni arbo-
rum genere celſior, imago eſſe posſit? Atq́; hinc, ô mi-
ſeros nos, tantæ Celſitudinis virtute orbatos! Neque
enim ad eorum morem, formarat mentem DIVVS
ELECTOR, qui vel procerâ corporum ſtaturâ, ma-
jeſtatem Principum juvari; vel fortunæ ſuperbiâ, aut
ſplendore, ſuſtineri eandem putant: ſed, ſolam ani-
mi magnitudinem, atq́; ſublimitatem, ſolidisſimum
iſtius eſſe fundamentum ſtatuens, ita animo ſemper
erecto videbatur atq́; excelſo, prout naſcendi ſorte,
reliquaque omni fortuna, aliis ſublimior erat. Hanc
enim dignisſimam, viro Principe, virtutem, quâ &
adverſus dolorem, & voluptatem firmetur animus,

 èStoi-

è Stoicorum principe, quem jam olim familiarem sibi reddiderat, sciebat,

Regium, dicente, *hoc ipsum reor,*
Adversa captare; quoq; sit dubius magis
Status, & cadentis imperI moles labat;
Hoc stare certo preßius fixum gradu.

Quâ quidem gloria adeo illustris, inter turbatissimum, proh dolor! regiminis statum, semper fuit, ut sibi dictum putaret, quod alibi idem præcipit: *Principis est, supra omnia, quæ contingunt, eminentem esse, imperturbatum, intrepidum, asperis blandisq; pariter invictum.* Quid namque aliud loquitur, Heroica Symboli vox:

A COEVR VAILLANT RIEN IMPOSSIBLE?

Ita, dum, fortuna etiam omni, superior Princeps est, ad summam Dei celsitudinem, cujus inter mortales quandam gerit imaginem, paulatim evectus, dignè mortalibus præest. Cui quidem firmando, non Oratoris Romani, Deo similes, quotquot affectibus, & fortunæ imperant, prædicantis; Sed Dei ipsius adhibemus edictum, conceptis verbis, Deos, Principes ac Reges nominantis. Iterum CEDRVS hoc loco occurrit, cujus ligno plerumque, Deorum imagines, à prisca superstitione, expressas invenimus. Sed quò veriùs Dei imaginem, in bono Principe, apparere videmus: eò clariùs, in DIVO GEORGIO WILHELMO, eluxisse eandem sumus experti. Cum namq;, præter infinitam potentiam, summa Deitatis

vis

vis ſit, miſeriis omnium ex æquo ſubvenire, nonne
Hic, com̄une omnium, ſolatium erat, quò quisquis
refugeret, quantum fieri poſſet, levamen inde ſentie-
bat? Si tamen atrocisſimâ temporum injuriâ, beni-
gnitatem ſuam vinci videret, proindeq; laborantes
ſuorum res, reſtitui non poſſent, affectu ſaltem nun-
quam eos deſtituebat: ſed is conſiliorum omnium
ſcopus erat, quo, ſi non terminus, modus ſaltem fie-
ret miſeriarum. Et hæc ſumma Principum Celſitu-
do eſt, ſi Majeſtate, ſupra omnia, evecti, Clementia ta-
men & benignitate, humilimis etiam non ſubtrahan-
tur: quod expreſſuri Auguſtisſimi Imperatores, A-
quilam fulmini inſidentem, Oleæ ramo addito, pro-
ponebant. Scilicet, nunquam, abſq; bonitate, po-
tentia utitur Deus, quin &, dum nocere videtur, pro-
deſt! Talem verò SVMMO PRINCIPI mentem
fuiſſe, quid mirum, ſi CELSISSIMOS MAJORES,
ac STIRPEM, quâ natus eſt, ILLVSTRISSIMAM
exactius luſtremus. CEDRVS enim, quò ſublimior
creſcat, celſiſſima montium juga, in quibus felicisſi-
me ſuccreſcit, eligit; & ſimili modo, ut excelſior GE-
ORGII WILHELMI magnitudo eſſet, DOMVS
BRANDENBVRGICA, ejus ortui deſtinabatur.
De quâ quicquid dixero, longè, infra ſuſpiciendam
ejus Celſitudinem, ſubſiſtet. Illud certisſimum con-
ſtat, quæ ſingulorum imperiorum aut ſolidisſima
fulcra, aut ſuperbisſima ornamenta eſſe ſolent, ea o-
mnia adeò, in hâc una, accumulata eſſe, ut eorum re-

censionē si aggrediar, nil aliud suscipere videar, quàm si, celsissimi cujusdam montis apicem conscensurus, longè citiùs anhelo nisu defatiger, quàm evehar. Tot enim seculis inconcussus hic mons, Majestate sua, plurima orbis regna supereminuit, ut & amœnissimo vigore, oblectationis plurimum; nec minus præsidii, firmissimâ potentiâ præstiterit. Ac si, montium objectu, aquarum inprimis furorem sisti novimus: quis effusam, undiq; irrumpentium armorum, sævitiem, BRANDEBVRGICA VIRTVTE, tanquam validissimo aggere obstante, sæpius repressam fuisse nescit? Nomina adderem, nisi omni orbi adhuc, religiosissima eorundem memoria esset, qui & hodiè fortitudinem eam, non absq; horrore, recordatur. Et quid, nisi diu actum, agerem, si aut FERRATVM FRIDERICVM, aut ACHILLEM GERMANICVM ALBERTVM, aut qui,

rexit dictis animos & pectora mulsit,

CICERONEM GERMANICVM, JOHANNEM hîc prædicarem? Vnicum præterire nefas videbatur, quo CEDRI laus plurimum augetur, sed illustrior DOMVS BRANDEBVRGICAE gloria resplendet. Libani montis nobilissimam CEDRVM esse, ita Dei verbum firmat, ut hanc construendo primo, omnis divini cultus, sacrario potissimum adhibitam, testetur: Et quidni divinus, DOMVS BRANDEBVRGICAE Mons videatur, qui, inter primos ferè, doctrinæ Evangelicæ rigatus imbre, amœnissimo post-

postmodum decore floruit? Arcadiæ mons, Lycæus, hoc loco occurrit, qui nulla magis laude celebris legitur, quàm omnibus inaccessâ Jovis arâ. Et tamen quis non, ita perenniorem, ut veriorem, gloriam DOMVI BRANDEBVRGICAE accessisse fateatur, cum JOACHIMI II. constantissima pietate, DOMINI Mons fieret, in quo absconditum illud, omnique hominum menti inaccessum, divini verbi Mysterium succresceret, atq; propagaretur. Ita ex CEDRO CEDRVS, uberrimo incremento renascens, æternum DOMVS BRANDEBVRGICAE fastigium ornat, quod, quo difficilius assequi nobis licet, eò cautius, antequam præcipitium, summa petentibus, immineat, circuimus. IN CELSISSIMA HAC DOMO natus, cui nunc, inter lachrymas & suspiria, justa funebria solvuntur, DIVVS ELECTOR, GEORGIVS WILHELMVS Anno M.D.XCV. 3. Novembr. S.V. Coloniæ ad Svevum, SERENISSIMOS PARENTES AVOSQVE, hac serie numerat:

PATREM.	*MATREM.*
JOHANNEM SIGISMVNDVM, MARCHIONEM BRANDEBVRGENSEM, S.R.I. ARCHICAMERARIVM ET ELECTOREM. &c. &c. &c.	ANNAM, MARCHIONISSAM BRANDEBVRGICAM, DVCEM BORVSSIAE &c. &c. &c.
AVVM.	*AVVM.*
JOHANNEM FRIDERICVM, MARCHIONEM BRANDEBVRGENSEM, S.R.I. ARCHICAMERARIVM ET ELECTOREM. &c. &c. &c.	ALBERTVM FRIDERICVM, MARCHIONEM BRANDEBVRGENSEM DVCEM BORVSSIAE &c. &c. &c.

PROA-

PROAVVM.	*PROAVVM.*
JOHANNEM GEORGIVM MARCHIONEM BRANDEBVRGENSEM, S.R.I.ARCHICAMERARIVM ET ELECTOREM &c.&c.&c.	ALBERTVM SENIOREM, MARCHIONEM BRANDEBVRGENSEM, DVCEM BORVSSIAE &c.&c.&c.
ABAVVM.	*ABAVVM.*
JOACHIMVM II. MARCHIONEM BRANDEBVRGENSEM, S. R. I. ARCHICAMERARIVM ET ELECTOREM &c.&c.&c.	FRIDERICVM, MARCHIONEM BRANDEBVRGENSEM, QVI AVITIS FRANCONIAE FINIBVS PRAEFVIT. &c.&c.&c.
ATAVVM.	*ATAVVM.*
JOACHIMVM I. MARCHIONEM BRANDEBVRGENSEM, S.R.I. ARCHICAMERARIVM ET ELECTOREM &c.&c.&c.	ALBERTVM, MARCHIONEM ET ELECTOREM BRANDEBVRGENSEM, ACHILLEM GERMANICVM, &c.&c.&c.
TRITAVVM.	*TRITAVVM.*
JOHANNEM, cognomine MAGNVM, CICERONEM GERMANICVM, MARCHIONEM BRANDEBVRGICVM, S. R. I. ARCHICAMERARIVM ET ELECTOREM &c.&c.&c.	FRIDERICVM, MARCHIONEM BRANDEBVRGENSEM, PRIMVM EJVS FAMILIAE ELECTOREM, BVRGGRABIVM NORIBERGENSEM. &c.&c.&c.

Sic ergò cum, omni CEDRO amœnius, pullularet, ILLVSTRISSIMVM HOC GERMEN, illud ſimul maximè mirabile videtur, quod rara cœli bonitate paucisſimis contingit, SERENISSIMI PROAVI oſculo exceptum, atq; ſalutatũ Illuſtrisſimum PRONEPOTEM. Quam uti ſum̃am divini muneris felicitatem, SERENISSIMVS ELECTOR JOHANNES GEORGIVS, devotisſimâ mente, æſtimavit: Sic gratisſimo ore, lachrymis etiam, præ gaudio erumpentibus, perfuſus, prædicavit, cum immota hac ſpe

fretum

fretum ſe diceret, non defuturam huic muneri cœleſtem gratiam, quin, quos præſentes, tres Imperii Romani Electores Brandeburgicos, Ipſe QVARTVS prævideret, ſingulos, ſuccedente ſerie, ſceptrum illud Imperii geſturos. Quod etiam devotisſimum omen, feliciſſimo ſucceſſu fuit firmatum. Sed & publicum gaudium ſi ſpectes, quot ſimul gentium, cum hoc HEROE, enatam lætitiam putas, quæ omnes, novos confirmatæ felicitatis fructus, uberrimè ſperabant? Cui ſpei, ut eò magis ſatisfieret, prima SERENISSIMORVM PARENTVM cura erat, ut divino fonte rigata CELSISSIMA PROLES, feliciori incremento ſuccreſceret. Deſtinabatur tanto operi XVI. Novembr. St. V., qui novæ felicitatis auſpex, præter tot POTENTISSIMORVM HEROVM, cœli familiam, nato PRINCIPI addebat, dum DEVM PATREM ipſi conciliabat. Ita namque ſcimus, quotquot ſanctisſimo Baptiſmi Sacramento initiantur, ſublimiori, terrenis ſceptris omnibus, generatione renaſci, gratamq; Deo prolem eſſe. Hinc patriâ Dei gratiâ, magis magisq; compluta pectora, eâ amœnitate effloreſcunt, ea fœcunditate diteſcunt, ut omnium voluptas atq; amor exiſtant. Si namq;, inter naturæ miranda, fontis cujusdam ea felicitas eſt, ut, quodcunq; rigarit, fœcundet: longè divinior hujus, in producendis virtutibus, fontis vis apparet, qui, novi Nili inſtar, non AEgyptum, ſed, AEgypto omni ſicciores, mentes irrigans, nova fertilitate beat. Cæterùm,

rùm, cum optimè ſcirent MAGNI PARENTES, cui rei ILLVSTRISSIMVM FILIVM ipſa naſcendi ſors deſtinaſſet, tot ſcilicet hominum terrarumq; ſaluti, ſuo tempore dirigendæ ac ſuſtinendæ, ne imparatus tantum munus accederet, quodcunq; felicisſimæ, ac exactisſimæ Principum educationi ſervire poterat, ſolertisſimâ cura adhibebant. O felicisſimam curam! O divinum conſilium! Ita namq; mihi videtur, omnis educationis vis ſe habere, ut Indorum quorundam pecora; quæ herbis, liquido melle cœlitus rigatis, paſta, jucundisſimum & lactis, & carnis eſum ſuis populis præſtant. Scilicet neque aliter vita omnis, ſuavisſimo virtutum lacte, ſaluberrimoque conſiliorum fructu abundare videtur, poſtquam juventus ejusdem, melleo quaſi inſtitutionis pabulo, eſt uſa. Quod quidem cum omnium, tum Principum, adoleſcentiæ probè colendæ, tantò magis neceſſarium, quantò graviùs, ſi quid hic peccatum ſit, ejus damnum ſentitur. Neque enim unius hominis, ſed tot capitum, tot Provinciarum educatur felicitas atq; ſalus. Quæ tamen dum ſcribimus, non ignoramus virtutem impetus quosdam, ab EXCELSIS ET ILLVSTRIBVS naturis, ſumere; ſed ſaltem perficienda eadem, doctrinæ atq; educationis beneficio, videtur. Neq; enim eorum nobis probatur ſententia, qui, tanquam indignam Viro Principe curam, ita literarum omne commercium ei interdicunt, ut & ſaluti publicæ officere, literatos Principes dicant.

Qui

Qui tamen dum ita ſentiunt, ſi minimam ſenſus partem ipſi tenerent, nunquam tàm brutam, pecoreque, quàm homine, digniorem emitterent vocem. Omnis proinde ſeculi ſummos Monarchas, diviniori mente æmulati, CELSISSIMI PARENTES, non modo nobilitate generis, ſanctâ morum venuſtate, ſed & literis, ac eruditione maximè inſignes Viros, PRINCIPI SVO FILIO præficiebant, quorum ſapientisſimo ductu, ſaluberrimisq́; monitis, HEROICA INDOLES futuræ potentiæ præpararetur. Et horum cum omnium laudatisſimam curioſitatem, tum imprimis, qui à ſtudiis domi dirigendis peregreq́;, ubi, inter ſummam omnium admirationem, vivebat SERENISSIMVS HIC NOSTER, EIDEM fuerat, VIRI & CIVILI PRVDENTIA, & AMOENIORI LITERATVRA EMINENTISSIMI, JOHANNIS GAVVRONIS, ſolertisſimam fidem, Auguſtisſimorum capitum exemplo, amplisſimis honoribus mactavit. Nefas quippe videbatur, eorum curas non curare, quibus & mens, & corpus ita coleretur, ut, quicquid acutisſimæ prudentiæ uſpiam eſſet, iſta poſſideret; quicquid verò illuſtrium exercitiorum, tempeſtivam laboris intermisſionem (prout in remisſionem, & ſtudium, omnem noſtram vitam diviſam dicunt) præſtaret, hoc promptisſimè obiret. Atque eo cultu, dum ſuccreſcit ILLVSTRISSIMVS PRINCEPS, ómne CEDRI decus, amœnitate ac vigore vincit. Equidem eâ virtute CEDRI folia ſcimus, ut nun-

nunquam decidant: sed quid hæc virtutum atq; doctrinæ, quibus lætissimè frondebat divinus animus, videntur ornamenta, nisi æternitatis quædam pignora, quæ, cum nullâ vi, nullâ fortunâ animo excutiantur, cum annis ipsis atq; canitie, vivacitatem atq; vigorem augent? Sed propius fortè accedere, præsentiusq;, amœnissimâ CEDRO, animum pascere lubet: euge! agite, quod vultis; neq; enim illicitum erit, quod mundo omni diu innotuit. Quid namq; illud videtur, quo, vixdum pubescente ætate, SERENISSIMVS NOSTER, à famatissimæ illius M. DC. IX. per omnem Germaniam, Legationis Florentinæ Secretario, DANIELE EREMITA colitur, elogium? *Princeps, ELECTORIS BRANDENBVRGICI FILIVS, multa de se, etsi immaturâ adhuc ætate, promittit luculenta, amœnissimi ingenii, signa, ita ut Germaniæ eum delicias, gentiles inter Augustos fore, omnium spes, haud dubio successu, augurentur.* Neq; vanum augurium fuisse, omne succedens tempus confirmat. Anno namq; M. DC. XI. cum Viadrinam Academiam, studiorum causâ, adiret, mox NVMEN suum sentientes Musæ, quasi attonitæ, sceptra ac omnem Parnassi sui gubernationem, huic suo TVTELARI deferunt, suoque ut arbitrio ipsas regat, subjectissimè petunt. Hic utrum magis mirandum sit, quis non dubitet, Principísne virtus, an Academiæ felicitas? Et sanè, cum magna hæc videatur, quâ Magnificentissimum EIVS RECTORATVM, à quo & conservationem,

tionem, & nutricationem quondam habitura esset, usurpavit; tum longè tamen ista major videtur, quâ Scholasticum Sceptrum contrectare, non fastidivêrunt eæ manus, quæ grandi, IMPERII ROMANI, gerendo olim sceptro destinatæ erant; humerique, Epomidi olim Electorali portandæ, Academici paludamenti purpuram præmittebant. Exactis ejus anni functionibus, ne, qui succedebat, M.DC.XII. obscurior ILLVSTRISSIMA amœnitatis laude elaberetur, cum, AVGVSTISSIMVM ORBIS CHRISTIANI CAPVT, INVICTISSIMVS IMPERATOR MATTHIAS constitueretur, Electioni Ejus, gratulationis ergò, interfuit, sicq;, postquam superiori anno, summam Virtutem, regimine Academico, testatus erat, nunc universo Imperio Romano, sanctissimam fidem, hoc officii genere, devincit atq; confirmat. Ipse interim, & omnium Imperii ordinum, & Augustissimi inprimis Imperatoris admirationem, cum summo affectu provocat. Atq; ita, dum lætissimè adhuc floret, ecce tibi! plenâ jam maturitate, subnascentes fructus. Hoc uno scilicet, ab omni CEDRI indole, alienus, quod, quæ fructu dives sit, flore careat; sola autem infrugifera floreat: Nec alia plurimorum vita est, si externam vigoris, atq; amœnitatis demas speciem, ut fructus nullus supersit. Ita foliis, ad luxuriem quasi, superbire videas, fructu interim omnem vacuam ætatem. Ast longè aliam SERENISSIMVS PRINCEPS gerebat mentem, quà opti-

mè ſciebat, eam Summorum Principum vitam eſſe, cujus fructum ſubditi percipiunt. Hinc primo Ducatus Juliacenſes, Anno M.DC.XIII. SERENISSIMORVM PARENTVM nomine adminiſtrat, quos ita, Illuſtrisſimis fructuum primitiis beavit, ut inter eundem ſemper applauſum & ſuſceperit, & geſſerit terrarum illarum regimen. Poſtquam verò Anno M.DC.XIX. DIVI PARENTIS, in Electoratu, ſucceſſor eſſet, ſimulq; Anno M.DC.XXI., poſt inveſtituræ ſolennitatem, Ducatum Prusſiæ, pleno regimine, adiret, quanto incremento omnis illa prior laus aucta fuit? Ita quippe conſtat, vix quemquam, ſi pauciſſimos excipias, ea juventute, rerum gubernacula attigiſſe, eo præſertim ſtatu publico, quo difficilior vix cogitari queat. Si namq;, quo adhuc, proh dolor! conflictatur univerſa Germania, horrendum Martis furorem cogites, quid turbatius, aut infelicius contingere poterat, primo SERENISSIMI regimini? Et tamen ſuſtinuit, prout inter iniquisſima tempora potuit, Magnus Heros, ne ultimâ ruina, ac internecione, gentes ſuæ obruerentur. CEDRVM iterum cogitate, cujus medica vis, non modo variis pellendis morbis; ſed & ſerpentibus fugandis, ſcorpionumq; ictibus ſanandis, tantum prodeſſe dicitur, ut præſentisſimæ Antidoti loco habeatur. Neque enim aliud egit magna ELECTORIS virtus, quàm ut, quicquid ab hoſtilitate mortiferi, atque peremptorii, ſuis immineret, prudentisſimis Alexipharmacis averte-

ret.

ret. Cujus rei, si non idem ubiq; successus exstiterit; & medicamenta, diversis operari modis, recordemur. Si mali pertinacia tolli omnino recuset, leniatur saltem, aut ne ad interitum progredi queat, sistatur aliquantisper, statu corporis, si non optimo, tamen medio existente. Quanquam verò, si, quod res est, dicendum sit, nonne à morte ipsa, & clade præsentissima BORVSSIAM (quam quoties, difficilimis itineribus confectis, invisit, toties novæ felicitatis spem proferre visus est) vindicatam, integerrimæ sanitati restituit, dum, quæ animam passim agebat, novâ, præter spem, vitâ animatæ PACEM concedebat? CEDRI sudorem, mortis etiam resistere violentiæ scimus, & quid aliud, quàm balsamo omni salubrior succus videtur, quo stillabat Prudentissimus Summi Herois animus? Sed, quæ super hac re infinita dici possent, peculiari Solennitati reservâs Academia, *nunc, dum SERENISSIMO SVO NVTRITIO publica Parentatione, novissimam, subjectissimi cultus, devotionem perendie h. IX. matutina testabitur, præsentiam frequentissimam petit.* Hîc, ut Programmatis ratio constet, illud saltem addimus, si, majorum imaginibus efformandis, CEDRI potissimum lignum adhibitum invenimus; ita quoque laudatissimum, DIVI GEORGII WILHELMI, regimen fuisse, ut omni CEDRO dignius, GLORIOSISSIMAS SERENISSIMORVM MAJORVM IMAGINES exprimeret. Porrò, si summa vitæ nostræ

felici-

felicitas, thalamo atq; conjugio æstimatur, quid propius, quam & CELSITVDO, & felicissima tori, quo gavisus est SERENISSIMVS NOSTER, fœcunditas subsequatur? Anno etenim M. DC. XVI. XIV. Jul. SERENISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI FRIDERICI, COMITIS PALATINI AD RHENVM, S. R. I. ARCHIDAPIFERI ET PRINCIPIS ELECTORIS, DVCIS VTRIVSQVE BAVARIAE &c. &c. &c. SERENISSIMAE ITEM ET CELSISSIMAE PRINCIPIS AC DOMINAE, DOMINAE LVDOVICAE JVLIANAE, PRINCIPIS ARAVSIONENSIS &c. &c. &c. SERENISSIMAM ET CELSISSIMAM PRINCIPEM FILIAM, DOMINAM ELISABETHAM CAROLAM &c. &c. &c. DOMINAM AC PRINCIPEM NOSTRAM CLEMENTISSIMAM, (cui utriq;, gravissimum hunc orbitatis, ac viduitatis luctum, potentissimè lenire æternus spiritus dignetur!) auspicatissimis nuptiis, SERENISSIMVS NOSTER, HEIDELBERGAE sibi jungit. Hic si commune populorum bonum, fœcundum, Dei benedictione, Regum Principumq; conjugium censetur, ne & nobis ea deesset beatitudo, cœli clemẽtia præstitit, ita ut animo, & corpore, CEDRI fertilitatem exprimeret DIVVS ELECTOR. Præter CELSISSIMAS namq; PRINCIPES FILIAS, LVDOVICAM CAROLAM, & HEDWIGEN SOPHIAM, quam utramq; multa felicitate cœli favor mactet, ac JOHANNEM SIGISMVNDVM, paucis à Baptismo diebus, Anno M. DC. XXIV. XXX. Octob. Coloniæ ad Spream denatum,

SERE-

SERENISSIMVS AC POTENTISSIMVS PRINCEPS AC DOMINVS, DOMINVS FRIDERICVS WILHELMVS, MARCHIO BRANDENBVRGENSIS, S.R.I. ARCHICAMERARIVS & PRINCEPS ELECTOR, BORVSSIAE, JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, STETINI, POMERANORVM, CASSVBIORVM, VANDALORVM, CARNOVIÆ ET CROSNAE IN SILESIA DVX: BVRGGRABIVS NORINBERGENSIS, PRINCEPS RVGIAE, COMES MARCAE ET RAVENSBERGI, RAVENSTEINI DOMINVS, DOMINVS AC NVTRITIVS NOSTER MVNIFICENTISSIMVS, EX SERENISSIMO HOC THALAMO prodiit; qui, uti felicissimum, inter solennes undiq; gratulationes, & applausus, suscepti regiminis auspicium nuper habuit; sic, ut æterna ejus, inter lætissimam tranquillitatem, prosperrimumq; SERENISSIMAE DOMVS incrementum, felicitas perstet, Deum veneramur. Sed nunc agite! illud cogitemus, quàm nihil tam securis radicibus nitatur, in quod violentia fatorum non valeat. CEDRVS ipsa, utut æternitatis quædam index sit, terminum suum non excedit, sed, vel, natura deficiente, marcescit atq; interit, vel, per vim, succisa extinguitur: Et eadem proh dolor! SERENISSIMO NOSTRO incubuit necessitas, cum decretoria illa hora, divina cõstitutione, adesset. Postquam enim, variis plurimorum morborũ symptomatibus, corpus affectum fuerat, tandem ita vis mali aucta fuit, ut lethale etiam, ex deficientibꝰ, per Cachexiam, viribus appareret. Nil hîc devotissimas subditorum, pro OPTIMI PRINCIPIS salute, preces,

nil laudatisſimam Medicorum curam, ac indefeſſam ſolertiam recenſemus, quibus ſi exorari, aut impediri fata poſſent, perfectisſimæ ſaluti reſtituta omnia eſſent: Nunc, quia æternum ſtat Dei conſilium, non poterat iſtis mutari. Ergo, quod unum ſibi reſtare videbat EXCELSA MENS, devotisſima pietate, eidem ſe præparabat, novisſimumq; vitæ terminum, conſtantisſimo pectore exſpectabat. Hinc cunctis, quotquot, præter SERENISSIMAM CONJVGEM AC SOBOLEM, præſentes erant, admirantibus, magnæ illæ, ac, revera Principe dignæ, voces proficiſcebantur. NVNQVAM MORI, QVI SEMPER MORIATVR: NON ABSQVE SVPREMI DOMINI ARBITRIO MORTEM IMMITTI, DOMINI PROINDE, ETIAM DVM MORIATVR, SE FVTVRVM: NEQVE ENIM INTERITVM, SED LONGE FELICIORIS VITAE AVSPICIVM, MORTEM SIBI FORE: PERTAESVM SE VANISSIMI, AC TVRBATISSIMI HVIVS SECVLI, ET PROMPTA, ET LAETA MENTE FATO SVO SE OBSEQVI. Et quæ alia plena pietatis ſpirabat, flacceſcens jam lingua. Et ea vera æternitas, quam pietas atq; virtus, adverſus mortis etiam crudeliſſimam tyrannidem, aſſerit. CEDRVM alias carie nulla abſumi conſtat; Et pietate munitum pectus, nunquam mortis ſitu ac ſqualore inficitur, ſed lætisſima amœnitate, etiam dum mortis ictu exciſa concidit, ſemper floret. Neq; aliter revera SERENISSIMVM expertũ credite, cum Anno M.DC.XL. XX. Nov. ſt. v. horâ, inter VI. & VII., veſpertina, quod naturæ debebat, inter devotisſimam hymnorum, precumq;

precumq; ingeminationem, solvens, corpus terræ relinqueret, animam cœlo redderet, postquam vixisset Annos XLV. Dies XVIII. Horas III. Quid enim aliud hic factum, quàm, CELSISSIMAM ATQVE ILLVSTRISSIMAM HANC CEDRVM, è terrenâ hac, omnique temporum injuriæ obnoxiâ solitudine, in cœlestis Paradisi delicias translatam, ac, ut perennanti amœnitate ornaretur, translocatam, putatis? Electræ votum notat Tragicus, quo suo, Orestisque fratris, funeri CEDRINVM, quod æternum esset, conditorium optârit: sed quantò major felicitas, DIVI GEORGII WILHELMI existit, cujus BEATISSIMA ANIMA eo loco recepta est, quæ veræ æternitatis sedes, nullam temporum vim, nullam hominum invidiam extimescit? Si verò, in terris etiam, quædam à CEDRO æternitatis spes fuit, (ita namq; & Numæ libros, CEDRI succo illitos, à corruptione servatos; & defunctorum corporibus, communissimum hoc, adversus putredinem, munimentum esse, scimus) longè perennior SERENISSIMI, inter mortales, æternitas erit, cum sua virtute perfusus, immortalitatem sibi præstet. Purissimam chartam mentes nostræ, devotissima veneratione, præstabunt, quibus, quicquid memoriæ EXCELSARVM VIRTVTVM hæc inscripserit, suâ æternitate constabit, nec CEDRVM, quo tempora vincat, desiderabit. Ita non CEDRO, sed æternaturâ gloria, dignam SVMMI PRINCIPIS virtutem, dum alius quoq; orbis

 videbit,

videbit, eâdem veneratione æternum proſequetur. Cum verò, hoc die, MAGNVM FVNVS deducendum ſit, omnes ac ſingulos, jurisdictioni noſtræ ſubjectos, adhortamur, ut ſerios luctus ſui teſtes demonſtrent, juſtoq; dolori, ſepoſitis omnibus, quæcunque vel lætitiam, vel vanitatem comitari ſolent, indulgeant. Hoc fine, circa horam X. in Area Collegii conveniant, ac indicto, per campanas, tempore, NVTRITIO SVO QVONDAM MVNIFICENTISSIMO, noviſſimum ſubjectiſſimæ devotionis cultum, frequenti FVNERIS deductione, exhibeant, ac, dum intra ſuum conditorium, CELSISSIMOS CINERES reponi viderint, intra ſuum ſinguli pectus, DIVI HEROIS ſanctiſſimam memoriam recondant. Nefas quippe ducant, ejus cultum omittere, cujus unius, poſt DEVM, CLEMENTISSIMA PROPENSIONE ſalvi fuerunt, & felices. Quod ſupereſt, cernui tandem, atq; ſupplices cœlum veneremur omnes, quo graviſſimum, ex hac clade, luctum ita potentiſſimè moderari dignetur, ut, quodcunq; inde exſtiterit doloris, novâ refectione ac ſalute commutetur. Excipiat & hoc, atrum afflictionis nubilum, Illuſtrior divinæ bonitatis radius: pulſoq; tandem acerrimo lachrymarum imbre, novâ ſerenitate purior incipiat dies ire; quo SERENISSIMA DOMVS BRANDEBVRGICA, priſtina amœnitate revireſcat, fœcunditate creſcat, felicitate æternum firmetur. AVDI DOMINE & EXAVDI. P. P. 1642. XI. Mart. S. N.





Nunquam ergò ſatis firmas,atq; diuturnas generis humani delicias! Non Romæ tantum ea erat infelicitas, ut, quam æternis triumphis atq; victoriis, optimi Trajani, de Romano Imperio, de paterna & avita Hiſpania, & de omni hominum genere meritisſimi Imperatoris, cochlidem columnam ſtatuerat, eandem extincti cineribus dedicare cogeretur: Borusſia eadem afflicta ſorte, cui æternas ſupplicationes inter tripudia & gaudium, tanquam RESTITVTORI SVO, QVIETISQVE PVBLICAE FVNDATORI decreverat, DIVO GEORGIO WILHELMO, triſtem leſſum atque neniam inſtituit; cuique æternum felicitatis & triumphi, POST PACEM PARTAM, moliebatur monumentum, triſtis eidem ac pullata tumulum adornat. Et quanto quidem cum luctu id Patria univerſa, haud ita pridem, executa fuerit, non abſq; lacrymis vidiſtis omnes, quicunque vel minimum humanitatis geritis ſenſum: nunc verò, dum renovandam, omnis ejus doloris, memoriam Muſæ jubent, quæ vox ei affectui notando ſufficiat? O quam vellem, liceret oculis ſubjicere miſerandum iſtarum habitum, longisſimèque à priſtino amœnitatis vigore, mutatum ſqualorem! Videretis, ut longâ ſerie funebrem pompam adornarent, cujus dux Apollo eſſet, ſed

Heu mihi qualis adeſt, quantum mutatus ab illis?

Non ibi aureus ille, intonſi capitis decor, ſed abraſa coma,

coma, caligans vultus, lyra fracta, omnisq; Laurus tristi cupresso mutata. Ita deformatum Ducem, similes sequi sorores cernerentur: Clio muta atq; humi depressa Tuba; Euterpe fractis Tibiis; Thalia Hedera, inter marcorẽ & languorem, exspirante; Terpsichore corpore, inter Cytharæ cordas undiq; solutas, atq; dissonas, rigente; Erato, Face extincta; Polymnia, omni Gemmarum ac splendoris opulentia, in atrum squalorem conversa; Vrania capite, Nebulosis Stellis, atque deficientibus, undique cincto; Calliope, omnem venustissimæ Vocis exitum, digito præcludente; solâ, quæ Tragicis atq; lugubribus hisce delectatur, Melpomene, cothurno, diademata & sceptra, superbe calcante. Hisce, continuo tractu, artes omnes succedere videretis, quæ & ipsæ, omni amœnitate abjecta, atratæ atq; pallentes, quantum possunt, luctum testentur, ac, quandoquidem tanta munificentia DIVI SVI NVTRITII hucusq; steterint, ultimum Æternæ Ejusdem Virtuti monimentum dedicent, in quo omnis divinissimarum Virtutum chorus, inter lachrymas atq; ploratus, tenerrimum luctus sensum ostendens, exhibeatur. Liceat hic intueri Justitiæ Bilancem excussam, Prudentiæ Speculum obfuscatum, Fortitudinis columnam diffissam, Pacis Oleam & fronde & fructu nudam, Misericordiæ Oleum effusum, Liberalitatis Palmam clausam, Magnificentiæ Caput inclinatum, Pietatis aversum Vultum, & reliquas omnes extremo luctu, ac damno perculsas atq;

atq; ſtupentes. Quæ dum animo concipio, neſcio, quis & hanc linguam invadat rigor, &, horrore tam luctuoſæ memoriæ, ſufflaminet ultra progreſſuram vocem. Scilicet ſenſit & hæc ipſa grandiſſimam eam cladem, ac poſtquam, quo, ex immatura hujus ſui TVTELARIS ac NVTRITII O. M. jacturâ, exanimatæ dolore, languent Muſæ, me interprete aperire voluerunt, aptiorem nullam, quàm balbam aut elinguem omninò orationem, huic exprimendæ convenire cenſet. Neque enim faciliùs concedit elingui lætitia, quàm eripit ſermonem loquendi luctus. Stupeat proinde, quod grandium curarum eſt, omnis oratio, & devia, extra ordinem, cœcas pasſim latebras quærat ac ſolitudinem, quo & noctem animi ſui triſtius adumbret, & amicisſimum luctui ſilentium, eò citius obtineat. Vox quoq; diſſona ſit ac langueſcens, quo ululatui & funeri ipſi concolor ſit & æqualis. Et ſic optimè omnium, ultrò in lacrymas proni, animi, juſto dolore perfundentur, ad indolem fontis illius Siculi, qui, cùm immotâ aliàs tranquillitate ſubſidat, ad vocis minimæ atq; incultiſſimæ ſonum, ita repente exæſtuat, ut diffuſa undique aquarum vi exundet. Quod tamen ſi cui difficile videatur, repetat ille mecum omnem DIVI ELECTORIS memoriam, &, ex damno, juſtisſimi luctus acerbitatem æſtimet. Sed quid dico, omnem memoriam repetendam? inſaniat apertè, quisquis amplisſimum hoc æquor trajicere conetur, cujus tam immenſa vaſtitas, ut, ſi profun-
dum

dum ejus petas, emergendi nulla ſpes ſuperſit. Si tamen nautarum ſagacitatem æmulatus, non omni ejus amplitudine decurram, ſed recto curſu, quantum huic viæ conficiendæ ſuffecerit, emetiar, ſicque, reliquas omnes virtutes prætervectus, ſolam DIVI HEROIS PRUDENTIAM proſequar, veniam ſubjectisſimè peto. Sed tamen, & prudentiam dum auditis, mare aliquod altisſimum concipite, quod ita in varios diffuſum rivos, omnem orbem inundat, ut, quicquid feliciter ac ſalutariter reliquæ virtutes agãt, ex uno hoc prudentiæ capite promanet. Vel inexhauſtum illum omnis lucis fontem, ac unicum parentem, Solem cogitate, &, dum ejus ſplendore reliqua aſtra omnia lucere intelligitis, eandem Prudentiæ vim ſtatuite, ut, quicquid ſplendidisſimarum Virtutum uſpiam fulgeat, hinc illuſtretur. Vel, ſi arborem & amœnitate frondium, & fructuum opulentia nobilem mavultis, florentisſimum omnium virtutum decus concipite, ita in ditisſimos ramos diviſum, ut ſtipes ipſis Prudentia exiſtat. Quanquam neſcio, an non omnium exactisſimam Prudentiæ indolem, prima illa & felicitatis, & miſeriæ humanæ ſedes, Paradiſi hortus exhibeat, qui quatuor celeberrimis irriguus amnibus, ita mundo humectationem dividebat, ut undiq; fœcunditas ejusdem promoveretur: Prudentiæ ſanè ea virtus, ut locorum omnium tractus, ſaluberrimo conſiliorum quaſi imbre riget, ac felicisſimo incremento augeat. Habebis in una hac & opulentiam

ſentiam GANGIS, & fœcunditatem NILI, & velociſſimam TIGRIS promptitudinem, & temperatiſſimam EVPHRATIS moderationē. Et jam primùm edicito, quæ æternior DIVI ELECTORIS gloria, quàm ſi omni laude illuſtrius dicatur,

GEORGIVS WILHELMVS PRVDENS.

Ita namque vulgò compertum novimus, & odioſam plerumque, & ſuſpectam eſſe loquacitatem: ita verò ſingula gratisſima; ut ſimplicisſima. Atq; hinc nunquam melius æternitati, DIVORVM IMPERATORVM, conſuluiſſe videntur, qui effuſiſſima prolixitate laudes eorum recenſent; quàm qui unico ſæpè verbulo, omnes iſtas comprehenderunt ambages. Quid namq; dictum putatis, cum *OPTIMOS. PIOS. FELICISSIMOS. FLORENTISSIMOS. FORTISSIMOS. INVICTISSIMOS. MAXIMOS. PACATORES. ORBIS. VENERANDISSIMOS VNDIQVE. ET. PARENTES. RESTITVTORES. VRBIVM. SVPER.OMNES. RETRO. PRINCIPES. PROVIDENTISSIMOS. IMPERATORES.* prædicari auditis? Anne omnem Panegyricorum majeſtatem ſupergresſi videntur? Et quantum id illis contigiſſe videbitis, tantum omnes eas laudes, DIVVM GEORGIVM WILHELMVM, PRVDENTIS nomine, credite ſupergreſſum. Excute ſingula, quod tamen temporis ratio prohibet, & vide, quid reliquum ex omni illa Titulorum pompa, ſi pruden-

tiam demas, futurum ſit; quàm verò nil omnium deſit, penes quem prudentia fuerit? Breves in omni erimus, ideoq; exteris omiſſis, POTENTISSIMAM DOMVS BRANDEBVRGICAE GLORIAM luſtremus, ut, quantoperè omnem hanc, quæ tamen ſumma, omnium confesſione, ſemper fuit, PRVDENTISSIMVS ELECTOR complexus fuerit, clarius conſtet. FRIDERICI I. MAGNANIMITATEM ET FIDEM veneramur, ſed an alterutra absque PRVDENTIA, apud inconſultos, conſtare poteſt? FRIDERICI II. MODESTIAM miramur, aſt hujus unicam ac felicisſimam Magiſtram PRVDENTIAM eſſe, arrogantisſimi imprudentium mores confirmant. ALBERTI FORTITVDO ET FELICITAS celebratur, aſt ſubtrahe eidem, quâ nititur, PRVDENTIAE fulcrum, &, quàm ſubitò collapſura ſit ejus ſoliditas, experire. Omnium præconio JOHANNIS ELOQVENTIA prædicatur, & huic tamen dicendorum legem, PRVDENTIA conſtituit. JOACHIMI I. JVSTITIAM dum audis, iterum, mercedis pœnæq; diſtribuendæ æquitatem, non, niſi à ſagacisſima & circumſpectisſimâ PRVDENTIA, adminiſtrari cogita. JOACHIMI II. AVTORITATEM, adhuc ſuſpicere ætas noſtra videtur, nec tamen abſq; PRVDENTIAE gravitate, iſtam conſtitiſſe credit. JOHANNIS GEORGII verò ſingularem, & ſummam SAPIENTIAM, ita PRVDENTIAE cognatam eſſe, quis neſcit, ut,
etiamſi

etiamſi omnium rerum cognitione dives ſit animus, prudenti verò rerum geſtione deſtituatur, nunquam rectè ſapiat? Et, quæ JOACHIMI FRIDERICI PIETAS paſſim celebratur, annon, divino etiam oraculo teſte, veræ atq; feliciſſimæ PRVDENTIAE nomine dicitur, qua ſemper, quæ futura imminere videntur, prævidemus? Sed & JOHANNIS SIGISMVNDI CLEMENTIA, niſi PRVDENTIAM comitem habuiſſet, qui potuiſſet tanta majeſtas ſuſtineri, cum hæc una & Munificentiæ, & Comitatis, qua quidem utraq;, abſolvi omnis Principum CLEMENTIA videtur, modum præſcribat. Atque ita rurſus omnem DIVORVM MAJORVM GLORIAM, IN PRVDENTISSIMA GEORGII WILHELMI MENTE refulſiſſe conſtat. Nunc verò ſi omnium fructuum bonitas, è ſtirpis judicatur Generoſitate, quantum decus ILLVSTRISSIMAE PRVDENTIAE acceſſiſſe putatis, quæ tot tantorumque HEROVM propagata virtute, tandem in divino hoc pectore, quodam quaſi compendio, reliquorum omnium gloriam exhibuit atq; laudem. Neque enim ſanguinis magis, quàm virtutum celſitudinem, tot ſeculorum decurſu, continua ex Illuſtriſſimo hoc Traduce derivatione, propagatam putemus, cum ſemper magna Patrum virtus, cum ſanguine ipſo, & formare excelſas poſterorum mentes ſoleat, & fortiter animare. Hic quidem altiùs evolvenda eſſet BRANDEBVRGICAE DOMVS CELSITVDO,

& oſtendendum, quomodo innumeris virtutum meritis, Majorumque mirandâ fortitudine ELECTORATVS, atq; ARCHICAMERARII dignitatem obtinuerit; modo dignè id à nobis fieri poſſet. Quis enim vel Imperatoris SIGISMVNDI divinam mentem, cum tantum præmium, meritisſimæ virtuti conferret; vel FRIDERICI felicitatem, cum virtutis ſuæ tam æquisſimum Judicem experiretur, ſatis unquam prædicaret? Et tenuit hic quidem ſuo jure merito, univerſæ Majeſtatis Romanæ apicem, juſtitiæ verò ac rectisſimæ æquitatis unicam regulam, SCEPTRVM: poſtquam diu ante, inter ferrum & ſanguinem, omnia ea felicisſimè geſſerat, quæcunq; turbatisſimæ Marchiæ, pacem atq; tranquillitatem reddere poſſent. Oculum aliàs, deſuper SCEPTRO impreſſum, AEgyptios, cum prudentisſimum Imperium denotare vellent, addidiſſe ſcimus. Et oculi acutisſimi vice ſagacitas FRIDERICI erat, quâ comite ita SCEPTRVM gerebat, ut jam tum prima ejus PRVDENTIAE, quam tantopere, in DIVO GEORGIO WILHELMO, admiratur noſtrum ævum, illuceſcere facula rebus humanis videretur. SCEPTRVM, quod Jovi Vulcanus, fabulis prodentibus, fabricarat, adeò ſuperſtitioſisſimè à Cherronenſibus cultum dicitur, ut & rem divinam ſingulis eidem annis fecerint; Poſtquam verò hoc SCEPTRVM, divininâ conceſſione, VIRTVS BRANDEBVRGICA

gesſit,

gesſit, quem devotisſimum cultum, non uno ſeculo, eſt experta? Annon Imperatorum, Regum, & potentiſſimorum quorumvis capitum, ea ſumma felicitas fuit, Huic SCEPTRO affinitatibus & cognatione jungi? Non equidem ad divinos honores fuit perventum: ſi tamen divinitatis maxima pars æternitas eſt, ita propius ad iſtam ſingula accedunt, prout diuturnitate huic ſunt propiora. AEternum namque ſuo quodammodo videtur, quod ne morte quidem aboletur, ſed dum vivendo deſinit, moriendo in poſteris vivit. Quod ſi, quantopere SERENISSIMAE DOMVI BRANDENBVRGICAE, per indulgentiſſimum cœli favorē, contigerit, tanto præconio exponeremus, abunde divinitas ejus conſtaret. Sed ne aliorum recenſione, quicquam Honori DIVI GEORGII WILHELMI ſubtrahatur, illud potius agimus, ut, quàm prudentisſimè dignos Tanta Stirpe fructus procurarit, oſtendamus. Solet aliàs incautior prima illa ætas videri, quod & rerum gerendarum imperitiâ laboret, & maturiori judicandi vi, ob lubricum illud naturæ, deſtituatur. Sed nihil tale in HOC HEROE apparuiſſe alibi diximus: adeò & intellectu ætatem, & prudentiâ experientiam præveniebat. Adeſte, quicunq; curioſius rerum cœleſtium influxum, ut inferiorum incrementa promoveatis, ſcrutamini, & quam, præter omnium morem, nil hic juvenilis, ſed virili maturitate perfecta omnia, in prima etiam ætate, occurrerint, cognoſcite: Nihil hic ex vago MER-

CVRII, quem Juventutis reliquæ præſidem conſtituitis, ingenio agebatur; ſed omnia ad virilis ætatis Dominum JOVEM, ſpectabant. Tanta conſtans morum gravitas, tantus, & à ſummo Chriſtiani orbis Capite, & Principibus quibusvis honor, ut jam tum, inter AVGVSTOS, reliquasq; orbis delicias, numeraretur! Sic, cum omnia, ad miraculum, prædicanda viderentur, illud unum pia quorundam cura metuebat, ut præcox illa, ac cita maturitas, immaturiorem portenderet occaſum: quemadmodum illos citisſimè, caſu aliquando, ſoles eripi diei videmus, qui illuſtrisſimo, inter auroram, emicant ſplendore. Et ô utinam! vanus iſte metus fuiſſet, nec funeſtisſimo hoc luctu, nimis, proh dolor! firmaretur! ſed ignoſcite ſui oblitæ menti, quæ immortalem, tot virtutibus atq; meritis, vitam diu jam profeſſa eſt. Quisquis maximam virtutem æſtimare ſolet, omnem ejus vim, ex rerum, quas gerit, difficultate judicat. Hîc ergo univerſam illam, Martialium temporum, inſaniam cogita, quæ cum omni Germania, Marchiam quoq; ac cognatas eidem provincias, huc usq; ita agitavit, ut omne furiarum agmen, affligendis iis terris, immisſum videatur. Ita, quicquid miſeriarum ulla unquam crudelitas, quicquid immanitatis ulla feritas excogitare potuit, omne id nobilisſimæ orbis parti incubuit. Et, inter immanisſimas haſce, undique ſævientis Oceani turbas, clavum rerum gerendarum, plenus magna ſpe atq; virtute, cum ſatis, Clivienſium terra-
rum

rum felicisſima adminiſtratione, quam SERENISSIMI PARENTIS arbitrium Eidem ceſſerat, Spectatisſimam Heroicæ Mentis Virtutem confirmaſſet, ſuſcipit, DIVVS GEORGIVS WILHELMVS. Vidisſes hîc, contra fatorum fortunæq; violentiam, magnum animum niti, & jam inoffenſo recti curſus tenore; jam obliquato ſinu, ita, inter undiq; ſonantes ſcopulos, hoc pelagus navigare, ut naufragii periculum evitaretur. Quod quidem, quâ tandem, niſi PRVDENTIA, peractum putemus? Si namq; nautarum ſagacitas maximè, inter præſentisſimum naufragium, elucet; non alia virorum Principum ſors eſt. Dum tranquilla ſerenitate populi rident, interq; pacis ſedatum æquor, omnia provehuntur, facilimum rerum omnium regimen eſt: aſt, ſi probare mentis perſpicaciam velis, moveatur ſubſidentium fluctuum tumor, creſcat eorundem fervor, & jam omnia aperto tumultu inſaniant; & tum, cujus Neptuni ea felicisſima ſolertia, ut ponatur hæc rabies, exiſtat, apparebit. PRVDENTIA, PRVDENTIA præſto ſit, quæ niſi clavo aſſideat, vana omnis Principis ars atq; potentia. Sed cum ſatis hoc, credo, conſtet, iſta multo magis miranda videntur, & eâ ætate, & eodem ſemper ſucceſſu, ita adfuiſſe SERENISSIMO NOSTRO cœleſtem hanc Divam, ut & in flore fructus, & in fructu æternus vigor appareret. Antea expoſuimus, quanta maturitate Juventus perfecta fuerit: id ut planius cernatis, Cliviam adite, &, quo ſucceſſu res

res ejus adminiſtrarit, vix XVII. ætatis annum egreſſus, GEORGIVS WILHELMVS, inquirite. Quo tempore, curioſiſſimâ vulgo requirit educationem, aliorum ætas, eo jam aliis præficiebatur noſter Heros. Publius Scipio Africanus hic incidit, cujus & hæc ipſa immortalis laus prædicatur, quod Decimum Octavum annum agens, patrem apud Ticinum, ſingulari virtute ſervaverit: Et quid poterat ſimilius dici, quam eodem ætatis anno, SERENISSIMVM JOHANNEM SIGISMVNDVM, à PRVDENTISSIMO Filio ita adjutum, ut multum ſublevari, quod, vacillantibus viribus, ſolito gravius incumbebat, regiminis onus ſentiret. Alibi, inter miranda, Hiſtoriæ referunt, Cn. Pompejum XVIII; Cæſarem XIX. ætatis anno, bella civilia ſuſtinuiſſe; aſt quantò æternior NOSTRI HEROIS gloria, ita & primam, & ſuccedentem omnem ætatem tranſegiſſe, ut non, cum cæde & ſanguine, ſuperbus ſuperioris poteſtatis fuerit ambitor; ſed, inter cædem & ſanguinem omnia fœdantem, & inconcuſſum ſibi aſſeruerit decꝰ, &, à præſentisſimo interitu, ſuorum res prohibuerit? Et jactent illi triumphorum ſuorum pompam, quam tamen ſemper, tot cæſorum millium, funeſtet ſanguis; undiq; præconium eorum propaletur, ſed quod ſemper, tot triſtes morientium gemitus, tot collabentium civitatum fragor, tot feralium tubarum horridus clangor, interpellent. Nihil tale, nihil in DIVI NOSTRI HEROIS, glorioſisſimâ laude occurrit; & pura

& pura hæc ubiq; ſuo nitore fulget, & ſublimitate omnium victorias vincit, poſtquam non hoſtiles modo copias, prudentisſimis conſiliis; ſed propriorum quoque affectuum, aſt quam violentisſimos? impetus, incredibili animi moderatione vicit. Prima atq; ſumma Prudentis gloria eſt, ita ſemper rationis imperio duci, ut nunquam affectuum turbulentæ licentiæ ſuccumbat. Adeſte! adeſte! quicunq; conſtantisſimam hanc, in veteri Stoa, admiramini mentem, &, qvantopere in Sceptro Brandeburgico eadem expreſſa ſit, cognoſcite! Nunqvam frangi magnum animum vidimus, qvæcunq; etiam fortuna ingrueret, quia ſagacisſimè perſpiciebat, omnia ſua viciſſitudine laborare; nec minus proſpera adverſis, quàm lucem nocte commutari. Affectuum verò potentisſimam plerumq;, inter ſceptra & diademata, tyrannidem eſſe, nemini dubium fuerit, qvi qvidem ex Tragico didicerit,

Difficile quam ſit, animum ab ira flectere
Jam concitatum, quamq; regale hoc putet,
Sceptris ſuperbas quisquis admovit manus,
Quâ cepit, ire:

Et tamen horum omnium ita compresſit licentiam, ut cuncta prudentiâ dictante, non affectu impellente, agere videretur, OPTIMVM, procul dubio, prout erat curioſus magnæ virtutis æmulator, TRAIANVM ſecutus, qui talem ſe Imperatorem eſſe priva-

tis, dicebat, quales esse Imperatores, privatus optasset. Ita scilicet, longè solidiora majestatum fundamenta, quam superbo aut crudeli dominatu locari, iterum sciebat PRVDENTISSIMA mens. Hinc si AEgyptiorum, imperio Romano recens adjectorum, animos fortissimè devincturus Vespasianus, benignitatem suam inprimis obtulit, Haurite à me, inquiens, tanquam à Nilo: non infeliciores successus, summa Herois nostri PRVDENTIA experta est, quâ exundans divinus animus, verissimè, non Nilum, sed Gangem, & qvicquid opulentissimorum pariter, ac fœcundissimorum fluminum occurrit, suis præstabat, unde, qvicqvid usui esset, haurirent. Non repeto hic PRVDENTIAE opulentiam, sed potius, qvomodo eâdem suis profuerit, DIVVS GEORGIVS WILHELMVS, breviter ostendo, postqvam illud, primo omnium, extra dubium posuero, infinitis modis, communem istam omnium, imperiorum legem, Salutem Publicam, non turbari modo, verùm qvoq; everti omnino: sed tamen, & hisce omnibus, obstitit summa PRVDENTIA. Hæc enim, qvamcunque malorum vis minitari videretur perniciem, paratissima, qvæ opponerentur, suggerebat remedia, ne vigor omnis suorum langvesceret. Patrocinium petebat innocentia: Justitiam præsidem constituebat PRVDENTIA, quæ & securitatem insonti, & supplicium sceleribus decerneret. Feliciter

omnia

omnia ſuccedebant, &, fortunæ indultu, longè latèq; Majeſtas tanti Electoris, cum admiratione, florebat: aſt moderationem præcipiebat PRVDENTIA, quâ ſemper fortuna optimè poſſideatur. Vacillabant, Martis concuſſæ inſultu, civitates ac provinciæ: fortitudine ac magnitudine opus eſſe, dictabat PRVDENTIA, quò ita fulcirentur omnia, ne, unâ ruina poſtrata, jacerent. Nutricatum atque fomentum fame exhauſta, omniumq; nuda, inter Martis ſævitiem, egeſtas deſiderabat: munificentiâ ſublevandas ſuorum neceſſitates, PRVDENTIA jubebat. Impeditiſſima omnium rerum tempora, maximis difficultatibus ſingula involvebant: conſiliorum dexteritate, PRVDENTIA ea expediebat, ac diſſolvebat. Ita namq; omnibus temporibus aptabat animum, ut nihil inſolitum, nihil difficile ſibi eveniret; ſed, quæ præter ſpem objicii alii putabant, eorum diu præviſorum ratio, clarisſimè conſtaret. Inter Hieroglyphicorum amœnitates, PRVDENTIAM, GALEA ORNATAM AVREA, QVAM, E MORI FOLIIS, COROLLA CINGAT, proponi invenio: quaſi his ipſis omnem prudentiam abſolvi dicerent, ſi & conſiliorum perſpicuitate res dubias, ac obſcuras illuſtret; & ſolida animi fortitudine, conſtantiaque labaſcentes ſuſtineat; & opportunitate rerum gerendarum, tempora obſervet, ſicque, quod omnium rerum primum eſt, in tempore veniat. O quantus hic laudum campus ſe aperit, modo de ſingulis, per tempus, age-

re liceret! Repetenda hic omnis Borussiæ calamitas esset, quam & maximam sentiebat jam, & longè majorem tamen metuebat, ab hostilis exercitus ira: Describenda similiter ea tempora, quæ ita fatalia regnis ac Provinciis esse solent, ut, uno funere, omnia sternant: Et his subjungendus, opportunissimus divinæ hujus, de qua agimus, PRVDENTIAE exortus, ac ostendendum, ut, postquam istâ finibus nostris, (tantus Borussiæ amor!) DIVVS GEORGIVS WILHELMVS apparuerit, defervescere paulatim cœperit, ac tandem omnino subsederit, insani illius æquoris æstus. Ita tandem revera mirandam hanc virtutem, non mentibus, sed manibus oculisq; usurparetis, dum & vigiles illos pro nostra salute oculos, ut securè dormiremus, videretis; & sapientissima illa, magni pectoris, consilia audiretis! Ita revera hunc APOLLINE omni, quem LYRA ET LANCEA INSIGNEM, olim MAGARENSES proponebant, præsentiorem sospitatorem cerneretis, dum suavissimè concordi Harmoniæ, quicquid tam fœdè dissonum fuerat, restitutum perciperetis; ac proinde, non minori devotione quietis, quàm patriæ ipsius, fundatorem atque conditorem, colendum decerneretis! Quanquam nec hinc excludendus esset, immortalis hujus laudis æternitate, ILLVSTRISSIMVS ATQVE CELSISSIMVS PRINCEPS AC DOMINVS, DOMINVS SIGISMVNDVS, MARCHIO BRANDENBVRGENSIS &c. &c. cujus solertiam, atq;

atq; summam sublimis mentis dexteritatem, tam clarè hoc tranquillatæ Borussiæ negotium loquitur, ut illustrius documentum apparere nullibi possit. Fato sanè, credo, factum videtur, ut, quod Borussia à ruina & vastitate servata, pristinam fortunam usurpet, soli DOMVS BRANDEBVRGICAE virtuti acceptum ferret. Et ea felicitas DIVI GEORGII WILHELMI fuit, ut, cum tantum suis bonum procuraturus esset, non peregrinâ operâ ac consilio egeret, sed à cognati, & patrii avitique, sanguinis Principe, rem omnem non minus fideliter, quàm feliciter, geri videret. Simul namq; ac commissam sibi Borussiæ felicitatis curam, BEATISSIMVS MARCHIO, suscepisset, rerum propriarum negligens, omnem consiliorum vim, omnem Eloquentiæ Suadam (quibus omnibus quantum polluerit, & aliæ, quibus administrandis præfuit, provinciæ testantur) omnes deniq; temporum illorum articulos, eò impendit, ut, quæ moliebatur, feliciter, cum Deo, emoliretur. Est ea BRANDEBVRGICAE STIRPIS magnanimitas, nullis rerum difficultatibus absterreri, sed, quo graviores hæ obsistant, eò animosius easdem spernere, ut major, è superatis iis, virtuti honor accedat. Ast proponenda ea omnia, ut dixi, uberius essent, nisi tempus contrahenda eadem, &, quæ plurimis ambagibus alias recenseri possent, intra paucissimorum verborum compendium, comprehendenda juberet: PRVDENTISSIMIS DIVI GEORGII WILHELMI

Consiliis, Et Repulsos Hostes, Et Pacem Restitutam Borussia Vidit. O divinam virtutem, cujus tam cœleſtis fructus! Neq; verò erga unam Borusſiam ita affectus fuit, MAGNUS ELECTOR, quin acta publica adi, Hiſtorias ſui temporis explica, qvoscunq; S. R. I. conventus luſtra, & in omnibus, pacis atq; concordiæ; nunquam belli ac armorum, conſilia ejus deprehendes. Hæc votorum ſumma, hoc conſiliorum caput fuit, miſerè afflictam, ac ferè omninò deperditam, Germaniam, ſuæ tranquillitati reſtituere ac quieti. Et quid poterat aliud ab ea proficiſci mente, quæ, pro ſumma & incredibili ſua PRUDENTIA, exactiſſimè providebat, non niſi funeſtiſſimas regnorum mortes, ac populorum ſolitudines, ab inteſtinis ejusmodi, ac civilibus, disſidiis provenire? His proinde, anteqvam omnem moribundæ terræ eriperent animam, ſaluberrimo conſilio præveniendum, & ſiſtendū eſſe putabat malum. Ac utinam certisſimam hanc votorum ſpem, fatorum rigor non eluſiſſet! plurimarum provinciarum felicitas, hac PRUDENTIA provecta, intra lætitiam & gaudium nunc triumpharet, qvæ tanto capite orbatæ, grandi luctu opprimi ſunt viſæ. Quid enim? an non juſte doleant, omnes ſuas ſpes, qvibus, dum noſtram tranquillitatem æſtimarunt, ſimiles, à PRUDENTISSIMO GEORGIO WILHELMO, fructus exſpectaverunt, uno ictu præciſas? Atq; hinc quid mirum, ſi acerbè deſiderent, quem tanta cum jactura amiſe-

amiſerunt. Equidem ea, optimorum Principum, ſolidiſſima æternitas videtur, qvâ etiam rebus ſuorum ſubtracti, deſideriis qvotidiè reviviſcunt. Principes enim qvoscunque, dum ſuperſunt, blanditoris etiam adulatio laudare poteſt, deſiderare autem poſt mortem, non niſi optimos, puriſſima fides ſolet. Ea, proculdubio, AVGVSTISSIMI POLONORVM REGIS, STEPHANI mens videtur, cum, Qualis quisq; Princeps in vita fuiſſet, ſupremam ejus diem, non obſcurè indicare, diceret. Neq; alia tibi, DIVE ELECTOR, erat, cum omnem, prudentisſimè geſti regiminis, glorioſiſſimum fructum, non cum ſuprema die terminandum, ſed omni tempore ſuperiorem, quoniam immortalis eſſet, futurum, probè ſcires. Atq; hæc cum, per omnem vitam, probè curaſſes, ne mors ipſa, eam laudabilem curioſitatem intervertit. Laudatisſima ea PRVDENTIA eſt, quæ novisſima omnium providens, ſemper iis ſe præparat, quæ evitari nequeunt. Ita proinde formarat animum, SERENISSIMVS ELECTOR, ut nunquam ſupremæ poteſtatis, cujus nutu & viveret, & regeret, immemor, ſemper eidem ſe ſubmitteret, ejusq;, non imparatiori promptitudine, ſuſciperet imperium, quàm à ſubditis mandata accipi experiebatur. Quin, cum æquam moriendi legem omnibus dictam ſciret, non decretoriam mortis horam, ut moreretur, exſpectabat; ſed ita familia-

rem, quotidiana contemplatione, hanc ſibi reddebat, ut, cum, violentisſimo impetu, Magnam Mentem, hæc invaderet, eluſam omnem vim doleret. Diu enim ante, pia PRVDENTIA, mortuus erat Magnus Heros, quam morti ſuccumberet, cum graviſſimis morbis exerceretur, corpus. Nunquam excidet cœleſtis vox, quâ ſubinde, morti dominantem mentem, profitebatur:

NVNQVAM MORITVR, QVI SEMPER MORITVR!

Iterabo, neq; enim PRVDENTIORIS pietatis clarior teſtis eſſe poteſt:

NVNQVAM MORITVR, QVI SEMPER MORITVR!

Quid aliud exactiſſima Philoſophia, quam perpetuam mortis meditationem, præcipiat? Scilicet, DEO confirmante, prudentisſimi ſunt, quicunq; ea ſapiunt. Audite, quicunq; DIVI GEORGII WILHELMI virtutem unquam admirabimini: &, ſi viventis civilem PRVDENTIAM, magnanimo ſymbolo, quo

MAGNANIMO NIHIL IMPOSSIBILE

dicebat, diſcitis; moribūdi quoq; ſublimē pietatē colite, quâ, ne mortē gravē piæ eſſe prudentiæ, docebat. Quæ dum agit, omnibus mundi miſerrimis vicibus VALE DICTO, magna fide cœlum petit, omnēq; vanam

nam hujus mundi purpurâ, cœli ſplendore mutat. O iterum felicem tanta PRVDENTIA Principem, quæ ita vitam omnem regit, ut &, dum mori videtur, viva ſuperſtet! Commune credimus piis omnibus, beata illa, atq; intermina, in cœlis, vita frui; aſt non niſi ſummæ virtuti peculiare, in terris quoque immortalitatem obtinere. Quæcunq; magna oſtendit hic orbis, ad temporis imperium, ſuo caſu ruunt. Sola, quæ ſupereminet omnia, virtus eſt, tempori ipſi jus dicens. Et unum hoc occurrit, quod levandæ huic cladi ſerviat: non mortuum eſſe, quem lugemus, ſed æterna virtute perennare. Vivis! vivis, itaq; DIVE ELECTOR, ac Virtute Tuâ terris omnibus præſto es! Adhuc HETRVRIA tuam, in prima ætate, maturitatem, AVSTRIA eloquentiam, POLONIA gravitatem, TVAE verò TERRAE omnes, inſignem regiminis PRVDENTIAM colunt, nec, niſi virtutis ipſum nomen moriatur, oblivione mori ſinent. Inprimis hæc tua Boruſſia, dum oſſa tua tegit, (ô dubiam ſortem! feliciórne, an infelicior tanto pignore ſit?) æternum venerationis monumentum, intra pectora ſingulorum, ponit, acſi è Choræbi, inter Megarenſes, ſepulcro Oleaſtrum prodiiſſe, Hiſtoria teſtis eſt: ſolidam atq; veram pacis Oleam, è Tuo hoc monumento, Patria ſperat. Non ad fabulas delabor, aliàs certius ſecuritatis pignus, Tuos cineres Boruſſiæ huic noſtræ exhibere, quam Laomedontis ſepulchrum, Trojæ præſtitiſſe putant, oſtenderem. Illud

tamen liceat dicere, ſi Alexandri Magni tumulatum corpus, eâ fragrantia mirandum fuit, ut theca aromatica videretur; non minorem, è ſepulchro etiam, Virtutum Tuarum fragrantiam eſſe, ut paſſim Terrarum Tuarum ambitum penetrans, undiq;, quod gravi luctu oppreſſum videbatur, reficiat. Atque eadem facilitate, cum Potentisſimis, atq; Sum̃is mundi RECTORIBVS, præſens atq; vivus ſis, qui, quoties, difficilimarum rerum gerendarum, rationes expetierint, longè felicius è Tua prudentia easdem capient, quam olim è magni militis pelle, fortitudinem ſperabat exercitus: maximè tamen omnium, in SERENISSIMO AC POTENTISSIMO FILIO, PRINCIPE AC DOMINO, DOMINO FRIDERICO WILHELMO &c. &c. &c. DOMINO ET NVTRITIO NOSTRO MVNIFICENTISSIMO, (cujus novam Clementiam, AVGVSTISSIMA PRAESENTIA firmatam, æterna devotione colemus) æterno vigore vivis! Quem dum felicisſimum SVCCESSOREM, rebus tuorum reliquiſti, magnam atq; ſummam Virtutum Tuarum partem conceſſiſti. Vivat ille modo, &, prout divina gratia fortunarum, virtutumq; patriarum hæres conſtitutus eſt; ita conſtanti felicitate eas omnes uſurpet, quo, novo fulcro, æternitas SERENISSIMAE DOMVS BRANDEBVRGICAE firmetur. Si tamen à Muſis etiam, quædam immortalitas ſperanda eſt, ita, DIVE GEORGI WILHELME, harum devotisſimo cultu æter-

æternum vives, ut, quacunq; tandem arte, æternitatem habet antiquitas, ea omnis tibi famulatura sit. Certabit omnis, in tuis explicandis Virtutibus, & Historiæ, & Carminis, & Eloquentiæ industria, ipsaque re ostendet, non magis ad optimè regendum Principes; quam ad scribendum, doctissimos viros esse â TE excitatos. Quibus dum se ultro submittit mea Tenuitas, conticesco, unicum ubi illud postremum proferre licuerit:

ÆTERNVM VIVIT GEORGIVS WILHELMVS PRVDENS.



LAVDATIO FVNEBRIS,
SERENISSIMAE AC CELSISSIMAE PRINCIPIS ET DOMINAE,
DOMINAE,
LVDOVICAE JVLIANAE,
PRINCIPIS AVRIACAE, COMITIS NASSOVIAE, CATTIMELIBOCORVM, DICII, VIANDAE ET NIDDAE &c. &c. &c.
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS, AC DOMINI,
DOMINI
FRIDERICI IV.
COMITIS PALATINI AD RHENVM,

S. R. I. ARCHIDAPIFERI, ET PRINCIPIS ELECTORIS, VTRIVSQVE BAVARIAE DVCIS &c. &c. &c.

ILLVSTRISSIMAE QVONDAM CONJVGIS,

CORAM

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPE ET DOMINO,

DOMINO

FRIDERICO WILHELMO,

MARCHIONE BRANDENBVRGENSI, S.R.I. ARCHICAMERARIO ET PRINCIPE ELECTORE, BORVSSIAE, JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, STETINI POMERANORVM &c. &c. &c.

DVCE

&c. &c. &c.

DICTA.

INVITATIO AVDITORVM.



Vemadmodum creatorum omnium nobilissimum, Hominem, quod, præter elegantissimam corporis, membrorumq; omnium concinnitatem, divinæ insuper auræ particulam gerat, constans, cultiorum gentium, passim opinio asserit: ita & id, à singulis apprimè curatum, videmus, ut, quandoquidem mortalitatis legi obnoxius, fato suo tandem obsequi, atq; vitam omnem, decretorio termino, claudere cogatur, suus defunctis constaret honor. Hinc non modo corporibus supremo præstito officio, exuvias vel intra tumulos reconditas, vel solenni busti, rogorumq; flamma absumptas: sed

sed & animæ virtutes, quibuscunq; modis, honoratas, memoriamque earundem, ab interitu vindicatam, reperimus. Qua in re, ut in aliis variis, curiosissimã AEgypti sapientiam deprehendimus, quæ diligentissimè, in defunctorum vitam, inquirens, eam omnem accuratissimè excussit, ut de virtutibus singulorum, atq; præclarè gestis, exactè constaret, proq; eâ ratione, ex æquo libramine, decerneretur. Quod quidem institutum, cum laudatissimum; tum utilissimum pariter, ac quàm maximè Rebuspubl. salutare videtur. Si namq; omnis ferè justitiæ ratio eo absolvitur, ut, quod cuiq; competit, tribuatur: nefas omninò ducebant Sapientes, virtutem, tam divinum ac cœleste bonum, cujus unius æternus est, atq; immortalis fructus, æterno atq; immortali cultu privare. Quin si tanto studio, rerum vanissimarum, in quas cujusvis fortunæ impetus imperium habet, cultores, pro asserenda, quibus maximè delectantur, dignitate laborare consueverunt, longè æquiùs ei rei, quæ honoris omnis fundamentum est, honorem deferendum statuebant. Vt verò, quæ maxima justitiæ laus est, nil præter modum hic contingeret, solertissima curiositate singulorum æstimabãt virtutem, ne, dum æquitatis studiosissimi esse volebant, injustitiæ incurrerent crimen: si aut nimiùm, quàm par erat, aut, quod omninò non conveniebat, id tribuerent cuiquam. Nam prout iniquissimum est, suos defraudare præmio virtutem, honore; ita non minus turpe est, adulationis fuco, falsam virtutem exornare: cum, istud virtutis omnino supprimat segetem, hoc verò peccandi licentiã, vitiorumq; promoveat incrementum. Fœcundior verò nullus, in Rebuspubl. vir-

 tutum

tu:um proventus est, quàm si non vivis modò præmia constent; sed defunctorum quoq; optimè facta, gloria comitetur. Id cum felicissimè, tot Rerumpubl. experti sint successus; tum revera dubium est, an felicius ulla, quàm Romana, ejus rei vim senserit. Neque id immeritò; cùm vix ulla alia gens solertius eidem studuerit. Inter innumera, tam laudatissimi studii, monumenta, funebres saltem laudationes cogitate, & quanto cum incremento, publici boni, eas instituerit, facilè constabit. Scilicet sparsa in publicum verba, omni semente felicius, uberrimam messem procurarunt: dum blandissimo influxu, non minus, in animo ipso, radices egit laudata virtus; quam aures ea ipsâ, quâ laudabatur, oratio occupabat. Sic, dum aliorum virtutem venerantur, propriam felicissimo incremento mactant. Quæ omnia dum exactius cogitabamus, nefas ducebatur, MAGNAM, MAGNAE LVDOVICAE JVLIANAE, SERENISSIMAE AC CELSISSIMAE QVONDAM PRINCIPIS AC DOMINAE, PRINCIPIS AVRIACAE, COMITIS NASSOVIAE, CATTIMELIBOCORVM, DICII, VIANDAE, ET NIDDAE &c.&c. SERENISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI FRIDERICI IV. COMITIS PALATINI AD RHENVM, S.R.I. ARCHIDAPIFERI, ET PRINCIPIS ELECTORIS, VTRIVSQVE BAVARIAE DVCIS &c.&c. ILLVSTRISSIMAE QVONDAM CONJVGIS, NVNC BEATISSIMAE, VIRTVTEM, *debito præconio non prosequi.* Quin si, ILLVSTRISSIMO nuper DORMITORIO repositum, corpus quiescit: nunc etiam CELSISSIMAE ANIMAE Virtus, in publicũ proponẽda videbatur, ut & ipsa, quantum per nos quidem licet, subjectissimæ devotionis præmium



mium capeſſeret; & alii, novo quaſi feliciter imitandæ ejusdem ſtimulo, compellerentur. Quod quidem dum agimus, neq; novi quid ſuſcipimus, neq; fruſtra laboramus. Nam & Romæ, publicè laudes Illuſtrium Fœminarum dictas; & alibi, majori etiam venerationis cultu honoratas easdem, Hiſtoria teſtis eſt. Aſt verò, tantam MAGNAE PRINCIPIS CELSITVDINEM, ipſi, ſi, quod ſubmiſſe & amicè rogamus, haud gravatim XXXI. Martij, Hora IX. matutina, Auditorium majus ingredi, ac, quæ ſuper hac propoſituri ſimus, audire, DOMINI, MECAENATES, FAVTORES, AMICI AC CIVES ACADEMICI, dignati fuerint, cognoſcent, ut, abſq; iniquiſſima ingratitudinis nota, neutiquam ſilentio eam involvendam fuiſſe, ſint judicaturi. Agite ergò, quod ſæpiùs ante hac, propenſiſſimi erga Muſas affectus teſtandi ergò, feciſtis; nunc non omittite: ſed honoratiſſima ac amica præſentia, eundem affectum inoffenſum vobis eſſe declarate. Ita veſtris vicisſim officiis, quæcunq; à nobis proficiſci potuerint, addictiſſima ſemper proſtabunt. P.P. XXVI. Martij 1649.



Nnus, hoc die, completur SEXAGESIMVS NONVS, cum quondam non Dianæ cujusdam, aut Lunæ, cui, quod menſes regeret, partusq; feliciter maturaret, eo ipſo die Sacra Romæ fiebant; ſed immortali, Summi omnium Parentis, ac Conditoris D.O.M., beneficio, MAGNA LVDOVICA

JVLIA-

JVLIANA, PRINCEPS AVRIACA, COMES NASSOVIA, CATTIMELIBOCORVM, DICII, VIANDAE ET NIDDAE &c. &c. &c. SERENISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI FRIDERICI IV. COMITIS PALATINI AD RHENVM, S.R.I. ARCHIDAPIFERI, ET PRINCIPIS ELECTORIS, BAVARIAE VTRIVSQVE DVCIS, ILLVSTRISSIMA posteà CONJVX, præter CELSISSIMAE DOMVS applausus, inter publica tot provinciarũ HILARIA, nata, primùm mirandam hanc cœli terræq; compagem, quam mundum vocamus, oculis usurpare cœpit. Ita, dum FELICISSIMVS FLORVM PATER, amœnissimum VER, suavissimâ geniturâ, tot nobilissima germina, quorum non modo elegantissima species, mundo omni decori, homini verò, ob gratissimas, quibus sensus animumq; permulcent, delicias, voluptati est; sed & saluberrimus usus, præsentissimis malis pellendis adhibetur, producit, novoque, post brumam, animat vigore: prodit è POTENTISSIMI GVILIELMI NASSOVII, CELSISSIMAEQVE CAROLAE BORBONIAE, MOMPENSERIAEQVE DVCIS, ILLVSTRISSIMO THALAMO, GENEROSISSIMVM hoc, & venustate pariter, ac virtute amœnissimum GERMEN. Nec prodiit solum, sed felicissimè insuper, inter variam fortunæ tempestatem, succrescens, & lætissimo vigore, voluptatem atq; delicias hominum auxit; & saluberrimo fructu eorundem rebus profuit; usque dum, cōmunem florum omnium experta sortem, paulatim marcescere, ac tandem

omninò

omninò emori videretur. Et perennat illa quidem immortali, inter ſacras iſtas, atq; cœleſtes ROSAS, quas divino rore ac nectare madidas, felices Dei Soſpitatoris RVBI, beatæ SPINAE, generant, FLORE induta: Suaviſſimus verò, è maximarum virtutum odore, halitus, per univerſum terrarum orbem, tantâ cum vi, diffunditur, ut undiq; ſenſus ejus penetrans, potentiſſimè, quos tangit, afficiat. Cujus rei vos ipſos, quos intra hoc Auguſtiſſimum Auditorium conveniſſe video, ſi, cujus cauſa profluxiſſe videmini, exigui temporis uſuram, dicendis impendere velitis, magnam vim percepturos confido. Ita namq; ſtatuite, dum virtutes MAGNAE PRINCIPIS proponendas auditis; HORTVM vobis aperiri, cujus amœnitas, vermiculato quaſi emblemate, picta, tanto elegantiſſimorum GERMINVM proventu abundet, ut non oculorum modo, jucundiſſimâ variorum colorum luce, ſed animi ipſius voluptas, fragrantiſſimo odore creſcat. Adeo hinc ARBORVM fructiferarum ordines, inde PLANTARVM fragrantium, & perpetuò virentium, haud exigua copia! Rurſus, ab hac parte, ROSAE cum LILIIS, radiantis ſideris inſtar, è terra germinant: Et ab iſta, renidere videas venuſtas, diverſorum colorum, VIOLAS, nec quicquam deeſſe eorum omnium, quæ, omni anni ætate, HORTORVM delicias præſtant. Sed cum, in, immenſa ferè, rerum pulcherrimarum copiâ, impoſſibile ſit: omnia proſequi, licebit, per Auguſtiſſimum Audito-

rium, unum atq; alterum ſeligere; & inprimis, quod primum occurrit, TERRAE ORNAMENTVM, PLANTARVM GLORIAM, OCVLVM FLORVM, HORTORVM GEMMAM, exactiùs conſiderare. LILIVM dico, quod dum auditis, magnam, ſubſecuturæ amœnitatis, partem cognoſcitis. Neque enim ignotum adeo eſt, LILIATVM GALLIAE, quæ Matrem Huic dedit, SCEPTRVM. Et jam hîc cogitate, quanta felicitas ſit, à LILIIS, ſive ab eo, genus ſuum ducere, Regno, quod aliis Chriſti pharetra, lectisſimis ſagittis abundans; aliis tantum cæteris nationibus præſtare dicitur, quantum Regiæ dignitatis apex, omnibus honoribus antecellit; quod deniq;, titulorum omni pompâ, ſublimioris Regis, quia CHRISTIANISSIMI, imperio regitur. REGIVM FLOREM, aliàs LILIVM Plinius dicit, cui ſumma inter FLORES excelſitas. Et quod convenientius ei regno, ſignum contingere poterat, cui nulla antiquior cura, quàm ejus celſitudinem, & ſapientisſimis conſiliis, & armorum robore fortiter aſſerere, qui cum Celſisſimus omnibus dominetur, ſuperiorem agnovit nullum, CHRISTI DEI? Ita namq; CHRISTIANISSIMI REGIS LILIA, quorum CLODOVEVM primum uſurpatorem noſtis, interpretari nonnullos accepimus, ut, cùm religione Chriſtiana, ſuperſtitionem Paganam mutaret, inſignibus etiam mutatis, id DIVOS SVCCESSORES moneret, fidem atque Sacroſanctam Dei legem, cujus nota eminen-

nentius, è tribus, LILIVM esset, (fidissimis illis, ab utroque latere, consiliariis, SAPIENTIA ET ROBORE, reliquo depressiorum FLORVM ordine, rotatis,) defendendam esse. Atq; inter REGIOS hosce FLORES, è REGIA BORBONIORVM FAMILIA, quæ stirps MAGNAE PRINCIPIS materna fuit, enata MAGNA LVDOVICA JVLIANA est, de quibus quicquid dici potest, regium omne est atq; sumum! Quot seculorũ memoria hîc repetenda esset, si omne BORBONIAE Virtutis decus, vel leviter saltem, exponendum esset? Jam inde, à MAGNI HVGONIS CAPETI seculo, qui rara fortitudine, peritiaq; militari, primo omnium suæ genti, ad regium fastigium, facto aditu, Filium propagatorem tanti Generis, ROBERTVM PIVM, GALLIAE REGEM reliquit, omnis evolvenda esset annalium series, ut, quantâ amœnitate, continuo septem ferè seculorum decursu, Florentissima hæc LILIA creverint, viguerint, &, quæ summa Regum Principumq; laus est, profuerint etiam, constet. Sed cum, quæ, diu ante me, à sublimioribus, opera peracta est, non propositum sit Historiam texere, eam sufficiat BORBONIAE GENTIS virtutem innuisse, quæ non modo sapientissimis Regnum consiliis, intra tranquillissimam felicitatem, gubernavit; sed &, si (prout sunt interdum fatales Imperiorum concussiones) armis salus publica vindicanda fuerit, eâ fortitudine contra hostem prodierit, ut domi militiæq;, celebratissima ejusdem fa-

ma exiſtat. Præter innumeros alios, LVDOVICVS II. DVX BORBONIVS incidit, qui contra Barbaros, fortiſſimo ducto exercitu, feliciter redux, ſolẽni equitum, è CARDVO BEATAE MARIAE, ordine, omni orbi fortitudinem profeſſus eſt. Quo tamen haud inferior, CAROLVS ille, fortisſimâ, ſub memorandam illam Romæ expugnationem, ac direptionem, morte ubiq; celeberrimus, de cujus excelſisſima virtute, acerrimi hoſtis teſtimonium hoc habete: *De hoc*, dicentis, *homine illud profecto aſſirmare auſim, quod nemo bonus inficias iverit, incredibiles in illo fuiſſe virtutes. Erat namq; ei vigor animi præcipuus & admirabilis, in periculis fortitudo, ingenium verſatile in agendo, atq; providendo, ſumma in conficiendo celeritas. Excellebat inſuper corporis viribus, quod calore ac frigore duratum, laboris patientiſſimum effecerat. Cibi viniq;, non ultra naturale deſiderium, appetens. Vigilare, dormire, nullo diſcriminato neq; diei, neq; noctis tempore. Quod enim rebus gerendis ſupererat, tanquam ſucciſivum, corpori dabatur.* Et quid videtur, annon, eo ipſo hoſte fatente, rarisſimæ hæ ſunt, ſummi Imperatoris virtutes, ultra quas, ne Tulliana facundia, quicquam de Pompejo ſuo prædicare novit? Quanquam quid iſta, ex antiquis, memoro? Præſens ſeculum videte, & quam florentisſima vi, Victricia hujus ſtirpis LILIA, per omnes ferè Europæ tractus, longè latèq; triumphent, ultrò occurret. Atq; iſta cùm, prolixiùs forte etiam, de LILIATA BORBONIORVM GENTE dixerim,

rim; tum non inferior NASSOVIAE DOMVS, quique ex hac oriundus, PATER MAGNAE HVIC NOSTRAE contigit, GVILIELMI Celſitudo exiſtit. Illius namq;, ſive antiquitatem ſpectes; ſunt, qui ante Soſpitatorem noſtri generis, Cæſaris jam tempore, hujus ſtirpem extitiſſe velint: aut, ſi id per antiquitatem obſcurius, adeoq; incertius, videatur; illud tamen negari neutiquam poterit, decimo jam abhinc ſeculo, WALRAVI COMITIS NASSOVII, SONNENBERGAE ET LYBORNIAE DOMINI, virtutem claruiſſe, cujus Conjux MINERVA, HARCINIAE, ASCANIAE, BALLENSTEDII DOMINO, fuit nata: ſive, quod Illuſtrisſimum familiarum decus eſſe ſolet, affinitatum ſplendorem deſideres; cui ignota ſunt, frequentisſima NASSOVIORVM, cum ANGLIAE, BOHEMIAEQVE REGIBVS, cum SABAVDIAE, SAXONIAE, LOTHARINGIAE, AVSTRIAE, BAVARIAE, & aliis potentisſimarum gentium Principibus, Ducibus, matrimonia contracta atq; confirmata? ſive deniq;, qua celſitudine majorem, familia nulla novit, illuſtrisſimum virtutum decus quæras, fortitudinis, pietatis, ſapientiæ, intemeratæ, in boni publici, ſuorumq; aſſerenda ſalute, fidei, & infinitarum Virtum Heroicarum; EA in hac gente LVMINA videbis, ut orbi omni illuſtrando ſufficere queant. Et quid mirum, ſi tam divina Virtus, divinis etiam propè honoribus, fuerit culta? dum, ſummam Dei inter nos vicem Alius

gerens, IMPERATORIVM DIADEMA tenuit; Alii verò, ad proximam huic in S.R.I. celſitudinem, evecti, PRINCIPVM ELECTORVM, atq; ARCHICANCELLARIORVM dignitatem uſurparunt. De quibus ſingulis ſi dicerem, longè certiſſimam virtutis imaginem, quæ LEONVM inſignibus notatur, aſpiceretis: quippe quorum indoles, paſſim imperantium exemplo proponitur; ut non minus præfractis, ac malitioſè obſtantibꝰ, fortitudinem opponere, ſubjectis verò, atque receptui ſalutari canentibus, manſuetè parcere norit, quam præſtare utrumque id ſciat,

nobilis ira Leonum.

Sed quandoquidem HORTI amœnitate oblectare animos, hoc quidem tempore, conſtitutum eſt, quidni potius MALI ANERANTIAE, ſeu, ut vulgus dicit, AVRANTIAE venuſtas, AVRIACVM PRINCIPEM proponentium, animum ſubeat? cujus ſanè ea virtus, ut non modo perenni amœnitate vireat, ſed &, cujus Plinius Autor eſt, omnibus horis pomifera ſit. Neque aliam Magnæ hujus Virtutis felicitatem credite, quin, inter omnium temporum ſævitiem, tantùm abeſt, ut emarcuerit, ut lætius etiam eò floruerit, quò ſævitum crudelius; publicis undiq; ac ſaluberrimis, omni tempore, fructibus ſubnaſcentibus. Cujus quidem rei teſtis unicus eſto (innumeros enim alios, temporis habita ratione, præterimus) qui CELSISSIMVS, MAGNAE JVLIANAE, PARENS

FVIT

FVIT, GVILIELMVS NASSOVIVS, Princeps omni laude Excelſior, cujus intrepidam fortitudinem, intemeratam fidem, indefeſſos labores, perſpicacisſimam ſapientiam, non modo, dum viveret, feliciter experta Batavia eſt; ſed &, cum, quod aperta Virtute, & honeſto Marte, hoſtis conſequi nunquam poterat, ſceleſtâ infamis parricidæ manu cecidiſſet, devotisſima pietate venerata eſt, hoc, elegantisſimæ moribundi Principis imagini, qua collabentis corpus, virtutum circumſtantium, ſuſtinetur manibus, non inelegantiori elogio, Delphis Batavorum, ſubdito:

CERNE PATREM PATRIAE! VIRTVTVM CERNE SACELLVM!

O dignam, omnium Principum æmulatione, laudem! quid ſublimius contingere ſummis faſtigiis queat, quàm brevisſimum hoc, abſolutæ perfectionis, compendium? Hic ultrò occurrit, quàm necesſariò, prolixioris hujus excurſionis, venia petenda esſet, niſi Auguſtisſimo Auditorio, ſponte ſua, conſtare ſcirem; quo fine, Celſisſimarum Familiarum Virtutes, in poſterorum laudibus proponantur. Non equidem degeneres, majorum Celſitudo juvat, qui terrenæ affixi glebæ, ne vultu, virtutis ſublimitatem aſſequuntur: aſt ſi, dicente Sapientisſimo Philoſophorum, *veroſimile eſt, præſtantiores ac meliores eſſe eos, qui ex melioribus*: vel, ut venuſtisſime, Venuſinus

nus Vates, idem exprimit, *Fortes creantur fortibus*: jam cogitate, Serenissimum Solis jubar esse, Majorum gloriam, quod inoffensum, in posteris, virtutum tenorē, fulgidissimo radio, reddat illustriorem. Atq; hinc si animosam Mithridatis vocem, prudentissimus Annalium Conditor prædicat, quâ captus, victorem Romanum masculè allocutus; *Utere*, inquit, *ut voles, prole magni Achæmenis, quod mihi solum hostes non abstulerunt*: majori fortitudine, quia divino robore fulta, MAGNA JULIANA fortunæ undiq; infestæ; En, dixit, perfida! sævi ut voles in BORBONIAE, NASSOVIAEQUE GENTIS GERMEN, avitæ, patriæque virtutis decus, nunquam auferes. LILII ipsius, à cujus Historia, tam Celsissimæ Virtutis memoria, digressi sumus, divinum ortum paganorum vates prædicant, dum, argenteo mammillarum Junonis humore, cœlestibus stillis depluente, productum tradunt. Quibus quæ fides adhibenda dictis, non explico: sed illud potius dico, non ex fictis Deastris; sed eorum, quos Deos in terris, sua voce è cœlis, Deus constituit, sanguine, procreatam MAGNAM HEROINAM, atq;, cum diviniori etiam nativitate renasceretur, verè, Dei in cœlis sanguine, divinam prolem factam. Proinde, si è vano isto lactei ortus figmento, tantum pulcritudinis decus flori contigisse, ut, quicquid undiquaque elegans, ac venustum dicere volumus, LILIATUM, ab eodem, dicamus, creditur: quis non admiretur, elegantissimam

tot virtutum venuſtatem, quæ ex tam laudatiſſimâ propagine ſuppullulantes, CELSISSIMAM PRINCIPEM aſſiduè ornarunt? Euge agite! luſtremus ſingula, ut pleniùs hâc voluptate perfruamur. Et initio, quem non capit erecta illa, CAVLIS LILIORVM, proceritas? cui, ut majori gratiâ blandiretur oculis, non viridis ſufficiebat, ſed cœruleus admiſcendus erat color, ut, ex utroq; temperato, creſceret oblectatio. Quid hinc, niſi magnum, ac erectum HEROINAE, ad cœleſtia, animum conjicitis? Pietas ea eſt, quæ mundanæ pertæſa vanitatis, cœleſtia meditatur, cœleſtia loquitur, cœleſtia agit, nec proinde humi depreſſam mentem patitur, ſed ſurſum perpetuo elevat, ac ita ſublimat, ut, inter terræ hujus humilitatem, jam obtineat cœli altiſſima palatia. Neq; incurvatur, ita formata mens, aut quoquo modo flectitur, quicquid etiam vel deliciarum oſtentet, vel adverſitatum minetur hic orbis; ſed, intra immotam rectitudinem conſtans, rectâ, quâ, Deo duce, cœpit ire, pergit; reliquis multum hinc declinantibus. Et quid mirum, ſi undiq; eo, qui cœli proprius eſt, colore reſplendeat? qui & eò magis animatur, quò vivaciore vigore, ſemper viva ac viridis ſpes, indies eum excitat. Neq; enim minus, absque ſpei fulcro, uſpiam vera pietas; quam, abſq; VIRIDANTIVM FOLIORVM ornatu, LILII caulis apparet. Jam FLORIS ipſius PVRISSIMVM CANDOREM ſpectate, & ſimul puritatem mentis, in HEOINA noſtra, diſcite! quæ poſt-

quam, semel divino sanguine, lota; &, peccatorum sordibus ablutis, supra nivem dealbata esset: ita intemeratam hanc sanctitatem servavit, ut nuspiam, nisi quâ homines sumus, & peccandi contagione sæpè, per imbecillitatem, labimur, inquinare eam visa sit. Et quid poterat DEO, purissimæ & sanctissimæ illi menti, gratius esse, illibata hac, ac impollutâ, mentis sanctitate? Incidit hic Eleorum mos, qui, Sacra in Olympicis facturi, ex ALBA tantum POPVLO, neq; ex alia arbore ulla, ligna cædere solebant: neq; alia mens esse debet, quam labis ac maculæ omnis expers, si divini amoris flammam excipere, ac religiosi cultus igne, æternum venerari Numen debet. Sed nec ea, ab hac sanctissima puritate, aliena virtus est, quæ CASTITAS dicitur, & principem ejus curæ partem constituit: quemadmodum FLOREM JVNONIVM, sive LILIVM, Veneri invisum, castitatis æternam notam, fuisse constat! Atq; hic iterum, insigne HEROINAE decus, proponerem, nisi id, paucis abhinc diebus, factum à me fuisset. AGNI aliàs, Herbæ, FOLIA ab AEliano referuntur, quibus in cubiculo substratis, Atticæ mulieres, libidinis æstũ sedari putarunt: Non ea re opus habebat MAGNA JVLIANA, cui domi nascentia LILIA, divinæ gratiæ quotidiè rigata rore, abũdè sedatum cupidinem præstabant. Verum pergimus, &, cum multa omittenda sint, aurea illa GRANVLA, quæ SEPTEM HASTVLIS, in divino hoc FLORE, sustenta, elegantissimâ

ſimâ ſpecie apparent, proponimus. De quibus quid dicamus aliud, quàm quod conſtans eorum, qui ſanctius rerum naturalium ſpecies contemplátur, ac, externis iis remotis involucris, pulcherrima, ſaluberrimarum rerum, monita inde eruunt, opinio aſſerit? His itaq; placet, HASTVLIS illis ſeptem, ſeptenarium Principum Virtutum numerum notari, quibus, totidem æterni Spiritus dona, quæ aureis GRANVLIS ſeptem indicentur, innitantur. Pia ſanè ac cœleſtis, cœleſtis FLORIS, contemplatio: ſed & aptisſima, HEROINAE NOSTRAE virtutibus ulteriùs explicandis, cujus ſanè pectus auro omni illuſtrius, cum divinis Sanctificatoris Spiritus donis abundaret, refulgebat, quæ ſive cum GRANVLIS his LILII; ſive cum ejus, quam huic junximus, AVRANTIAE MALI FRVCTIBVS compares, eandem utrobique coloris celſitudinem, eandem ſublimitatem, aurei quippe, deprehendes. Cum verò, nec donari tantis muneribus, nec diu frui iisdem quenquam, ſciret MAGNA HEROINA, niſi, vitiorum fœditate rejectâ, virtutibus optimè inſtructam gerat mentem, hinc ſemper harum exercitio occupabatur, ut non minus hæ tam divini hoſpitis; quàm HASTVLAE illæ, GRANVLORVM in LILIIS aureorum (liceat, ô Deus! balbutienti ore, ſummis minuta hæc, citra impietatem, conferre!) retinacula fuerint. Dubium fortè id cuiquam eſt? aſt cogitet ea, quæ ſupremæ confesſionis Symbola voluit, cœleſtia, è Principe

Apoſtolorum, verba: & facilè conſtabit, *qua fiducia Patrem è cœlis Deum, judicemq́ ſanctiſſimum invocarit; quo cum timore, incolatus ſui tempore, converſata ſit; quantâ cum devotione, ſanguinem Dei Redemptorem ſit venerata; quantopere deniq́ animam ſuam caſtificaverit, in obedientia charitatis; inq́ fraternitatis amore, ſimplici ex corde, ſuos dilexerit attentiùs.* Sed ad LILIVM, neq; enim de iſtis dubitare videmini, revertimur; cujus dum amœniſſimam ſpeciem vidiſtis, FRAGRANTISSIMA SVAVITAS ſequitur: niſi jam undiq; diffuſam eam percepiſtis. Scilicet & facilimo odore LILIVM, & penetrantisſſimâ fragrantiâ virtus proditur: quæ iſto adeo ſuperior eſt, ut cum vel cœli injuriis, vel frequenti contactu iſtud omnem odoris, quo pollet, vim amittat; virtutis eò ſuavior excitetur odor, quo magis adverſitatum vehementiâ atteritur. Id quidem reverâ, in MAGNA HEROINA, deprehendimus, quæ, cum gravisſimis temporum difficultatibus opprimeretur, ea virtute ſemper floruit, ut fragrantisſimum, gentilitii LILII, odorem ubiq; ſpargeret. Geminam inprimis, in antiquis, familiam reperio, quæ domeſticos conſtantis, inter adverſa, fortitudinis monitores habuit: Spartanorum alteram, quæ, hæreditario jure, LANCEAE ſpeciem corpori, à naturâ, inuſtam gerebat, ſicq;, erecta animi celſitudine, aut propellenda, aut ſuperanda, adverſa norat; Seleuci alterã, qui, cum filiis, nepotibusq; omnibus, ANCHORA inſignitum femur habebat, ſicq; immota fiduciâ, atq;

ſpe

ſpe felicisſimi exitus, mala omnia contemnenda diſcebat. Tertiam hoc loco liceat LILIATAM, è BORBONIORVM ſtirpe, familiam, & eò aptius, quo familiarius id eidem contigit, addere. Recordamini adhuc, credo, BORBONII, quem, adverſus Barbaros, feliciter pugnaſſe paulo ante dicebamus. Hic, teſtante libello, de ordinibus militaribus, Barbarorum victor rediens, Equitum, è CARDVO BEATAE MARIAE, ordinem inſtituit, cujus torquis erat aureus, ex LILIIS contextus, interſtinctus, æqualibus intervallis, CARDVI foliis, è quibus crux pendebat, cum Lemmate: SPES. Quorſum hæc dicam, quæritis: quorſum? ut conſtet domeſtico, ac gentilitio ſigno, quod inter CARDVOS LILIA, cum Spei additamento, exhiberet, HEROINAM NOSTRAM edoctam, quantum conducant virtuti augendæ, atq; illuſtrandæ, fortunæ difficultates: ut *quemadmodum*, dicente Panegyricorum principe, *maris cœlique temperiem, turbines tempeſtatesque commendant; ſic, prout habet has vices conditio mortalium, adverſa ex ſecundis, ſecunda ex adverſis naſcantur.* Et hæc ſalutaris illa virtutis vis eſt, quâ omni, ſævientis fortunæ, crudelitati remedium parat, ac feliciſſimè, quodcunque illa ſauciavit, ſanat; quodcunq; fœdat, venuſtati reſtituit; quodcunq; torpore obruit, vigore novo animat: prout ea omnia ſaluberrima LILII vis, variis, quæ ſuppeditat, medicamentorum formis, feliciter præſtat. De quibus tamen omnibus plura proponere,


per Augustisſimi Auditorij obſervantiam, non conceditur. Illud tantum, quod, de LILII fœcunditate, admirandum refertur, addẽdum eſt: dum non modò peculiare ejus genus enarrant, quod ultra ducentos FLORES producat; ſed & promiſcuè, eo incremento, augeri ejus frutices docent, ut, exiguo tempore, uberrimum proventum, ex adnatorum BVLBVLORVM, ut & NVCLEORVM, & SEGMINVM in BVLBIS occurrentium, copia, obtinere liceat. Omnibus conſtat, quanta populis felicitas, è Regum Principumq; fœcundo thalamo, enaſcatur, utpote, continua Rectorum ſuccesſione, beatis: quæ tamen immane quantum augetur, ſi non tam numeroſa, quàm optima proles generetur. Atque hinc MARGARETHAE LOTHARINGIAE DVCIS notum eſt Emblema, quo illuſtrisſimam ſtirpis ſuæ ubertatem expreſſura, LAVREVM SVRCVLVM propoſuit; qui, quàm certus felicitatis index fuerit, non ignoratis, quicunque antiquitatis minimam partem ſcitis. Eadem verò MAGNAE JVLIANAE felicitas fuit, quæ juſtius longè, quàm vanum illud Ethnicorum Idolum, MAGNA DEVM MATER, vocari poterit: cum eâ prole orbem hunc auxerit, cujus divina virtus longè amplior, quàm ut, intra haſce orationis anguſtias, coarctari queat. Tu tamen, SERENISSIMA AC CELSISSIMA ELISABETHA CAROLA, MAGNAE PARENTIS, MAGNA FILIA, PRINCEPS AC DOMINA CLEMENTISSIMA, humilis oris vene-

venerationem admitte, ac, quæ diu omnes Seculi Tui Principes, celsissimis virtutibus, supergressa es: fastigium tuum, tenui huic Musarum ædi, non subtrahe, quæ si non digne, devotè tamen, magnitudinem Tuam venerantur. Diu est, cum, quicquid, fœmineæ laudis virtutisque, omnis proposuit Historia, ita Tu Vna exhibuisti, ut absolutum virtutum Exemplar ipsa Natura, aut potius, qui hujus Rector est, D.O.M. orbi videatur proposuisse, Te cum eidem concesserit. Nunc verò age! prout semper, divina mente, supra omnem fortunam constitisti, hanc etiam cladem fortiter admitte, nec concede, ut, quæ omnibus semper superior, virtute exstitisti, fortunâ hâc inferior appareas. Sed quid ago? quæ ineptus de tantâ virtute effutio? Ignosce, SERENISSIMA DOMINA, si affectu abreptus, non cogitarim, MAGNA EA MATRE TE natam, cujus virtutem fortissimè ubique, omni fortunæ dominatam diximus. Quæ quidem facile, omnis laudis virtutisq;, punctum constitueret, nisi divinior ea Christianis fortitudo esset, qua mortis ipsius crudeli truculentiæ dominantur. Id quam felicissimè MAGNA HEROINA præstiterit, alibi legitis: Hic illud accipite, cum tempus illud decretorium, quod non minus homini mortem, quàm LILIO inducit marcorem, instare videret; optimè norat, FLORE omni fugacius esse, quod nos vitam dicimus: hinc prout sapientissima erat, non subterfugiebat eam conditionem, cui se natam sciebat; sed,
quem

quem divinum FLOREM, tanta virtute, per vitam omnem expreſſerat, ejus quoq; ſortem, ſub hujus terminum, certo ſperabat. Scilicet, id plerumq; nobilisſimo FLORI, ab hominum ſolertiâ, beneficii præſtari ſciebat, ut exactisſima curâ, adverſus ingruentis brumæ injurias, munitus conſervetur: Et ita mortis beneficio, tutam ſecuramq;, ab omni mundanarum turbarum impetu, quietem ſibi pollicebatur. Neque aliter evenit: cum beatisſima mens, intra cœli VIRIDARIA, recepta, patria Dei manu ſervatur; Celſisſimum verò Corpus, Illuſtrisſimo conditorio illatum, tutum ab omni egelidæ hujus, ac brumalis ætatis, injuria quieſcit, amœniſſimo illo, æterni veris, Sole rurſus animandum. Atq; habetis ita Regium hoc LILIVM, non è merito, ſed è viribus, propoſitum; quod uti devotisſimo, æternæ memoriæ, cultu veneremini, curate.

Tibi verò inprimis, SERENISSIME AC POTENTISSIME PRINCEPS AC DOMINE, DOMINE CLEMENTISSIME, MAGNE, MAGNAE JVLIANAE LVDOVICAE, NEPOS, humilimè ſupplico, ut, ſi divina illius virtute indigna, prout fateor, dixero, Celſitudinem ejus cogites, quam aſſequi ſanè non valui. Nec eam unquam, jejuni oris infantia, profanare fuisſem auſus, niſi ſubjectiſſimi obſequii partem, novisſimum hunc devotionis cultum ſtatuiſſem. Cui dum AVGVSTISSIMAM PRAESENTIAM commodare voluiſti, & ſummæ, in BEATISSIMOS

AVIAE



AVIAE MANES, pietatis; & clementisſimi, erga hæc ſtudia, affectus honorem obtinuiſti. Quem uti Tibi devotisſima Academia gratulatur; ita ſubjectisſimè venerari eundem, nunquam ceſſabit. Tu modò, SERENISSIME DOMINE, quam ſemel CLEMENTISSIMO AFFECTV dignatus es, nunquam deſtitue, nec, inclementi oculo, humilima ejus ſervitia deſpice. Ita omni LILIO fœcundior vige, flore, creſce; ac, quibus conceſſus es RECTOR, populis diu intereſto! FIAT!

Huc, ob Argumenti ſimilitudinem, ſequens par, non quidem dictorum, ſed publicè, in ILLVSTRISSIMIS EXEQVIIS, propoſitorum Programmatum, referre, memoriæ cauſâ, placuit.

INTIMATIO
IN FVNERE,
ILLVSTRISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI
SIGISMVNDI,
MARCHIONIS BRANDENBVRGENSIS,
BORVSSIAE, STETINI, POMERANORVM, CASSVBIORVM, VANDALORVM,
NEC NON IN SILESIA CROSNAE, ET CARNOVIAE,
DVCIS,

PANEGYRICI
BVRGGRABII NORIBERGENSIS,
PRINCIPIS RVGIAE,
PROPOSITA.


Ta ergò, & hujus diei, funestissimo exemplo, probandum erat, quod mors

Involvat humile pariter, & celsum caput,
AEquetq; summis infima,

nec minus in imperiis, quàm vilissimis tuguriis ludat; dum continuato, hesterni diei, luctu, ILLVSTRISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO SIGISMVNDO, MARCHIONI BRANDENBVRGICO, BORVSSIAE, STETINI, POMERANORVM, CASSVBIORVM, VANDALORVM, NEC NON IN SILESIA CROSNAE ET CARNOVIÆ DVCI, BVRGGRABIO NORIBERGENSI, PRINCIPI RVGIAE, DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO tristes exequiæ parantur.

Parum scilicet erat, avidissimæ mortis rapacitati, una clade SERENISSIMAM, DOMVS BRANDENBVRGICAE, CELSITVDINEM funestare: gemino funere erat triumphandum, ut, quam nulla, adversus potentiæ suæ vires, subsisteret potestas, postquam Imperio suo, divinâ voce, semel subjectos omnes tenet, ostentaret. Quæ cum prudentissimè expenderet MARTINVS V., anteà OTTO COLVMNA dictus, Tiaram Pontificiam, Galerum Cardinalium, Infulas Episcoporum, Diadema Imperatorum

rum, Coronas Regum, Ducum nudum enſem, pyræ ardenti injecta proponebat, addito lemmate, SIC OMNIS GLORIA MVNDI. Ita cum omnibus ſuperiores, Principes atq; Reges, Divina Majeſtas præfecerit, nominis etiam communione conceſſa, hoc uno tamen ſeſe inferiores voluit, ut, poſtquam longè lateq; diſtracto Imperio, jura dederint atq; leges, ſupremam legem, æterno, divini oraculi, edicto firmatam, ſubjectâ mente admittant, cujus hæc ſanctio inviolabilis: MORIENDVM EST. Equidem ſummam Philippi, Macedonum Regis, curioſitatem, quo lege hac ſolutus eſſet, notat Hiſtoria: dum & quadrigas, quod, ab earum violentiâ, ſaluti ſuæ periculum imminere, Apollinis oraculo didicisſet, toto regno omnes ab eo disjunctas; & Bœotiæ locum, Quadrigæ nomine dictum, ſemper vitatum refert. Sed ô vanam atque miſeram, adverſus divina fata, prudentiam! Non eluditur, humanis artibus, cœleſte conſilium, ſed æterno vigore, quod ſemel decrevit, agit. Numquid enim, inter ſolertisſimam curam, periculi genus, quem diximus, Philippus effugit, cum à Pauſania gladio, cujus capulus quadrigam habuit cælatam, trajectus caderet? Si tamen ea Chriſtianorum Principum cura ſit, ut immortales ſemper exiſtant: non quidem moriendi necesſitatem, hæc enim inevitabilis omnino eſt, declinare ſtudeant; ſed, ut ſuperare mortis violentiam, virtute valeant, omni ſtudio annitantur. Hac enim mente Orator, *mortem quidem*, inquit, *omnibus*

natura proposuit, crudelitatem mortis & dedecus virtus propulsare solet. Ita nec mortis horrore afficiuntur, & immortalis memoriæ honore supersunt singuli: prout sanctitate regiminis & consiliorum, divinam mentem ostenderunt. Quod usq; adeò Pagana etiam perspexit cœcitas, ut, postquam solenni consecratione, inter Deos, relatas Imperatorum animas putarent, corporum etiam, quandam quasi præsentiam, magnificis statuis, aliisq;, cum tempore certaturis, monumentis indicarint. Sed valeat superstitio! Felicior Christianorum sors, quâ &, in cœlesti Beatorum concilio, perennitatem, revera OPTIMIS Principibus contingere; & in terris, nunquam intermoriente memoria, æternum cultum superesse norunt. Et illud quidem exactissimè, celeberrimo Judaicæ Historiæ scriptoribus monumento, quod divino ac incomparabili HEROI, JOSVAE, positum referunt, expressum videtur. Hujus enim tumulo SOLIS statua imposita, quid aliud, nisi & in cœlis, & in terris, serenissimè relucentem, Sanctissimi Principis, honorem refert? Non equidem excludimus hinc inauditum, quod, hoc Principe, in Sole contigerat, miraculum, sed tamen & ulterius progressam, priscam sapientiam putamus. Familiare alias Principibus, Solare sidus esse constat, quod, cum reliquorum omnem siderum gregem ducat, suo regimine, interim

tempora dividat ævi,
Mutet nocte diem, radiisq; potentibus, astra

Ire

Ire vetet, cursusq; vagos statione moretur.

Hinc jam primò omnium, & Majestatem Principum, & regiminis dexteritatem, Solari statuâ propositam, cui non eluceat? Est sanè & Princeps ductor populi sui: qui tum gloriosissimè regit, cum, Serenissima Virtutum luce ILLVSTRIS, qua sequendum suis sit, ostendit. Itaque omnibus terrarum suarum illucet finibus, ut undiq;, scelerũ pulsa caligine, purus ubiq; ac idem appareat; qui tum felicissimè suorum promovet incrementum, cum, ad omnia temporis momenta componit regimen, ut, æquo semper tenore, quies atque securitas suorum constet; sicq; prudentia instructum gerit animum, ut continuo regiam mediocritatis viam decurrat, ne unqvam eo deviet, unde periculum atq; interitꝰ suis timeatur. Hæc dum agit Princeps, firmissima Majestatis suæ fundamenta ponit, quâ celsissimo, inter suos, positus loco, terras omnes, ac, qvicqvid infra se despicit, splendidissimis illustrat radiis: dumque Sole ipso illustrius refulget, admirationem omnium & amorem experitur, quos beneficentissimo influxu animat, atq; fovet. Ast occasus immineat huic Soli, &, quam diximus, fatali necessitati immergatur, nunquid æterna nocte obruitur? Annon, Sole citius, emergit, dum, eodem momento, & mortis nocte involvitur, & æterno cœli Sole collustratus, puriore longè splendore in cœlis exoritur. Terris verò, quibus eripi Illustrissimus splendor videtur, ita inoffenso radio affulget, ut Sole

etiam felicior, neq; defectum, neq; noctis obscuratu-
ræ successionem metuat. Est namq; bonorum Prin-
cipum felicitas, ut, æternum devota memoria, à suis
colantur, perpetuaq; subjectarum mentium gratitu-
dine, ab interitu, honor ipsorum vindicetur. Et ea
sors revera quoq; est ILLVSTRISSIMI & CELSIS-
SIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI SIGIS-
MVNDI, MARCHIONIS BRANDENBVRGICI
&c. &c. cui hoc die proh dolor! novissimum devo-
tionis cultum præstamus. Ejus enim Illustrissima-
rum virtutum decus, si accuratè lustres, non minùs ad
earundem lucem, quàm ad Solares radios immotus
oculus, animus caligabit. Sive enim ortum EJVS-
DEM, sive progressum cogites, fulgentissima undiq;
elucet claritas. Vel an parum videtur, è POTEN-
TISSIMARVM DOMVVM, BRANDENBVRGI-
CAE ET ANHALTINAE, conjunctione, tam il-
lustre sidus orbi nostro illuxisse? Equidem CELSIS-
SIMAM BRANDENBVRGI GLORIAM & alibi,
& hesterno inprimis die, clarissimè propositam, nunc
non repetimus: ANHALTINAE saltem DOMVS,
Illustrimum decus hac vice proponimus. Qvanqvam
& illud quid prolixioribus agere attinet, cum diu, u-
tramque summorum Historicorum paginam, eâ re
plenam legamus? ALBERTI namq; VRSI, CO-
MITIS ASCANII, &, temporis successu, ELE-
CTORIS BRANDENBVRGICI, immortale no-
men, & hodiè adhuc ita fulget, ut nullam alienæ
lau-

laudis lucem requirat. Si namq; præter absolutissi-
mam, quibus ipse illustris erat, Heroicarum virtu-
tum perfectionem, innumeros penè, ex hac propagi-
ne, enatos Heroas alios numeres, serenissima undiq;
perfunderis luce. Hunc namq; primum conditorem
atq; stipitem, non una ILLVSTRISSIMARVM,
ATQVE POTENTISSIMARVM, FAMILIA-
RVM devotio veneratur. Quippe, si priscorum se-
culorum evolvas annales, & priscos Saxoniæ Duces
Angrivarios atq; Westphalos, & Marchiones Electo-
res Brandenburgicos, & Anhaltinos deniq; Princi-
pes, felicissimo incremento hinc prodiisse, deprehen-
des. Sed ut horum Illustrem virtutem pressius sequa-
mur, ab VRSI DICTI tempore, usq; ad JOHAN-
NEM VI., DECIMVM TERTIVM & VLTI-
MVM hujus lineæ MARCHIONEM, ELECTO-
REMQVE BRANDENBVRGICVM, res Marchiæ
Brandenburgensis, & ELECTORATVS dignita-
tem, continua ducentorum annorum successione,
antequam, ad BVRGGRABIOS NORIBER-
GENSES, administratio earundem devolveretur,
tam feliciter ANHALTINA Virtus gessit, ut æternæ
gloriæ, atq; laudis splendore inde sit illustris. Habuit
ex hac etiam Domo Marchia eos Electores, quibus
Pietas, Prudentia, Fortitudo, aliæq; Principes virtu-
tes æternum decus conciliarunt. OTTONES,
BERNHARDOS, HEINRICOS, ALBERTOS,
& JOHANNES dicimus, quorum, laudatissimo

regi-

regimine, ea incrementa terris istis accesserunt; ut & civitatum, & cœnobiorum frequentissimâ fundatione, plurimum ornarentur. Nunc tamen, remotiori Historia præterita, ut SERENISSIMOS AC CELSISSIMOS PARENTES, quibus Anno 1592. 20. Novembr. intra 2. & 3. matutinam, Illustrissimus HIC SOL ortus, accedamus, sequenti serie, cum POTENTISSIMIS CELSISSIMISQVE MAJORIBVS, quantum Programmatis, temporisq; præsentis ratio, permittit, locantur.

PATER. JOHANNES GEORGIVS MARCHIO BRANDENBVRGENSIS, S. R. I. ARCHICAMERARIVS, & PRINCEPS ELECTOR &c. &c. &c.	*MATER.* ELISABETHA PRINCEPS ANHALTINA.
AVVS. JOACHIMVS II. MARCHIO BRANDENBVRGENSIS, S. R. I. ARCHICAMERARIVS, & PRINCEPS ELECTOR &c. &c. &c.	*AVVS.* JOACHIMVS ERNESTVS, PRINCEPS ANHALTINVS, COMES ASCANIVS, DOMINVS SERVESTAE & BERNBVRGI.
PROAVVS. JOACHIMVS I. MARCHIO BRANDENBVRGENSIS, S. R. I. ARCHICAMERARIVS, ET PRINCEPS ELECTOR &. &. &.	*PROAVVS.* JOHANNES PRINCEPS ANHALTINVS, COMES ASCANIVS &c. &c. &c.
ABAVVS. JOHANNES, Cognomine MAGNVS, CICERO GERMANICVS, MARCHIO BRANDENBVRGENSIS, S.R.I. ARCHICAMERARIVS, ET PRINCEPS ELECTOR &c. &c. &c.	*ABAVVS.* ERNESTVS PRINCEPS ANHALTINVS, COMES ASCANIVS &c. &c. &c.

ATAVVS.

ATAVVS.	*ATAVVS.*
ALBERTVS, ACHILLES GERMANICVS, MARCHIO BRANDENBVRGENSIS, S. R. I. ARCHICAMERARIVS, & PRINCEPS ELECTOR &c. &c. &c.	GEORGIVS SENIOR, PRINCEPS ANHALTINVS &c. &c.

Hanc primam liceat Auroram dicere, quæ purissimum orituri Solis splendorem, verissimè nunciabat: quam dum cogitamus, non importunè occurrit Poetarum amœnitas, quâ & Solem ipsum prius, quam oriatur, post pexos discriminatosq; capillos, & equos, currumq; totum, Eoi maris undis ablui fingunt, sicq; demum, liceat ipsorum verbis uti,

Oritur, currusq, suos è gurgite tollit,
Flammiferumq, jubar terræq, prolog, reducit.

Sit venia fabulæ: Illustrissimæ sanè proli id accidit, quæ, ut eò serenius seculo nostro oriretur, divino initiationis fonte abluebatur, cujus ea vis, ut, longè felicius, ardentem libidinis peccatiq; flam̃am extinguat, divini contrà amoris facem incendat, quàm Epiri famatissimus fons, faces accensas exstinguit, exstinctas accendit. Ipso enim justitiæ Sole, Deo, hic, dum sancto imbre perpluuntur, incenduntur mentes. Et hinc primi illi, quos ætas subsequens, tanto splendore, in ILLVSTRISSIMO PECTORE excitavit, virtutum igniculi resplenduerunt: neque obfuit iisdem, prima illa aterrimæ sortis, quâ nondum sexto, à nativitate, elapso anno, SERENISSIMVM DOMINVM PARENTEM amittebat, caligo; sed SERENISSIMAE

PRINCIPIS AC DOMINAE MATRIS piâ curâ, ita hæc pellebatur, ut fulgentior indies lux exoriri videretur. Non hic iterum omnes illas primæ ætatis curas, quibus honestisſima, VIROQVE PRINCIPE, digna, ſtudia ſolertisſimè tractavit, prolixè recenſemus: illud ſiquidem ultro occurrit, & Solem, antequam meridianam celſitudinem attingat, certis gradibus conſcendere; & omnem principum faſtigium, non felicius, quàm gradatim, obtineri. Si verò, perpetuo motu, Solis ſplendorem circumferri, omnibus æquè notum eſt: non alia Virtutis Principum ratio eſt, quæ cœlum Solemque imitata, ita latiùs fulget, prout, promptiori motu, exterorum mores luſtrat atque notat. Is animus cum eſſet ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, ANNO M.DC.IX., antiquisſimum ſummæ gloriæ, virtutisq; theatrum, ITALIAM ingreditur, in qua dum, quicquid æternitatem MAGNAE VIRTVTIS aſſerit, curiosè luſtrat, fortisſimos ejusdem ſtimulos percipit. Ita namq; putabat, ſtatuarum, aliorumq; monumentorum pompoſum honorem, non minùs vivis, ad quælibet virtutis munia, incentivum; quàm defunctis, opulentisſimum rerum, laudatisſimè geſtarum, præmium eſſe. Quo quantum profecerit CELSISIMA MENS, paulò poſt, cum Gallia, Sabaudia, Belgio, peragratis, feliciter in Germania redux eſſet, clarisſimè demonſtravit. Nam & militaribus expeditionibus, dum ſemel atq; iterum conſcripto milite, afflictas Germaniæ res, pro tem-

tempore, reſtituere anniſus; & conſiliis legationibusque feliciſsimè adminiſtratis, illuſtrisſimum, perſpicacisſimæ prudentiæ, ſplendorem undiq; edidit. Ita ſcilicet, indefeſſo curſu, ad cœli faſtigium contendebat, ut radios illuſtrisſimæ virtutis, eò latius diffundere poſſet. Experta eorundem vim primò omnium Marchia, cui cum, à DIVO GEORGIO WILHELMO, quoties HVJVS præſentiam, afflicta patria noſtra requirebat, præficeretur, tantâ cum gloriâ eam ſemper adminiſtravit, ut, gratisſimâ adhuc memoria, EJVSDEM ſolertisſimam prudentiam, quâ, inter hoſtiles exercitus, non modo ruinam averruncavit, ſed & effuſam, militaris ferociæ, licentiam ita compeſcuit, ne extrema auderet, ſubjectisſimè veneretur. Prusſiam verò hanc noſtram, quantum ſibi devinxerit, quis dicat? Ea ſanè, ſi omni monumentorum, ſtatuarumq; honore, ILLVSTRISSIMVM HVNC MARCHIONEM, proſequeretur, parum, ſi ad ſumma EJVS merita conferantur, eſſet. Hæc enim, quòd præſentisſimæ vaſtitati, atq; imminenti excidio erepta, pace ſuâ ac quiete fruatur; quod fulminans undiq;, ac ſanguinis, ferriq; duros minitans imbres cœlum, tranquillisſima ſerenitate commutarit; quod, infamibus naufragii ſcopulis evitatis, portum ſecurè obtinuerit, tot interim gentibus, nondum deſævientis maris, æſtu vexatis; omne illud, poſt IMMORTALE DIVINAE BONITATIS munus, ac PRVDENTISSIMAM DIVI ELECTORIS CVRAM,

laboreac consilio CELSISSIMI SIGISMVNDI procuratum est. Hunc enim, cum tantum sibi conficiendum negotium committi videret,nullis curis, nullis viarum difficultatibus,nulli, in demulcendis dissidentium animis, labori parcere vidisses: quin nec quietem gratam sibi putabat ante, quam suæ quieti Borussiam restituisset. Scimus Solis calore nubeculas, è terræ vaporibus coalescentes, solvi: Et eandem hoc loco virtutem putemus, qua densum hoc bellorum nubilum, tristissimam rebus nostris caliginem offundens, dispulsum, novamq; serenitatis lucem reductam, experti sumus. Impia sis ac invisa omnibus, nisi tantæ virtutis cultum, devotissima mente prædices, æternáq; veneratione colas! Quid enim videtur? Si Roma vetus eandem remunerari voluisset, quantâ magnificentia atq; splẽdore id constituisset? Tu proinde, quid agas, videris, &, quandoquidem non eget terreno præmio, æternâ jam in cœlis felicitate dives anima, mente saltem, quâ & ipsa æterna es, devotionem tuam perage: & si, quod capere poterat, terra tua continet, nunquam admitte, ut tanti muneris memoriam, oblivio unquam obruat. Sed prout Sol non uno radio, nec uni loco affulget: ita quoq; salutari hujus sideris influxu, variæ terræ adjutæ sunt. Eo usq; enim splendor CELSISSIMARVM VIRTVTVM pertigerat, ut, cum sub INVICTISSIMO, ET POTENTISSIMO FERDINANDO II., IMPERATORE SEMPER AVGVSTO Anno 1636. consilia
de

de Pace Germaniæ reddendâ (quibus tandem felicissimum eventum, ſummum NVMEN concedat!) agi inciperentur; ſummæ hujus prudentiæ, feliciſſimæq; dexteritati, à SERENISSIMO PRINCIPVM ELECTORVM COLLEGIO, maximè arduum negotium credebatur, quo, quæcunq; tam ſalutaribus conſiliis expediendis prodeſſent, conſultationibus præliminaribus præpararet. Idque laudatiſſimè atq; ſolertiſſimè præſtitum eſſe, omni orbi, publicis typis expoſita relatio, teſtatur. Tandem ut difficultates, quibus Clivienſium Terrarum res, aliquo modo, laborare videbantur, componerentur, iterum DIVO ELECTORI, HAC VIRTVTE uti placebat. Suſcipit ille munus, plenaq; rerum gerendarum poteſtate inſtructus, difficilimo itinere mare Balthicum trajicit, tandemque 3. Octobr. 1638. Embricæ feliciter appellit. Simili & hîc induſtria rerum geſtionem auſpicatur: ſed quia & animorum diſſidia indies creſcebant; & decreſcebant, morbo opprimente, vires, non, quem ſolebat, ſucceſſum obtinuit. Proximo namque, ab adventu, menſe, tanta morbi vis EVM adorta eſt, ut lectulo continuò affigeretur. Hinc quandoquidem tumore, ex aqua, ut videbatur, intercute proveniente, magis magisq; debilitatum corpus, ſuo munere fungi non poterat, animus ipſe, defungi negotiis ſuis haud valebat: neque medelam, afflictis dictarum provinciarum rebus, afferre poterat CELSISSIMA MENS, cùm omnem exquiſitiſſimam

etiam MEDICORVM curam, nobilisſimamq; medicamentorum vim ſuperans, mali vis, remedium, ILLVSTRISSIMO HEROI negaret. Ergo animæ curam, quam, inter omnia publicarum rerum munia, ſanctisſimam ſemper habuit, meditatus, Dei cultum ſolertisſimè curat: cumq; publicè id agere, eum morbi gravitas prohiberet, intra conclave ſuum, & verbi Divini, & cœleſtis epuli devotisſimo uſu, ita divinam mentem præmuniebat, ut &, contra mortis acerrimum impetum, immota perſtaret. Calani Indi celeberrimam mortem referre ſolent, qui in Pyra, è fragrantisſimis lignis conſtructa, conſiſtens, Solem affulgentem adoravit, ſicq; flammis cinctus, non collapſus eſt ante, quam expirarit: Longè divinior CELSISSIMO PRINCIPI mens fuit. Hæc enim, prout ſemper cœlo ſuo cognata fuerat, ita nunc, ſub noviſſimi occaſus tempus, nunquam à ſuo SOLE, cujus divino radio, à prima infantiæ ætate, illuſtratum diximus, recedebat: ſed irretorto ſemper oculo (ô divinam ac dignam BRANDEBVRGICAE AQVILAE pietate mentem!) eundem intuens, ita ejus ardebat calore, ut nec gelidus mortis rigor eum extingeret; ita verò ejus animabatur fomento, ut &, cum expiraret, im̃otâ fide firmiter ſtaret. Contingit id ILLVSTRISSIMO ET CELSISSIMO MARCHIONI, in arce Clivienſi $\frac{20}{30}$. Aprilis 1641. poſtquam benignisſimum, rebus hominum juvandis, virtutum ſplendorem, ter-

ris

ris hiſce, annos XLVII, menſesq; V. commodaſſet. Antea occaſum, ſingulos ſoles manere diximus: ſed tamen nunquam, & ne morte quidem, occidere pietatis virtutumque jubar conſtat. Ergò ſi hanc etiam mortem excutias curioſius, leve quoddam nubilum videatur, quod mentibus noſtris objectum, impedit BEATISSIMI PRINCIPIS intuitum. Neque enim mortalis oculi ea acies eſt, ut ſuſtineat iſtius felicitatis ſplendorem, quâ perfunditur ea mens, quæ virtutum luce, his in terris claruit. Hebeſcit hîc omnis non modo oculus, ſed & ipſa ratio, ubi æternitatis lucidiſſimum ſidus meditatur. Exuvias verò BEATISSIMAE ANIMAE, dum hoc die patria hæc noſtra tegit, illud, quod ſupra monuimus, meditetur: hoc ipſum etiam, quod, intra tranquillitatem, ſecuro conditorio, hæc Tutelaris ac Soſpitatoris ſui oſſa, tegere liceat, EJVSDEM munus eſſe. Huic proinde, ut debitam quoq; venerationem, ſempiterna memoriâ, præſtent, omnes curabunt. Vos verò imprimis, Cives noſtri (nam & vobis Hujus HEROIS virtus, ſecurum Hunc, à vaſtitate, Parnaſſum præſtitit) ut iterum frequenti comitatu, inter juſtisſimum luctum, ILLVSTRISSIMVM FVNVS deducturi, circa X. in Area conveniatis, indeque heſterna, pro æterna SERENISSIMAE DOMVS BRANDEBVRGICAE felicitate, vota repetatis, monemus. P.P. XII. Martii St. n. 1642.

SERE-

SERENISSIMAE AC CELSISSIMAE
PRINCIPI ET DOMINAE,
DOMINAE
LVDOVICAE JVLIANAE,
PRINCIPI AVRIACAE, COMITI NASSO-
VIAE, CATTIMELIBOCORVM, DICII, VIAN-
DAE ET NIDDAE &c. &c. &c.
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI
FRIDERICI IV.
COMITIS PALATINI AD RHENVM,
S.R.I. ARCHIDAPIFERI ET PRINCIPIS ELECTO-
RIS, VTRIVSQVE BAVARIAE DVCIS
&c. &c. &c. B. R.
ILLVSTRISSIMAE QVONDAM CONJVGI,
PRINCIPI AC DOMINAE NOSTRAE CLE-
MENTISSIMAE,
JVSTA FVNEBRIA PERSOLVENDA,
INDICVNTVR.



SI gravem privatarum ædium ſortem, non luctu ſaltem atq; mœrore, ſed acerbiſſimo etiam planctu ac ejulatu, proſequimur, teſtantibus ipſius Dei Servatoris, ad amici tumulum, lachrymis; quo affectu triſtiſſimorum fatorum, quæ POTENTISSIMAM DOMVM BRANDENBVRGICAM etiamnum urgent, pertinaciam, dum, poſt luctuoſiſſimas ſuperiorum

riorum temporum mortes, novo SERENISSIMAE AC CELSISSIMAE PRINCIPIS AC DOMINAE, DOMINAE LVDOVICAE JVLIANAE, PRINCIPIS AVRIACAE, COMITIS NASSOVIAE, CATTIMELIBOCORVM, DICII, VIANDAE, ET NIDDAE &c. &c. ILLVSTRISSIMAE QVONDAM, SERENISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI FRIDERICI IV. COMITIS PALATINI AD RHENVM, S.R.I. ARCHIDAPIFERI, ET PRINCIPIS ELECTORIS, VTRIVSQVE BAVARIAE DVCIS &c.&c. B.R. CONJVGIS, DOMINAE NOSTRAE CLEMENTISSIMAE funere afflicta, hinc AVIAM, inde MATREM CELSISSIMAM, SVMMIS CAPITIBVS ereptam luget, om̃nis ſubditorum devotio accipere debeat, facilè conſtabit. Ita, dum ſpes omnium animos certisſima occupârat, fore tandem, ut poſita cœleſtis iræ tempeſtate, ſereniores exoriri dies, ac pura gaudia, POTENTISSIMAE DOMVI, affulgere inciperent, en! repentè nova exſurgunt nubila, ac, præter ſpem omnium, ſubitæ omnia involvunt caligini, quæcunq; lætius eruptura paulatim ſperabâtur. Ac proinde cum, quam potentisſimo influxu, SVMMORVM CAPITVM fortunæ, ſubjectas inferiorum mentes mutet, nemo ſit, qui neſciat; quid mirum, ſi ſub aſpectum lugubris illius ſqualoris, quo iſta obvelantur, cum reliquis univerſæ provinciæ ſubditis, nos etiam, qui MVNIFICENTISSIMA SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI FRIDERICI WILHELMI, MARCHIONIS BRANDEBVRGENSIS, S.R.I. ARCHICAMERARII ET PRINCIPIS ELECTORIS,

BORVSSIAE, JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, STETINI POMERANORVM, CASSVBIORVM, VANDALORVM, CARNOVIAE ET CROSNAE IN SILESIA DVCIS, BVRG-GRABII NORIBERGENSIS, PRINCIPIS RVGIAE, COMITIS MARCAE ET RAVENSBERGI, DOMINI RAVENSTEINI, DOMINI AC NVTRITII NOSTRI CLEMENTISSIMI, LIBERALITATE fovemur, vehementiori ejus ſenſu tacti, publicum hunc doloris noſtri teſtem proponamus? Ac licuiſſet utinam nobis, per Dei neutiquam mutandum conſilium, lætiori opera MAGNAS MAGNAE PRINCIPIS VIRTVTES prædicare! Nunc quid aliud agemus, quàm ut, propoſita earundem memoriâ, graviorem, è jactura, dolorem concitemus? Sed, ſi illa æternum illarum, inter immortales, præmium capesſit, quidni aſſerendæ, inter mortales, memoriæ cauſa, ſi vel hinc dolor, modum inveniat, novisſimum hocce, inter luctum & dolorem, monimentum, ſubjectisſimâ cum devotione, ſtatuamus? Quod verò ut moliamur felicius, occurrit inſigne illud admirandæ & artis, & pretioſitatis opus, quod, inter Pygmalionis opulentisſimos theſauros, autores recenſent: OLIVA EX AVRO ARTIFICIOSISSIME ELABORATA, CVJVS FRVCTVS, EX SMARAGDO LAPIDE, QVAM OPVLENTISSIMI FVERVNT. Et quod illuſtrius, CELSISSIMAE VIRTVTIS, monumentum inveniri poterat? Equidem, quantum alii immenſas Pygmalionis opes hinc æſtiment, conſtat abundè: aſt nec obſcurius eſt, cum vana & inanis cumulatisſima-

ru m

rum divitiarum sit possessio, quàm felicissimæ Principum existant mentes, si virtutum ditissimo thesauro abundent. Quod dum, haud ineptè, hinc colligunt Hieroglyptæ, quid poterat convenientius? Ita sanè est: sive dignitatem spectes, non minus, ac aurum metalla cuncta; ita divina Principum virtus, reliquum majestatis splẽdorem omnem supereminet: sive solidum consideretur atque constans robur, prout eodem reliqua omnia generosissimum, quod diximus, vincit metallum; ita constanti virtute solidè fulciunt, ac fortiter sustinent etiam, non suas solùm, sed subditorum quoq; fortunas, Principes. Sed quoties ista non dicuntur? Hinc missis iis, opulẽtissimos saltem SMARAGDI fructus contemplemur. De cujus quidem nobilissimæ Gemmæ dignitate, quicquid dici potuerit, omne id, in BEATISSIMA ELECTORISSA, amœnius eluxisse videbitur, ita ut, si de ista constans Doctorum vox est, speculi instar, rerum circumstantium ideas, intuentium oculis exhiberi eâdem; HAEC revera non quarumvis quidem, sed excellentissimarum, rerum clarissimam proposuerit imaginem. Ita scilicet omnis comparata est virtus, ut, ubi semel radicibus fortiùs actis, florentissimâ arbore lætius succreverit, fructus etiam, omni SMARAGDO nobiliores, producat. Et qui posset aliter? cum divina sata origine, tàm excelsæ semper sit indolis, ut, non, nisi sublimibus, occupetur. SMARAGDVM hîc cogitate, cujus natales, præsertim in

 aureis

aureis metallis, constituunt naturæ consulti, è quibus maximè illustres prodeant, reliquis aliquantulum vilioribus. Et annon id, omnium confessione, certissimum est; omnis virtutis eò illustrius decus esse, quo illustriores animas sit nacta? Hic jam decerne, quid abjectum, aut vile à BEATISSIMA HAC provenire potuerit, quæ tam ILLVSTRISSIMO, AVGVSTISSIMORVM NATALIVM, SPLENDORE claruit. Sive namque CELSISSIMVM POTENTISSIMVMQVE PATERNAE, sive AVGVSTISSIMVM MATERNAE DOMVS DECVS intueamur, is undique splendor oculos animosque perstringit, ut ferè impares percipiendo eidem videantur. Scilicet non minus, fulgidissimum Solis jubar, oculorum; quam divinus virtutis radius, mentium obtundit quasi aciem. Neque tamen omnia ejus rei capita, cum peculiari Panegyri, solenniter huic operi destinatæ, ea commodiùs reservemus, hoc loco proponemus: sed, pro instituti præsentis ratione, quod Historiam saltem BEATISSIMAE exhibet, sufficiat indicasse MAGNA NOMINA, atque omne illud, quod reliquum est, lucis innuisse. Nata proinde, EA M. D. LXXVI. ultimo Martii Delphis Batavorum, PATRE CELSISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO, DOMINO GVILIELMO, ARAVSIONVM PRINCIPE, COMITE NASSOVIO, CATTIMELIBOCORVM, DICII, VIANDAE, NIDDAE, MARCHIONE VERIARVM ET FLISSINGAE, BVRGGRABIO ANTWERPIENSI, & VICE COMITE VESONTIONIS, BARONE BREDANO, DISTEMII & GRIM-

& GRIMBERGAE, DOMINO CASTELLI-BELINI, DVCE MILITIAE BELGICAE, GVBERNATORE BRABANTIAE, HOLLANDIAE, SELANDIAE, VLTRAIECTI & FRISIAE, ARCHITHALASSO BELGICO, B.M. &c.&c. cujus imortalis virtus, diu æternitate famæ, & hunc, & alterum orbem complevit: MATRE itidem CELSISSIMA & ILLVSTRISSIMA PRINCIPE AC DOMINA, DOMINA CAROLA, DVCE BORBONIA & MONPENSERIA, ex AVGVSTISSIMA EA CHRISTIANISSIMORVM REGVM FAMILIA, quæ ad MAGNVM HVGONEM CAPETVM, GENVS SVVM referens, hodiè etiamnum ſceptra ac diademata feliciter ibidem uſurpat, oriunda, proindeq; CONSOBRINA, POTENTISSIMI HEINRICI IV. CHRISTIANISSIMI GALLIAE ET NAVARRAE REGIS, felicisſimæ recordationis. Hiſce CELSISSIMIS orta PARENTIBVS, quamvis ſatis ſuperque undique oſtendat ILLVSTRISSIMVM SPLENDOREM, ne tamen quicquam ſummæ Dignitatis deeſſe videatur, en omnem, CELSISSIMORVM MAJORVM, ſeriem, quâ recenſuit

AVVM PATERNVM.

CELSISS. ET ILLVSTRISS. GVILIELMVM SENIOREM, DIVITEM DICTVM, COMITEM NASSOVIVM, CATTIMELIBOCORVM, VIANDAE & DICII, DOMINVM DILLENBERGI & BEILSTEINII &c. &c. cujus CELSISS. CONJVX, JVLIANA COMES STOLBERGENSIS, ILLVSTRISS. ET CELSISS. PHILIPPI, COMITIS HANOVIENSIS VIDVA.

AVVM MATERNVM.

CESISS. ET ILLVSTRISS. LVDOVICVM, DVCEM BORBONIVM ET MONPENSERIVM, Cujus CELSISSIMA CONJVX JACOBA, DVX LONGEVILLANA, è CELSISSIMA DOMO CATALAVNENSI, ut & PALATINORVM DVCVMQVE BVRGVNDORVM oriunda.

PROAVVM P.

CELSISS. & ILLVSTRISS. JOHANNEM JVNIOREM, COMITEM NASSOVIVM, VIANDAE & DICII, DOMINVM DILLENBERGI & BREDAE: Cujus CELSISS. CONJVX ELISABETHA, CELSISS. HEINRICI, HASSIAE LANDGRAVII, & ILLVSTRISS. ANNAE COMITIS CATTIMELIBOCORVM FILIA.

PROAVVM M.

CELSISS. & ILLVSTRISS. LVDOVICVM, DVCEM BORBONIVM, PRINCIPEM RVPISAD JONNAM, quæ est REGALIS FAMILIAE BORBONIAE, COMITEM MOMPENSERIVM, Cujus CELSISS. CONJVX LVDOVICA, DVX BORBONIA GILBERTO BORBONIO, COMITE MOMPENSERIO, CAROLI VIII. GALLIARVM REGIS PROREGE NEAPOLITANO, & LEONORA GONZAGA, DVCIS MANTVANI FRIDERICI FILIA, fuit nata.

ABAVVM P.

CELSISS. & ILLVSTRISS. JOHANNEM SENIOREM, COMITEM NASSOVIVM, VIANDAE, DICII, DOMINVM DILLENBERGI & BREDAE; Cujus ILLVSTRISS. CONJVX JOHANNA, COMES DE LOEN HEINSBERG & LÆHENBERG.

ABAVVM M.

CELSISS. & ILLVSTRISS. JOHANNEM, DVCEM BORBONIVM, ET COMITEM VINDOCINENSEM, cujus ILLVSTRISS. CONJVX ISABELLA, COMES BELLOVACENSIS,

Facile esset, ulterius hæc summa orbis ornamenta deducere, & è MATERNA, LVDOVICVM MAGNVM, ROBERTVM, LVDOVICVM SANCTVM, LVDOVICVM CRASSVM, GLORIOSISSIMOS OMNES GALLIAE REGES; è PATERNA verò familia, præter innumera alia, Pacis bellique fulmina & lumina, AVGVSTISSIMVM ADOLPHI NASSOVII, INVICTISSIMI IMPERATORIS ROMANI S. A. M. CC. XCII. NOMEN adducere, nisi ea propriarum, in SERENISSIMA HAC

HAC NOSTRA, JAM BEATISSIMA, virtutum abundantia occurreret, ut superflua omnis alienæ virtutis laus videretur. Quamvis & hæc non alio fine proposuimus, nisi ut liquidius constaret, si aurei SMARAGDI natales tantoperè vulgò jactantur, longè illustriora NOSTRAE incunabula fuisse. Quibus tamen ipsa nunquam adeò superbiit, ut non innumeris modis eam prosapiam istis anteferret, quam, cum initiationis Sacramento renata, Deum patrem nancisceretur, à cœlo ducebat. Neq; id immeritò; hîc nempe inexhaustum illum, boni omnis thesaurum asservari nôrat, unde quicquid auro omni constantius, argento omni purius, gemmis etiam pretiosissimis gratius fulget, depromatur. Virtutum illud divinum decus puta, quod uti non nisi cœlesti origine provenit; ita, quicquid terra omnis admiratur, suspicit, tantum superat, quantum splendidissima cœli celsitudo, abjectissimas terræ vincit sordes. Hac una prout instructa mens est; ita & elegantiæ, & opulentiæ absolutissimam obtinet laudem. SMARAGDI sanè eam pulchritudinem prædicant, ut inter Gemas, virentes quidem, elegantiorem aliam nullam statuant. Et sanè nativâ quadam amœnitate, oculis virorem abblandiri experimur, dum non vernantem modo hortorum agrorumque vigorem, cum tacita quadam oculi animique titillatione, usurpamus; sed exanimis quoque ejusdem, nescio quæ, blanda solet esse voluptas. Ast immortalem virtutis vigorem aspicite,

cite, quē nec bruma lædit, nec tempus languore commutat, sed perennanti flore ostentat. Et quis, promanantem inde, venustatem ejus dignè explicet? Diu quidem est, cum Doctissimus seculi sui Desiderius, eam, si oculis corporeis videri posset, innumeros sui amatores excitaturam, dixit: quippe quæ una omnium magnorum maxima, pretiosorum pretiosissima, suavium suavissima existat. Sed agite tamen, licebit, neque enim id invidebunt BEATISSIMI SERENISSIMAE manes, oculo in EA amœnissimum, tam divinæ rei, decus usurpare: neque enim in obscuro delituit; sed ita in omnium oculis, à prima ætate, est versata, ut omnibus virtutum suarum exposuerit ornatum. Ita namque curiosissima, CELSISSIMORVM PARENTVM, solertia culta fuit, ut, lætissimè adolescens, eam tenerioris ætatis ostenderet virtutem, quæ summos maturitatis fructus polliceretur. Aberat equidem adhuc, à perfecta maturitate, &, quod ex æquo omnibus commune est, non nisi temporis successu, certis gradibus perfici videbatur: sed tamen, si ex amœnissima florum amœnitate, fructuum opulentiam, haud vano augurio, conjicimus, hic etiam, quàm certa spe, illustrissimi fructus exspectādi essent, statuere licebat. Ita nec oris corporisq; elegantiam; nec, quicquid ornatus majestatisque, tantæ fortunæ sublimitas addere istis solet; sed hoc unum verum, PRINCIPVM VIRGINVM, decus statuebat, quod in animo natum, & Parentem, & Nutricem virtutem habe-

haberet. Atq; hinc quid mirum, si, prout lætissimum ver, felicissima messis; ita cultissimam juventutem, fœcundissima, omnis succedentis ætatis, virtus exceperit? Insignis ea hucusque & SMARAGDI, & BEATISSIMAE proposita venustas fuit; sed quæ tamen utrinque, longè uberiori augeri videbitur incremento, si nobilissimæ, quibus commendata fuit ista, addantur actiones. Idque eò magis, quo absolutior & ejus, quâ virtus spectata est, pulchritudinis perfectio, actione constat. Hinc si exterior illa SMARAGDI, qua oculum pascit, species, non id pretium, quo æstimatur, inveniret; nisi salutaris, qua hominum necessitatibus prodest, vis adesset: Omnis quoque illa divina SERENISSIMAE virtus, ut ut undique devotissimũ cultum provocaret, maximè tamen eum stabiliebat, cum in publicum sese exerens, vim suam aliis ostenderet. Variam vulgò SMARAGDI virtutem prædicant, ut quod, præter varios aliàs morbos, venenis inprimis medeatur, truculentissimos animalium morsus sanet, Epilepsiam tollat, &, juxta hæc corporis remedia, animo ipsi inserviens, adversus Dæmonem & Timorem prosit: non sanè hæc ea mente afferimus, ut veritatem eorundem anxiè confirmemus; sed ut, si dubia ea nonnullis videantur, superiis decernant autores, nos BEATISSIMAE veriùs ea omnia, virtutis beneficio, adfuisse ostendamus. Immensum iterum trajiciendum occurrit mare, quod tamen pressis velis, lectoq; littore, quantum huic in-

ſtituto ſuffecerit, cogimur luſtrare. Quis enim dignè, poſt devotisſimam Deo pietatem; mirandum ſapientisſimæ mentis acumen; propenſisſimam, in tanto faſtigio, clementiam; invictam animi, inter tot adverſitatum impetus, conſtantiam; hic debitis modis proponat? Ita namque his omnibus, & reliquo virtutum ornatu, floruit, ut, jure merito, exactum PRINCIPIS VIRTVTIS exemplar vocari queat. Etſi benefica vi, quam diximus, Gemma corporum morbos ſanat: non modo HAEC, clementisſimè aliis ſubveniendo, idem præſtitit; ſed inprimis, prout IPSA Virtutibus munitum pectus gerebat, ita curioſisſimè providit, ne vitiorum morbis, SVORVM opprimerentur mentes. Hinc & SRRENISSIMAM SOBOLEM, piisſimâ ſemper curâ eduxit, &, quoscunq; aulæ ſuæ adſcriptos regebat, procul ab eo contagio abeſſe jusſit. Ipſum verò animi robur, quo tàm confidenter, omni etiam affligente adverſitate, Deo ſuo adhæſit, ut divelli ab eodem nunquam potuerit, quid videtur aliud, quàm intrepida illa fiducia, quæ è Virtute promanans, feliciori eventu adverſus timorem, & quorumvis inſultuum violentiam, animum, quàm SMARAGDI virtus, firmat? Verùm, cum & hæc propediem illuſtrius, CVM DEO, propoſituri ſimus, nolumus, eorundem prolixiori recitatione, hanc operam conſumere, cum imprimis plura alia proferenda, illuſtris SMARAGDI indoles moneat. Decantatisſimam SMARAGDI laudem pasſim inveni-

venimus, quâ tantoperè impuris amoribus adversari dicitur, ut vulgo castitatis custos, & adulterij proditor statuatur, confirmante id, notissima REGINAE HVNGARIAE Historia: Ast non SMARAGDI id indicio, quàm sanctissima SERENISSIMAE castitate, facilius innotescit. Hujus siquidem purissima mens, quid aliud, quàm sancta quaedam castitatis aedes, in quâ, simplici candore spectatae, victimae immolabantur? Etsi Dianae Ephesiae templum, inter alia, Cupidinis telo, in vacuo pendente, insigne fuit: Hoc illustre pectus, non Dianae, sed coelestis Sponsi, sectatum castitatem, locum nullum impuri amoris telis dedit. Ita, praeter reliquas virtutes, post virginitatis honores, & conjugium, cum omni reliqua aetate, exegit. Annuebat enim, CELSISSIMORVM PARENTVM voluntati, cum, Deo Pronubo, HI EAM, SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO FRIDERICO IV. COMITI PALATINO AD RHENVM, S.R.I. ARCHIDAPIFERO, ET PRINCIPI ELECTORI, VTRIVSQVE BAVARIAE DVCI &c. &c. despõderent: hinc, laetiori solennitate, etiam EIDEM M. D. XCIII. XII. Junii, inter nuptiales applausus, juncta fuit. Thalami hujus tranquillissimam felicitatem, non tantum constantissimâ amoris puritate; sed & foecundissimâ CELSISSIMAE PROLIS productione, ita subinde crescere videbant omnes, ut felicissimum incrementum, etiam aliis provinciis, promittere inde auderent. Nam sicut, non obstante sum-

mo illo caſtitatis argumento, quod in SMARAGDO occurrit, feliciſſimè IDEM partus promovere dicitur: ita non adverſatur, caſtitatis puritati, conjugalis amor; quin uti Dei ſanctiſſima conſtitutione fundatur, ita nunquam adeò, niſi impia mens ſit, ab ejusdem amore divellitur, ut non ſanctiori, intra animũ, thalamo, eum foveat atque amplectatur. Atque hinc ea conjugum felicitas, quam DEI munere obtinent, quoties, ſanctiſſimis illis cœleſtis amoris pignoribus, liberis domum ornari vident. Quod quidem cum adeo feliciter SERENISSIMA experta fuerit, ut non modò OCTAVA PROLE, ſed & XXX. NEPOTIBVS, PRONEPOTIBVSQVE V. cœlitus ſit donata, quis non eximium Dei favorem, eo ipſo declaratum colligat? Cæterùm SERENISSIMORVM ET CELSISSIMORVM CAPITVM, QVORVM SERENISSIMA MATER exiſtit, ſeries hæc eſt. Enixa namque eſt,

I. CELSISSIMAM ET ILLVSTRISSIMAM LVDOVICAM, M.DC.XII. nuptam CELSISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO JOHANNI, COMITI PALATINO AD RHENVM, ELECTORALIS PALATINATVS ADMINISTRATORI, ET S. R. I. VICARIO, BAVARIAE DVCI, COMITI VELDENTIAE, ET SPANHEIMII.

II. CELSISSIMAM ET ILLVSTRISSIMAM PRINCIPEM AC DOMINAM, DOMINAM CATHARINAM SOPHIAM, quæ adhuc VIRGINITATIS HONORE ILLVSTRIS S. PRINCIPVM VIRGINVM SVMMVM DECVS exiſtit.

III. SERE-

III. SERENISSIMVM ET POTENTISSIMVM PRINCIPEM AC DOMINVM, DOMINVM FRIDERICVM V. BOHEMIAE REGEM, COMITEM PALATINVM AD RHENVM, S. R. I. PRINCIPEM ELECTOREM, DVCEM BAVARIAE &c. &c. Cujus AVGVSTISSIMA CONJVX, MAGNI BRITANNIAE REGIS, JACOBI INVICTISSIMI, FILIA FVIT VNICA.

IV. SERENISSIMAM ET CELSISSIMAM PRINCIPEM AC DOMINAM, DOMINAM ELISABETHAM CAROLAM, PRINCIPEM AC DOMINAM NOSTRAM CLEMENTISSIMAM, cujus vulnus, quod CELSISSIMI CONJVGIS, SERENISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI GEORGII WILHELMI, MARCHIONIS BRANDENBVRGENSIS, S.R.I. ARCHICAMERARII ET PRINCIPIS ELECTORIS, BORVSSIAE, JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, STETINI POMERANORVM, CASSVBIORVM, VANDALORVM, NEC NON IN SILESIA, CROSNAE ET CARNOVIAE DVCIS, BVRGGRABII NORIBERGENSIS, PRINCIPIS RVGIAE, COMITIS MARCAE ET RAVENSBERGI, DOMINI RAVENSTEINI, DOMINI AC NVTRITII HEV! QVONDAM NOSTRI MVNIFICENTISSIMI, luctuosissima morte infligebatur, tanta cum acerbitate, iterato jam ictu, recruduit, ut vix capax remedii videatur; nisi, quod devotissimè rogamus omnes, singulari omnipotentis Dei dextra curetur, ac cœlesti solatio consolidetur. Sed & SERENISSIMVM CELSISSIMVMQVE PRINCIPEM FILIVM, POTENTISSIMVM DOMINVM, NVTRITIVMQVE NOSTRVM MVNIFICENTISSIMVM, DOMINVM FRIDERICVM WILHELMVM, MARCHIONEM BRANDENBVRGENSEM, S.R.I. ARCHICAMERARIVM, ET PRINCIPEM ELECTO-

REM, BOR. JVL. CLIV. MONTIVM &c.&c. DVCEM &c.&c. hoc fine, Summe Principum Præses atq; custos, clementissimè conserva, quo ejus felicissimo regimine diu reficiatur, quodcunq; languet; exhilaretur, quodcunque luget; confirmetur, quodcunque vacillat; augeatur denique ac floreat, quodcunque deficere ac emarcescere videtur.

V. CELSISSIMVM ET ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM AC DOMINVM, DN. PHILIPPVM LVDOVICVM, COMITEM PALATINVM AD RHENVM, BAVARIAE DVCEM, qui M. DC. XXXI. SERENISSIMI AC POTENTSSIMI JOACHIMI FRIDERICI, MARCHIONIS BRANDENBVRGENSIS, S. R. I. ARCHICAMERARII ET PRINCIPIS ELECTORIS &c. &c. &c. CELSISSIMAM FILIAM PRINCIPEM MARIAM ELEONORAM duxit.

Reliquos è SERENISSIMO HOC THALAMO PROGNATOS, MAVRITIVM scilicet CHRISTIANVM, LVDOVICVM GVILIELMVM, & ANNAM ELEONORAM, PRINCIPES, im̃atura mors, sub prima ferè tenerioris ætatis auspicia, ad beatioris, in cœlis, regni fastigium evexit. Atque hæc prima quidem durioris sortis initia, quibus excelsam SERENISSIMAE virtutem exercere, divino consilio placuit, fuerunt; quæ tamen, majoribus mox ingruentibus insultibus, (prout com̃unis omnis mortalitatis sors est, ex æquo, quicquid summa cœli potestas immittit, accipere) augebantur. Quod dum auditis, iterum SMARAGDO similimam SERENISSIMAM statuite. Quemadmodum enim iste

variis casibus obnoxius scribitur; ita & HAEC varias fortunæ, easque gravissimas, subiit vices. Nam præter ea, quæ proposita, immaturiora funera, aliâ subinde atque aliâ clade afflicta, non modo SERENISSIMVM FILIVM F[illegible]RICVM, ET CELSISSIMVM GENERVM CO[illegible]TEM PALATINVM BIPONTINVM, JOHANNEM, cum CELSISSIMA CONJVGE; sed & haud ita pridem SERENISSIMVM GEORGIVM GVILIELMVM, ELECTOREM ET MARCHIONEM BRANDENBVRGENSEM, (quo præsertim CELSISSIMO GENERO, tanquam FVLCRO POTENTISSIMO, innitebatur omnis reliquæ vitæ oblectatio, atq; felicitas) fatorum inclementiæ cedere vidit. Quæ tamen omnia, utut gravissima essent, gravius tamen M. DC. X. opprimebatur, cum SERENISSIMI CONJVGIS immaturâ morte, turbaretur optatissima conjugii felicitas, atque Ipsa, suavissimo viduata solatio ac patrocinio, solitudinis, quam & ad vitæ terminum sanctissimè est sectata, ac viduitatis difficultates experiri cogeretur. Ast nec eo fine stetit malum: sed publica jungenda, privatis istis, calamitas erat. Crudelissimam eam Martis sævitiem cogitate, quæ per continuum tot annorum (ô si hunc eorum terminum statuere Deus clementissimè velit!) decursum, quantam vastitatem ac ruinã, felicissimæ quondam orbis Europæi parti, GERMANIAE induxerit, in vulgus notum est. Nec ignotum, quanta idem infor-

infortunium ruina, cum provinciis aliis florentisſimis, Palatinatum etiam, inq; eo diſtrictus SERENISSIMAE dotalitios oppreſſerit, quæ etiam tanta fuit, ut, ferè dirutis ac deſtructis omnibus, grandem fortunarum ſuarum HAEC jacturam fuerit paſſa. Aſt verò quid inter hæc Magna Anima? Nunquid abjecto animo, deficere ejus virtus viſa fuit? Neutiquam, quin, quàm SMARAGDO Similimam undique vidiſtis, nunc disſimilem eidem cognoſcite. Ejus namque cum hæc indoles ſit, ut facilimè, & vel duriorum lapidum tactu, lædatur; HVJVS contra ſolidiori firmata virtus robore, inter durisſimum omnis impetus caſum, fortis perſtitit, & plena bona ſpe, lætum turbarum exitum exſpectavit. Fabuloſum eſt, quod de SMARAGDI, ne è metallis aureis ſuffurentur eum inſidiatores, cuſtodia, Gryphorum ibidem nidificantium beneficio, procurata afferunt: Neque etiam externo opus habebat, adverſus mille fortunæ inſidias, præſidio SERENISSIMA, cui domi abunde virtutum ſuppetebat, quarum præſidio ab iis tuta quieſcebat. Immotâ imprimis erga Deum fiduciâ, uti non, niſi ſaluberrima, hinc ſibi contingere ſciebat; ita ſpe felicioris eventus, placidisſimo animo tolerabat omnia. Accedebat inſignis mentis prudentia, quâ evitare malum, ac, de tranquilliori ſibi proſpicere quiete, didicerat. Hinc cum Amicisſimis, SERENISSIMI GENERI ELECTORIS BRANDENBVRGICI, GEORGII WILHELMI, CELSISSIMAE.

MAEQVE CONJVGIS, FILIAE PRINCIPIS, literis, ut Palatinatus turbis excedens, quieta ſecum ſede frueretur, invitaretur: obſecuta eorundem voluntati, cum ipſis in Marchia fuit, usq; dum & hac iisdem, proh dolor! militiæ flammis correptâ, huc in Boruſſiam, octennium abhinc, una cum SERENISSIMIS CAPITIBVS, ſeſe reciperet. Atque eo tempore, cum CLEMENTISSIMO undique affectu ſuſcepta atq; culta fuerit: devotisſima quoque non mente minus, quàm voce gratitudinem teſtatura, ea çum OMNIBVS, tùm inprimis EJVS, quo nunc feliciter gubernamur, REGIMINI fata precata eſt, quæ ſi, quod ardentisſimè rogamus, Deus confirmet, magna ſucceſſuræ felicitatis pars, piis hiſce, SERENISSIMAE moribundæ, precibus tribuenda erit. Sed dum moribundam dicimus, quid niſi Mortis Hiſtoriam exſpectatis? Nunquam lædi virtutem diximus, aſt neq;, ſub mortem, SERENISSIMAE virtus læſa fuit; ſed mortales illæ exuviæ, quas corpus dicimus, dum tegunt divinam virtute mentem, naturæ legibus ſubjiciuntur. Contigit id SERENISSIMAE, ſuperioris Anni, M.DC.XLIV. $\frac{V}{XV}$ Martii, circa IV Matutinam, Anno AEtatis LXVIII. poſt paucos dies, conſummando, çum aliquot diebus Catharro ſuffocativo, ardore febrili, ac virium cumprimis defectu, laboraſſet. Hujus verò beatisſimi abitus prolixior Hiſtoria, cum alibi publicè exponatur, nos, inſtituti memores, SMARAGDVM iterum proponimus; cujus inter alias ea

vis est, ut præsentissimo oculis, ex intentiori obtutu, obtusis, remedio succurrat, miraque eos refectione acuat: Ast vide SERENISSIMAE virtutem, ac maximè, quæ virtutum omnium princeps est, pietatem, cujus auxilio caligantes, atq; in morte natantes, oculi ita illustrabantur, ut per mundi hujus, mortisq; ipsius, noctem, in cœli illustrem lucem penetrarent, ac dulcissima ejus contemplatione, tenebras superarent mortis. Et unde, nisi hinc, devotissimæ illæ preces, pia suspiria, ac sanctum moriendi desiderium, quibꝰ omnibus, imminenti vitæ termino, sese præparavit. Certè si SMARAGDI summa facultas, qua memoriam juvet, prædicatur; pietas id SERENISSIMAE præstitit, ut SERVATORIS memoriam repetens, hujus morte, mortem superatam; resurrectione, cœli apertam januam cogitaret. Hac fiducia ergo ad Beatiora evecta, ea tandem regna atque palatia occupat, quæ non SMARAGDO tantum, dicente Dei Spiritu, sed innumero divinarum gemmarum splendore refulgent. Non in ea quicquam fortunæ licet, sed æterna Majestate perennantia, nullius metuunt injuriam & aviditatem.

Hodiè verò supremus honor corpori, à SERENISSIMIS CAPITIBVS, exhibebitur: cujus causâ vos, Cives Academici, compellamus, ac ut, tempore Campanis indicendo, frequenti funeris deductione, subjectissimam vestram devotionem, publicè contestemini, monemus. Tum verò & illud, quod sub-

inde

inde per Programma innuimus, agite, ut DEVM, pro SERENISSIMI NVTRITII, ac VNIVERSAE POTENTISSIMAE DOMVS BRANDENBVRGICAE ſtabili incolumitate, felicitate, tranquillitate, (ac, ſi quod aliud munus EIDEM, rerum noſtrarum arbiter, ſalutare norit) ſeriò adoretis. Non dignus eſt ſalute, qui, cujus Salute ſuam contineri novit, ejus Salutem non ſanctisſimè curat. P. P. M. DC. XLV. $\frac{x}{xii}$. Martij.



PANEGYRICVS
IX.

GRATVLATIO NATALITIA,

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI ET DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO WILHELMO,
MARCHIONI BRANDENBVRGICO,
S. R. I. ARCHICAMERARIO ET PRINCIPI ELECTORI,
BORVSSIAE, JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM,
STETINI POMERANORVM, CASSVBIORVM,
VANDALORVM, CROSNAE ET CARNOVIAE
IN SILESIA DVCI,
BVRGGRABIO NORIBERGENSI,
PRINCIPI RVGIAE,
COMITI MARCAE ET RAVENSBERGI,
DOMINO RAVENSTEINI,
DOMINO AC NVTRITIO SVO MVNIFICENTISSIMO,
CONSECRATA
M. DC. XLVI.

INVITATIO AVDITORVM.

FELICITER! Et faxit Deus, XVI [VI]. Februarii diem, qui SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO FRIDERICO WILHELMO, MARCHIONI BRANDEBVRGENSI, S. R. I. ARCHICAMERARIO ET PRINCIPI ELECTORI, BORVSSIAE, JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, STETINI POMERANORVM, CASSVBIORVM, VANDALORVM, CARNOVIAE ET CROSNAE IN SILESIA DVCI, BVRGGRABIO NORIBERGENSI, PRINCIPI RVGIAE, COMITI MARCAE ET RAVENSBERGI, DOMINO AC NVTRITIO NOSTRO MVNIFICENTISSIMO, *primum vitæ; tot verò amplißimis gentibus, præsentis felicitatis, quâ, intra prudentißimi imperii leges, securè res suas gerunt, auspicium dedit, feliciter ac salutariter omnibus exoriri; quò digna pietate tantum cœli munus venerari, inconcussamq; ejus perennitatem impetrare queant. Neque ullum quidem adeò sensus expertem putamus, qui omnem ejus felicißimi gaudii, quo POTENTISSIMAM DOMVM BRANDENBVRGICAM, CELSISSIMA HAEC PROLES, CVM* cIↃ. IↃ. *CXX. hoc ipso die, post III. pomeridianam, auspicatò nasceretur, perfudit, fructum adeò uberrimè, per subjectißimarum gentium terrarumque fines, atque animos diffusum, non videat, ut ne vitæ ipsius fructum, si absque hoc esset, sensurus videatur. Tantum DEI munus est.*

OPTI.

OPTIMORUM PRINCIPUM concessio, quorum laboribus tranquillitas subditorum quieta, curis secura felicitas, vigiliis facilis somnus, ac sapientissima deniq; rerum omnium administratione, & publicè & privatim salus, atq; incolumitas immota constat. Ita revera, non ex Paganorum mente, sed Dei instituto, DII TUTELARES sunt, quorum Patrocinio muniti, periculorum expertes, lætè ac tranquillè agimus; si quid verò immineat gravius, horum præsidio tecti, ne sentimus quidem. Ita veriori voce STATORES Rerumpublicarũ, quàm Romuli Jovem, hosce dicas, qui dum, simul ac in pejus ruere, ac retrò collapsa referri omnia vident, magno animo atque forti opponunt se hostilibus machinis, earum impetum sistunt, contrà, ut solidè constent, res suorum confirmant. Et ea bona omnia cum divinitus, intra ipsas Regum Principumque cunas, ostendantur nobis, quis non religiosam ejus diei memoriam recolat, qui rerum tantarum auspex fuit? Intelligere id Romanorum prudentia videtur, hinc cum, non nisi optimum ac saluberrimum undiquaque, AUGUSTI experirentur imperium, ne temerè tantum bonum haberent, splendidissimâ solennitate natalem OPTIMI PRINCIPIS celebrabant: dum non privato tantum instituto, equestri certamine, & venationibus ejus diei splendorẽ honorabant, epulo etiam magnifico, quod AUGUSTO, ac reliquis Senatoribus apparabat, Julius Antonij F. Prætor, Suetonio teste, eum illustrãte; Sed &, Dione notante, AEdiles publico sumptu, ludos equestres, & venationes, augendæ publicæ lætitiæ causâ, ediderunt. Imò eò rem tandem devenisse compertum, ut parùm putan-

tes Equites Romani, unius diei angustia, tanti muneris venerationem, terminare, sponte atq; consensu, biduo semper natalem AVGVSTI celebrarint. Non equidem ea rerum nostrarum sors est, ut, opulento adeò splendore, Natalem hunc exoptatissimum celebrare liceat; ast, quod pietatis munus est, supplebunt ista, devotæ gratulationes, fausti applausus, & calidissima suspiria, quibus, postquam interminam Dei immortalis bonitatem, qua hujus muneris fructum clementissimè concedere, ac conservare hucusque dignatus fuit, venerati fuerimus, humilimâ eidem mente supplicabimus, ut memor hujus sui in nos amoris, intra plurimorum annorum confirmatam felicitatem, hunc tam exoptatum, tam salutarem rebus nostris diem, auspicatò reducere velit. Ita certius PRINCIPVM OPTIMO, OMNIVM AMORI, SVORVM DELICIO, FRIDERICO WILHELMO, PATRI PATRIAE, ATQVE VNICO RERVM NOSTRARVM STATORI, sub novum anni auspicium (O FELICITER!) quicquid prosperum, ac salutare à Deo proficiscitur, apprecabimur: quàm si, è gentilitatis ritu, thure meroque GENIO litemus. Vos modo, DOMINI, FAVTORES, AMICI, AC CIVES NOSTRI, prout vestrâ sponte, hujus rei æquitatem pariter, ac necessitatem percipitis; ita non pigeat, $\frac{\text{VI.}}{\text{XVI.}}$ Februarij HORA.II. MER. AVDITORIVM MAJVS ingredi, ac conjunctis suspiriis, PRO OPTIMI PRINCIPIS incolumi felicitate, absque qua nemo nostrum felix esse potest, vota ad Deum facere: quod nos quidem humiliter, officiosè, ac amicè petimus; sua verò cuique pietas imperare videtur. P.P. 1646. XI. Febr.

SERE-

SERENISSIME AC POTENTISSIME

PRINCEPS ELECTOR ET DOMINE,

DOMINE CLEMENTISSIME:


Atalem tuum celebraturi, neq; Persarum luxum, neq; aliarum gentium profanam imitabimur superstitionem, sed simplici pietate, ac humillimâ devotione, summum illud bonum, quod cælestis gratia, cum Te mundo concederet, nobis, reliquisq;, POTENTIAE TVÆ subjectis, populis est largita, expendemus: ac, quandoquidem omne, & privatæ, & publicæ felicitatis punctum, eo uno continetur inclusum, ut quàm diutissimè hoc ipso, in felicissimo Reipublicæ statu, frui nobis liceat, istam supplices venerabimur. Cui quidem instituto, quod, inter innumeras curarum publicarum moles, AVGVSTISSIMAM PRAESENTIAM commodare clementissimè sis dignatus, humilimas gratias subjectissima Academia agit, ac, ut sæpius redeat

Felix illa dies, totumq; canenda per orbem,
Quæ, tibi vitales cùm primum traderet auras,
Contulit innumeras intra tua pectora dotes,

omni voto ac voce orat. Vos verò, quicunq; ejus rei gratiâ accessistis, adeste! exporrectâ fronte festum hunc nobiscum agite diem, ac, si olim THVRE, MEROQVE GENIO factum fuisse nostis, pia mentis

tis gaudia expromite, precibusque calidisſimis natalitia hæc ſacra exigite. Ita exigit pietas, imperat æquitas, atque ſummum jus. Neminem equidem noſtrum adeò vecordem, ab omnique humanitatis ſenſu alienum putârim, ut non, ſi nunquam aliàs, eo ſaltem die, quo, (potentiâne, an bonitate D. O. M. majori? meritò dubites) vivendi auſpicium fecit, immenſum id Dei munus exactiùs cogitet; cumque hinc, veluti è primâ ſcaturigine, omnem ſuccedentis ſortis derivari affluxum cernat, ſingulari elatus gaudio, & cœlo pietatem, & hilaritatem mundo teſtetur. Et quantò majorem ejus rei curam PRINCIPVM, in quibus privati nihil; ſed, quicquid felicitatis occurrit, publica ſubditorum res atque ſalus ſibi vindicat, requirunt NATALES? quam maximo verò omnium ſtudio, ſi non minus OPTIMOS, quàm CELSISSIMOS, natos publica felicitas oſtendat, res ea agenda eſt? Perſarum eum morem Hiſtoria celebrat, quo primogenitorum, ſucceſſorumque in regno, Principum natalem, non primùm modo, ſolenniſſimâ feſtivitate, coluerunt; ſed, & iteratâ quotannis ſolennitate, ſanctisſimam ejusdem memoriam, per omnes Aſiæ fines, obſervarunt. Intelligebant ſcilicet, certisſimam novæ felicitatis ſpem, cum nato Principe, exoriri. Neque reverà aliter eſt: Quotiescunque enim fœcundus, divinâ benedictione, principum thalamus ſobolem producit, ſuſcipiunt illi quidem caſtisſimi amoris pignora, filios; aſt civibus ſuis Patres gignunt, in quibus

bus, quoties ſucceſsionis futuræ ſpem confirmatam vident, immortales ſibi, ſubditisq; videntur. Et dum tenerrimo ſobolem proſequuntur affectu, ſimul non minus gubernare; quàm amare, ſubditos diſcunt: qui illos, filiorum more, reverentur, quod patriâ ſe ab iis curâ foveri ſentiant. Pluribus iſta demonſtrarem, niſi clarisſimè, res omnium noſtræ, eadem loquerentur. Quod namque, intra tranquillisſimam pacem, templorum honor, juſtitiæ cultus, commerciorum vigor conſtet: quòd publicarum privatarumque rerum fructus, ſuum cuique non tribuat modò; ſed conſervet inſuper, atque oblectet: quòd, quæ cumulatisſimâ copiâ, vitæ noſtræ ſuppetit cœleſtis bonitas, frui iisdem ſecurè liceat cuivis noſtrum: quod denique, expoſitas immanisſimæ hoſtium libidini, vitas fortunasque noſtras non experiamur: id omne ejus lucis, cujus venerandam hoc die memoriam, devotisſimè recolimus, munus eſt. Iſtius namque felicitatis omnis certa ſpes oriebatur, cum vergente in occaſum die, SERENISSIMVS HIC DOMVS BRANDENBVRGICAE SOL oriretur, cujus primò effulgens Illuſtrisſimus radius, jam tum, unicum tot populorum futurum aſylum, atque refugium oſtendebat. Fabulas Poëtarum novimus, quæ, Pallade è Jovis cerebro poſiliente, auream pluviam cælitùs misſam; & Saturno nato, auream ætatem fluxiſſe tradunt: Reverâ autem id TE, SERENISSIME DOMINE, nato, contigiſſe quis non videt? Scilicet! jam tum be-

nigna fata docuerunt, cum ad paucisſimos POTENTISSIMAE DOMVS BRANDENBVRGICAE, (quam tamen ſolito augmento multiplicatam, diu conſervet æternus miſerator!) eſſet redacta, FRIDERICI WILHELMI ſuperfuturam virtutem, quæ cum illuſtrando DIVORVM MAJORVM ſplendori, tum ſublevandis populorum necesſitatibus, & clariùs, & ſolidiùs omni auro prodeſſet. Quod dum tam feliciter quotidiè experimur, non jam Romæ invidemus, vel JANVARIAS CALENDAS TITI, vel FEBRVARIAS CONSTANTINI, vel alias aliorum OPTIMORVM PRINCIPVM natalibus illuſtres, cum tam felicisſimo ſidere, Tu, DOMINE, hoc die nobis natus ſis. SEXTAM diem THARGELIONIS menſis, & priſcorum, & recentiorum autorum, ſcriptis illuſtrem deprehendo, quod Athenienſium inprimis populo, tum plurimis aliis Rebuspublicis felix, atque ſalutaris frequentisſimè exſtiterit: Aſt, ô velit Deus diuturnam, SEXTAE HVJVS MENSIS diei felicitatem! quâ TE, Suum DOMINVM, non Marchia modò, ſed Borusſia inſuper hæc Tua, & præter eas Julia, Clivia, innumeræque aliæ ſubjectisſimæ provinciæ, obtinuerunt. Si namque, probè ſubducto calculo, res, prout eſt, exprimatur, TV revera, novum quoddam beneficum ac ſalutare ſidus, poſt denſisſimas varii luctus tenebras, exoriens Tuis videris: quod quâ fide dicam, facilè cuivis conſtabit, cui non omnino temporum ſuperiorum memoria excidit.

Cum namque & Anni, proximè AVSPICATISSIMVM ORTVM TVVM antegresſi, funeſtisſimus, per omnes Provincias Tuas, fuiſſet luctus, ob acerbisſimam DIVI AVI TVI, PRINCIPIS NVNQVAM SATIS LAVDANDI, mortem; & ipſo ANNO NATALI, Borusſia inprimis hæc Tua, gravi contagioſæ luis clade ita affligeretur, ut mera undique orbitas appareret atque ſolitudo: Tu repentè, ſub ipſa auſpicatisſima Paterni regiminis initia, exoriebaris, ac ſimul, lætisſimo exortu tuo, novam rerum omnium ſpem confirmabas. Nam & ſupplere haud exiguo modo, triſté illam POTENTISSIMAE DOMVS TVAE, ex Avito funere, cladem; & tot pasſim patrocinio, præſidioque, per contagii vim, orbatis, certum, in Tua Clementia, auxilium atque ſolatium reddere, propitia fata videbantur. Inprimis tamen DIVVM PATREM TVVM, PRINCIPEM ITA IMMORTALEM, VT PRVDENTEM cœlum ipſum, qua ſpe PATRIO SCEPTRO ſuccesſiſſet, docere volebat: nimirum, non defuturam, tam vaſtisſimæ gubernationis moli, ſubſidiariam operam, ſed, quod certisſimâ voce OPTIMIS PRINCIPIBVS munus addicit, continuâ ſerie ſucceſſorem præſtò futurum. Atq; hinc, cum maxima SERENISSIMIS PARENTIBVS ſuboriretur voluptas; tum non minorem lætitiam, ſubjectisſimæ Tuorum mentes concipiebant: maximè, cum tam certisſimis teſtibus, omnia iſta omina confirmari viderent. Id namque certum, ſi uſpiam

aut Diis secundis, aut Diis hominibusque plaudentibus, quis natus est, Tu sanè, SERENISSIME DOMINE, cœlo terrâque, admirando consensu, conspirantibus, aut, quod pietas suggerit, DEO O. M. propitio atq; favente, natus. Solent, qui curiosiùs varios variarum gentium ritus observant, id de nonnullis referre, quod prima statim solertia, scrutanda recens nati indole occupata fuerit, cui peculiares ædiles, apud Indos, præfuisse, Strabo autor est: Ast valeat hîc ea cura, ubi undique & undique, summa cum felicitate, summa prodebatur virtus. Non equidem ex eorum superstitione, qui astrorum vim undique rimantur; sed, ut felicissimus naturæ ipsius in Tua, DOMINE, Nativitate consensus clariùs constet, quæ dicturus suum, profero. Notum è nobilissimâ corporum cœlestium contemplatione, vix benigniorem ullius, JOVIALI SIDERE indolem esse: hinc qui exactiùs ista evolvunt, HVNC REGVM PRINCIPVMQVE VERVM PRAESIDEM, alij, LARGITOREM, AVTOREMQVE, REGNORVM, alij PATREM etiam dicunt, DIVITIARVM ATQVE HONORVM. Ast, HVNC dum, sub ipsum felicissimæ Nativitatis Tuæ momentum, CHORAGVM, atque DOMINVM quasi, COELESTIS EXERCITVS, provida æterni moderatoris mens constituit, annon benignissimâ manu, quicquid potentiæ, quicquid celsitudinis, quicquid gloriæ denique, summis capitibus adjacere solet, id omne Nato TIBI cócessit?

Non

Non ignotum usque adeò eſt, ſæpè Regum, Principumque natorum Majeſtatem, flammulis, capita eorundem illuſtrantibus, cœlitùs auctã fuiſſe; aſt quantò illuſtrior hic TVAE MAGNITVDINIS teſtis, qui non, ut priores iſtæ, evanido ſplendore illuxit, moxque diſparuit, ſed perpetuâ, in admirando illo cœleſtium orbium theatro, claritate relucet, ut, quotiescunque lucidisſimum ejus decus his oculis uſurpamus, toties illuſtrisſimum ſplendoris Tui monitorem habeamus. Cum multa, hiſce ſimilia, è cœlis afferre liceat, tamen, omisſis omnibus, ne ſpinoſa ſubtilitate magis, quàm piâ devotione, hujus diei ſolennitatem tranſigere videamur, ea tantum breviter videbimus, quæ, in Terra, felicitatis argumenta occurrunt. Ac, cum omnis cœleſtium virtutum operatio, ita validisſimè agat, prout rerum terrenarum ſemina permittunt, quid feliciùs benigno cœlo contingere poterat, quàm divina DOMVS BRANDENBVRGICAE virtus? de quâ quicquid hoc jejunum dixerit os; longè infra ejus virtutem erit. Et, quò minus plurima dicam, ſubjectisſima obſtat verecundia, quæ non minus coram vobis, SERENISSIMI PRINCIPES, quàm coram Deo, brevisſimè agendum jubet: ne prodiga verborum lingua, clementisſimâ attentione abutatur. Sufficiat ergò id, per Clementisſimum Tuum, SERENISSIME DOMINE, indultum, indicaſſe, quod non in otioſâ aliquâ, deliciisq; corruptâ, parte terrarum natus ſis; ſed in ea domo, de

qua illustre, illustris viri, hoc testimonium: *Sive rem militarem spectemus, sive alias laudes, GRAVITATEM puta, MAGNITVDINEM ANIMI, CONSTANTIAM, adde etiam MANSVETVDINEM & HVMANITATEM, vix invenientur, quorum tam excellens virtus fuerit, ut sit cum BRANDENBVRGENSI ILLVSTRISSIMA DOMO comparanda.* Et facilè ea videretis omnes, si DIVORVM ELECTORVM, E POTENTISSIMA HAC DOMO, virtutes excutere liceret, & seorsim exhibere FRIDERICI I. MAGNANIMITATEM ET FIDEM; FRIDERICI II. MODESTIAM; ALBERTI FORTITVDINEM ET FELICITATEM; JOHANNIS ELOQVENTIAM; JOACHIMI I. JVSTITIAM; JOACHIMI II. AVTORITATEM; JOHANNIS GEORGII SAPIENTIAM; JOACHIMI FRIDERICI PIETATEM; JOHANNIS SIGISMVNDI CLEMENTIAM; GEORGII WILHELMI PRVDENTIAM. Nunc, cum & temporis præsentis, institutique ratio, aliorum laudibus occupari me prohibeat; & longè felicissimo complexu omnia, quæ seorsim in istis admir[illegible]uri essemus, MAGNVS FRIDERICVS WIL[illegible]ELMVS exhibeat, quidni rebus præsentibus utamur potius, ut propius felicitatem nostram, tanta suffultam virtute, venerari queamus? Tu modo, PRINCIPVM OPTIME, clementissimè, si fortè virtutum propriarum, non absque tædio, quæ TVA MODESTIA, elogia præsens audiveris, ignosce. Est namque ea OPTIMORVM PRINCIPVM

CIPVM

CIPVM felicitas, ut vivi ipſi & incolumes, futuræ immortalitatis videant veſtigia, quoties, quæ unicum iſtius obtinendæ medium habentur, virtutibus æternùm operantur. Hinc ergò, cum duo potisſimum Rerumpublicarum tempora ſint, quorum diverſisſimæ longè vices, tam validè iſtas afficiunt, ut utrinq; quoddam ſaluti publicæ imminere periculum videatur; quænam major exiſtat Principis virtus, quàm ita utriusque Fortunam moderari, ut inconcuſſa perſtet civium felicitas? Facilè, quid velim, videre videntur omnes; Pacem videlicet & bellum: è quibus tametſi, quam primo loco diximus, tam benigna felicitatis vulgò cenſeatur mater, ut errare nonnullis viſus fuero, dum periculi cujusdam metum, ex ea in Rempublicam promanare dixi: tamen haud difficulter, quisquis exactius rem penſitaverit, fidem verbis habebit. Vel Romæ unius ſubeat memoria, &, quoties, inter publica tranquillisſimæ pacis otia, triſtioribus longè, quàm ſub gravisſimâ atrocisſimorum bellorum tempeſtate, motibus quaſſata fuerit, adeò, ut & novam belli materiam, ſtudiosè quærendam cenſuerint Rectores, liquidisſimè conſtabit. Scilicet eſt ea plebis inprimis levitas, ut ex otio in ignaviam, ex hac in luxuriem, & hinc in varias, easque peſtilentisſimas, florentisſimis etiam Rebuspublicis, machinationes prolabens, verè nimis confirmet, nullum adeò tam cœleſte, tam ſalutare hominum rebus, cœlitùs concedi bonum, quo non queat pesſimis abuti mo-

dis,

dis, hominum perversitas. Atque hinc quanta prudentia opus videtur, ut intra ordinem, justo moderamine, coercitus populus, à luxurie prohibeatur? Bella verò quàm miserandis cladibus, funestisque populorum ac regnorum excidiis, sint infamia, lachrymis potius, quàm verbis indicandum videtur: quamvis ea omnia, me tacente, omnium afflictissima Germania clarè satis, inter cineres, proh dolor! ac rudera sua, declamet! Hujus enim quot potentissima regna, quot florentissimas provincias, quot munitissimas civitates, quot opulentissimas denique fortunas, vastitate atque desolatione obruta intueris; tot certissimos bellicarum pestium testes concipe. Et tamen, inter ardentissimas hasce bellorum flammas, ita durare quorundum incolumitatem videas, prout MAGNA OPTIMORVM PRINCIPVM virtute conservantur. Non importuniùs, credo, quàm amœnè, occurrit hoc loco, regio Strabonis ΚΑΤΑΚΕΚΑΥΜΈΝΗ, sive ADVSTA, quæ, cum & cœlum adeò experiatur inclementissimũ, ut perpetuis fulminum ignibus, procellisque terreat; & terram teneat tanto sterilitatis opprobrio infamem, ut arbore omni careat; inter eam tamen & terræ maciem, & cœli injuriam, vitem ramos viridissimos explicantem educit. Eam eorum, quos diximus, populorum statuite sortem, cum diris omnibus, quæ belli impetus immittit, petantur fulminibus, terrâ ipsâ, atque agris genituræ vigorem amittentibus, tamen nunquam extremo mar-

marcore eos opprimi, ſed ſemper aliquid amœnitatis, atque viroris oſtendere, videbis. Quod quidem unde, niſi à cœleſti PRINCIPVM proveniat virtute? Hi namq; dum & prudentisſimis conſiliis, quicquid furoris immineat, providentes, maturè excipiendis, aut evitandis iisdem media ordinant; & inconcuſſa magni animi fortitudine, ubi obruit mali vis, ſuſtinent ac ſuperant: ut illæſo, aut inexſtincto ſaltem, vigore, ſalus ſuorum publica perſtet feliciter, efficiunt. Quæ quidem omnia, quo fine à nobis dicantur alio, quam ut ILLVSTRISSIMA MAGNARVM TVARVM, DOMINE, VIRTVTVM propoſitâ imagine, clarius bona noſtra eluceſcant? Equidem non ea populorum Tuorum felicitas eſt, ut eadem omnes tranquillitate, per ſum̃am temporum difficultatem, fruantur: ea tamen Virtutis Tuæ vis eſt, ut eodem præſidio, ab extremâ internecione, ſerventur. Ita ſcilicet pacis, & belli tempora diſponere nôſti, ut neutrubi ſalutem publicam evertant. Nam &, quos bonarum artium decora illa mater, felicisſima humani generis, reparabili ſucceſsione, conſervatrix, fœcundisſima fortunarum atq; facultatum auctrix, pax ordinum omnium, atque tranquillitas, tam blandum fovet, ut

Felices poſsint, mundi nutante ruina,
Quo jaceant, jam ſcire loco: non prælia feſſos
Vlla vocent, certos non rumpant claſsica ſomnos:

eorum tanta SAPIENTIA aſſeris felicitatem, ut vix

 alius

alius quiſpiam ullus, divinam gubernandi artem, exactius TE, ſcire jure cenſeatur. Cum namq́; omne ſalutis publicæ fundamentum, JVSTITIA niti conſtet, atque æquitate; æquabili ſemper moderamine hanc adminiſtras, dum bonos quidem, ſingulari planè CLEMENTIA, ac patrio amore juvas, defendis, ſervas: præfractos verò atq; obſtinatos, GRAVISSIMA Tua AVTORITATE tam facilè compeſcis, ut ante in ordinem coactos ſe ſentiant, quàm effreni licentia, florentisſimis aliorum rebus, quicquam inferre damni valuerint. Quâ verò MAGNANIMITATE, quâ promptitudine item atque PRVDENTIA eos,

Quos Bellona minax, facibusq́ armata Megæra,
Letumq́, inſidiæq́, & lurida mortis imago.

hucusq́; exercet, cures atq; defendas, publicus eorundem loquitur ſtatus. Quamvis enim, ita volente, neſcio quâ, fatali ferè dixerim, ſeculi noſtri injuriâ, calamitatis bellicæ omninò expertes eſſe non posſint; ea tamen horum, non minima ſaltem, felicitatis particula videtur, prudentisſimis conſiliis ita ſuſtineri, ut inter mille aliorum vaſtitates ac excidia, non omninò collabaſcant; quemadmodum & naufragio proximis, non leve videtur, enatandi beneficium. Atque talem TE, PRINCIPVM OPTIME, cum ſubditorum, ex æquo omnium, ſors qualiſcunq; experiatur, quis divinam Tuæ mentis PIETATEM, quâ aliorum, quorumcunq; etiam, ſive exulum, ſive fortunis,

tunis, atq; vita ferè ipsa exutorum, sublevas calamitates; quis insignem illam mentis divinæ SVBLIMITATEM, quâ diu id obtinuisti, ut plurimorum in TE, post Deum, SOLO spes omnes locatas, ipsi ultrò fateantur, digne explicet? Lubens, ut modus rei sit, ista supprimo; ast vos, qui hæc cognoscitis, ut dignè tantum cœli munus venerari discatis, compello. Hoc, Hoc verum Principis decus est, quo revera Dei ipsius inter nos vicem gerens, hujus more, non potentiâ magis, quâ vim inferre etiam pessimus potest; quàm bonitate, quâ prodesse omnibus divinum est, illustris existit. Hic, Hic summus, OPTIMORVM PRINCIPVM, honor semper fuit, quo, cum ob amplissimas regni vires, MAXIMI dicerentur, OPTIMORVM quoq; nomen, clementiâ obtinuerunt atque bonitate. Hæc, Hæc divina illa imperandi scientia, quâ ita summam in subditos exercent potestatem, ut commune, ex æquo, omnium præsidium sese præbeant, atq; asylum. Atq; ex iis omnibus cum abundè satis eam, quâ, tam OPTIMO PRINCIPE regnante, perfundimur, felicitatem perspiciamus omnes; neminem eâ vel impietate, vel inscitiâ, inter nos, agere putaverim, qui non simul, quam devotissimâ veneratione cũ omni, tum hoc inprimis exoptatissimo die, qui tanti boni fontẽ quasi primus aperuit, tam DIVINVM CAPVT sit celebrãdum, perspiciat. Quod quidem, qui solennissimâ pompa, è paganis, peracturi erant, LVDIS atq; VENATIONIBVS ut

 fieret,

fieret, instituebant. Verum enim verò, non id nobis permittit noster Genius, ut vel sumptuosissima lasciviâ, vel crudelibus oculorum deliciis (quæ cum, docente prudentissimo seculi nostri Tacito, tantam cladem vastitiemque, quantam nullum bellum, generi humano inferrent, tandem eò ventum est, ut legibus etiam publicis cöerceretur ea, & sanguinis, & sumptuum effusio) tantum pietatis munus perficiamus. Quantam putatis sanctiorem, inter eandem cœcitatem, eorum pietatem, qui, ne quid sanguinis ejus diei, quo vita primùm gaudere incepissent, fœdaret lætitiam, & victimis immolandis abstinuerunt. Ita & nos agamus, ac, simplici, immaculatáque pietate, tanti diei peragamus, festivitatem! Si verò ludorum desiderentur deliciæ, maneat in nobis non terminandum illud certamẽ, quô, ne, subjectissimâ devotione, alter alterum vincat; sed pari strenuitate omnes eandem fidem, pro OPTIMI PRINCIPIS salute, testentur, laboretur. Et si sanguine opus sit, crede, MAGNE PRINCEPS, crede omnibus, adeò charum CELSISSIMVM SANGVINEM TVVM esse, ut, pro incolumitate ejus asserenda, prodigi sui ultrò sint futuri. Hisce sanè clarioribus, devotissimum amorem, testibus, quàm PVBLICIS IGNIBVS, quos, Natalitio Principum honori illustrãdo, incensos, passim invenio, confirmatum iri statuo. Si namq; subito extingui omnem illorum vim, simul ac pabulum subtraxeris, videas; perennis ejus amoris flammula est, quam divi-

divina magnorum Principum Virtus, intra ſubditorum pectora, incendit. Hæc enim uti ipſa æterna eſt ac immortalis; ita perenni nutricatu, illius illuſtrat lucem. Ac eâdem, ſi fieri poſſet, ut pectoris ipſius penetralia oculis uſurpares, SERENISSIME DOMINE, quàm lucidisſimè flagrarent, apertè deprehenderes: nunc, cum quibusdam tantum radiis, aliquem extrinſecus ſplendorem ſpargere liceat, inde, quod intus abſconditum latet, quæſo, conjice. Nam & ignis impetum, quo minus erumpat tandem; & fidum ſubditorum amorem, quo minus in publicum prodeat, claudere, vix quis quam potuerit. Hinc, quod diu antea conabar, nunc tandem, quin ſub terminum hujus noſtræ pietatis, publica votorum nuncupatione prorumpat, animo imperare nequeo:

PRECOR. ERGO. ET. MECVM. PARITER. QVOS. FELICISSIMO. REGIMINI. SVBIECIT. AETERNA. POTESTAS. VT. TIBI. ET. PER. TE. POPVLIS. TVIS. OMNIBVS. PROSPERA. OMNIA. ID. EST. DIGNA. VIRTVTIBVS. TVIS. CONTINGANT. AETERNAE. SINT. AC. PERENNES, PRINCEPS. OPTIME. VIRTVTES. TVAE. PVLCHERRIMAE. AC. MAXIMAE. ATQVE. TAM. LAETVS. VBIQVE. COGITATIONES. TVAS. SEQVATVR. EVENTVS. VT. IIS. IMPERII. GLORIA. INDIES. ET. NOVETVR. ET. AVGEATVR. ITA. FORTIS. ATQVE. HILARIS. ET. PVBLICE. ET. PRIVATIM. NON. HVNC. MODO. NATALEM. SED. ET. PLVRIMOS. ALIOS. QVAM. FELICISSIME. AGAS. AETERNAQVE. LAVDE.

FLO-

FLORENTEM. VIRTVTIS. TVAE. GLORIAM. ALIIS. SVPER. ALIA. OPERIBVS. VIDEAS. PROPAGATAM.



PANEGYRICVS X.

FELICITAS BORVSSIAE,

EX AVSPICATISSIMO THALAMO,
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI
FRIDERICI WILHELMI,
MARCHIONIS BRANDENBVRGICI,
S. R. I. ARCHICAMERARII ET PRINCIPIS ELECTORIS,
BORVSSIAE, JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM,
STETINI POMERANORVM, CASSVBIORVM,
VANDALORVM, CROSNAE ET CARNOVIAE
IN SILESIA DVCIS,
BVRGGRABII NORIBERGENSIS,
PRINCIPIS RVGIAE,
COMITIS MARCAE ET RAVENSBERGI,
DOMINI RAVENSTEINI,
DOMINI AC NVTRITII NOSTRI MVNIFICENTISSIMI:
AC
CELSISSIMAE ILLVSTRISSIMAEQVE
PRINCIPIS AC DOMINAE,
DOMINAE
LVDOVICAE,

CEL-

CELSISSIMI POTENTISSIMIQVE
PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI
FRIDERICI HEINRICI,
PRINCIPIS AVRIACI: COMITIS NASSOVII, CATTIMELIBOCI, VIANDAE, DICII, MOERAE, BVRAE, LEERDAMI: MARCHIONIS VERIARVM, ET FLISSINGAE: BARONIS BREDANI, DISTEMII, ARLOYAE ET NASSEFROYAE: FOEDERATARVM BELGII PROVINCIARVM ADMINISTRATORIS; SVPREMI EXERCITVVM IMPERATORIS: ET PRAEFECTI MARIS GENERALIS:

FILIAE PRINCIPIS PRIMOGENITAE,
PROVENIENS
PROPOSITA.

INVITATIO AVDITORVM.

Dum primâ, hoc quidem, quem ingreßi haud ita pridem ſumus, anno, vice, vos, MAECENATES, AMICI, AC CIVES ACADEMICI, publicè ac ſolenniter alloquuntur Muſæ, quid, (precatæ initio omnibus & ſingulis feliciſsimum, ac Eccleſiæ Reique publicæ ſalutarem, rerum hoc anno gerendarum, ſucceſſum) lætius, quid gratius exponerent, quàm impetratum tandem, quod tam anxiis atq; ſeriis votis cœlum popoſcimus, ſummum munus, atq;, quod unum, ſtabiliendæ firmandæq; felicitati noſtræ, deeſſe videbatur, feliciter conceſſum? Auſpicatisſimum non minus, quàm deſideratisſimum thalamum, procul dubio, & verè, cogitatis, quo

SERE-

SERENISSIMVS POTENTISSIMVSQVE PRINCEPS AC DOMINVS, DOMINVS FRIDERICVS WILHELMVS, MARCHIO BRANDENBVRGENSIS, S.R.I. ARCHICAMERARIVS, ET PRINCEPS ELECTOR, BORVSSIAE, JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, STETINI POMERANORVM, CASSVBIORVM, VANDALORVM, CROSNAE ET CARNOVIAE DVX, BVRGGRABIVS NORIBERGENSIS, PRINCEPS RVGIAE, COMES MARCAE ET RAVENSBERGI, RAVENSTEINI DOMINVS: ET CELSISSIMA, ILLVSTRISSIMAQVE PRINCEPS AC DOMINA, DOMINA LVDOVICA, CELSISSIMI POTENTISSIMIQVE PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI FRIDERICI HEINRICI, ARAVSIONUM PRINCIPIS, COMITIS NASSOVII, CATTIMELIBOCI, VIANDAE, DICII, MOERSAE, BVHRAE, LEERDAMI: MARCHIONIS VERIARVM ET VLISSINGAE: BARONIS BREDANI, DISTEMII, ARLOYAE ET NASSEFROYAE: FOEDERATARVM BELGII PROVINCIARVM ADMINISTRATORIS: ET PRAEFECTI MARIS GENERALIS, FILIA PRINCEPS PRIMOGENITA *feliciter juncti, certißimam undiquaque novæ felicitatis ſpem, terris populisq; ſuis ita confirmarunt, prout, novo ſanctißimi amoris fœdere cœlitus confirmato, CELSISSIMA PECTORA auſpicatò coaluerunt. Quod quidem tantum mun9, prout devotißimâ pietate, die abhinc octavo, celebraſtis, dum, una mente atq; voce, gratiis actis, æternum numen venerati eſtis, ut perennitatem eidem addat, ac, quicquid ulterioris exinde felicitatis ſuccreſcere poſsit,*

poßit, clementißimè promoveat: ita porro pergite indulgere, tam æquisſimo, tam deſiderato gaudio, nec quicquam, quod turbando eidem objici poßit, admittite. Celeberrimam nuptiarum earum, quibus Pſychen ſibi ſuam, olim Cupido junxiſſe fertur, ſolennitatem deſcripturus Madaurenſis Philoſophus, omnem ferè omnium Deorum recenſet operam, quâ, ut illuſtrior iſta eſſet, ſolertißimè ſinguli curarunt. Poculum, *inquit*, nectaris, quod unicum Deorum eſt, Jovi quidem ſuus pocillator ille ruſticus puer; cæteris verò liber, miniſtrabat. Vulcanus cœnam coquebat. Floræ roſis & floribus purpurabant omnia. Gratiæ ſpargebant balſama: Muſæ canoræ perſonabant. Apollo cantavit ad cytharam. Venus, ſuavi Muſicæ ſuperingreſſa, formoſa ſaltavit: ſcena ſibi ſic concinnata, ut Muſæ quidem chorum canerent, tibias inflaret Satyrus, & Paniſcus ad fiſtulam diceret. *Non ea nobis profanitas, ut tot idolorum monſtra, confirmando huic thalamo auſpicatisſimo, adhibeamus: ſed illud, præ omnib9, hinc notamus, Dei Optimi Maximi, quem & autorem prima mundi origo, & patronum conjugii hodiernus dies confirmat, præſentiâ atque auxilio, & rectißimè iniri, atq; ſolidißimè ſtabiliri conjugia. Hoc proinde pronubo, uti & cœpiſſe, & terminatas Celſisſimas haſce Nuptias, certo ſumus perſuaſi; ita ab eodem pollicemur nobis, fore, ut floridum omnino ac amœnum hoc ſit conjugium, cujus illuſtrisſimi fructus, virtutibus, omni balſamo fragrantioribus, innumeras provincias ſint completuri. Atq; hinc quid mirum, ſi tam lætißimâ ſpe excitati, liberalius gaudium concipiamus, ac,*

 quic-

quicquid intra tacita vota, atque deſideria hucusq; preſſimus, toto ſinu effundamus? Quid mirum, ſi & nos tripudiis, choreis, jubilis, & quibuscunque modis alias poſſumus, gaudium noſtrum teſtemur? Ita, procul dubio, agent boni omnes, quibus ſalus publica curæ eſt & amori. Muſæ certè noſtræ, ne tantæ ſolennitati deſint, canora ſonare, &, quantum poſſunt, alta voce chorum canere inſtituerunt. Ampliſſimos enim, quos, ex tam auſpicato thalamo, ad ſe redundare vident, meditatæ fructus, continere ſe non poſſunt, quin publica gratulatione, hanc ſuam felicitatem prædicent. Agent id XXV. Januarii, circa Horam II. pomeridianam, quâ, in Auditorio Majori, ſolenni Panegyri, & gratulabuntur tam ILLVSTRES NVPTIAS SERENISSIMIS CAPITIBVS, &, ut inoffenſa earundem perſtet felicitas, ſupremo numini ſupplicabunt. Vos MAECENATES, AMICI, ACCIVES ACADEMICI, qui toties propenſiſſimum veſtrum ipſis exhibuiſtis affectum, huic tam pio, tam æquiſſimo inſtituto non defuturos, ſed præſentiam frequentem ultrò conceſſuros, ac, quod feliciter inchoatum eſt, ſeriis precibus votisq; confirmaturos, confidunt. Quod uti officioſè ac amicè rogant, ita ſemetipſas, demerendo ei affectui, promptiſſimè offerunt.
P.P. 1647. 20. Januarij.



Icit! vicit ergò tandem cœlum noſtra pietas, &, quod tam diu, anxia votorum nuncupatione, rogavit, tenet munus! Adhuc Deo curæ ſumus, ac, ne ultimum rebus noſtris exitium, inducat orbitas & ſoli-

ſolitudo, providet patrius, juvandisque hominibus ſemper mirificus, æterni Numinis affectus! Tuum munus eſt benignè hominum Soſpitator, quodcunq; tam auſpicatò, tàm deſideratò nobis contigit! Rem tam anxiis, diſtractisq; deliberationibus agitatã, quis tam ſubitò, tam feliciter expedivisſet, niſi admiranda cœli ſapientia? Damnati ergò votorum, exactisſimâ veneratione cœleſte munus proſequamur, tamq; benignum ejus largitorem, æterno cultu veneremur. Priſcæ, inter Sabinos inprimis, ſuperſtitionis ſolennisſima vota notantur, SI RES COMMVNIS MELIORIBVS LOCIS CONSTITISSET, SE VER SACRVM FACTVROS, quo quicquid, proximo vere, natum fuerit animalium, immoletur: optimo loco res tuæ, BORVSSIA, conſiſtunt, tu, quid te deceat, ſolers expende. Non petit vel de ſtabulis taurum, vel de caulis hircum, cujus omne pecus

Quod montium anfractus pererrat,
Quod nemorum tegitur latebris:

nec veſcitur tauri carnibus, bibitve hirci ſanguinem, *arbiter ætheris,*

Terræ, fretiq;, & quicquid ingens
Orbis habet gremio capaci.

Vernet itaq; pietatis, amœnitate, Deo dicatus animus, ac quicquid hic, cœleſti rigatus rore, devotisſimarum laudationum, ſanctisſimorum hymnorum produxerit, promtus tam propenſisſimæ bonitati offerat. Hoc SACRVM VER eſto, quo, æternùm reviresc[...]nti

gratitudine, hujus beneficii recolatur memoria, ac, prout hoc die, ita continuo plurimorum seculorum successu, uno ore, animi indice, BORVSSIAE CONSERVATORI, ORBITATIS AVERRVNCATORI D. O. M. canatur ac recinatur:

TIBI LAVS TIBI GLORIA, TIBI GRATIARVM ACTIO, IN SECVLA SEMPITERNA, O BEATA TRINITAS! SANCTVM ET LAVDABILE NOMEN MAJESTATIS TVAE, ET SVPER EXALTATVM IN SECVLA.

Et meritò ita quidem,

MAGNIFICI, ILLVSTRES, GENEROSI DOMINI CONSILIARII REGENTES: MAGNIFICE DOMINE RECTOR: GENEROSI, NOBILISSIMI, STRENVI, SPECTABILES, ADMODVM REVERENDI, CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, EXCELLENTISSIMI, CLARISSIMI, AMPLISSIMI, PRVDENTISSIMI, SPECTATISSIMI, PRAESTANTISSIMI, HVMANISSIMI, MAECENATES, AC DOMINI SVBMISSE COLENDI; FAVTORES ITEM AC AMICI OFFICIOSE AMANDI; QVORVM PRAESENTIAM EA, QVA PAR EST, ANIMI DEVINCTIONE VENERAMVR:

Et meritò, inquam, ita quidem hoc celebramus bonum, quo non Borussiæ tantum huic nostræ, sed plurimis aliis, quæ idem nobiscum regimen sibi gratulantur, gentibus, contingere felicius aliud nullum potuisse, vel, me tacente, tam clarè ultrò fatebimini omnes, ut dicturo mihi de eodem, ne minima dissensus suspicio occurrat. Equidem nisi pigeat (qui autem

tem pigeat pietatem, divinorum recordari beneficiorum?) illustrisſimos illos patrij verè affectus, quo nos fovit atque complexus eſt, æternus rerum arbiter, teſtes, non à ſeculi retro lapſi decurſu; ſed ab exceſſu OPTIMI PRINCIPVM, DIVI GEORGII WILHELMI, repetere: admiranda omnino cœleſtis gratiæ beneficia deprehendimus, quorum tamen omnium & dignitas, & fructus, præſenti hoc, quo gaudemus, perficitur atq; continetur. Non violento externi Principis ſubjici imperio; ſed ejus ductu regi atque auſpiciis, qui uti eodem, cum ſubditis, cœlo editus, communiq; Spiritu enutritus; ita iisdem legibus ritibusq; asſuetus, arcano quodam patriæ necesſitudinis vinculo jungitur: quantum felicitatis publicæ apicem conſtituat, tam clarè civilis prudentiæ Doctores tradunt, ut in vulgus etiam pateat. Et indulſit id muneris nobis cœleſtis bonitas, cum DIVO PARENTI, FILIVM PRINCIPEM Hæredem ſubmittens, novo fulcro, ſtabiliret vacillantem, ſerenaretque novo radio, obnubilatam patriæ felicitatem. Quod parum tamen videbatur, niſi munere munus cumulans, cum, quoscunq; aliàs naſcendi deſtinarit ſceptris, acceptandi ſint ſubditis; nos, non niſi, OPTIMO PRINCIPE regi vellet. Non id hoc loco inſtituimus, ut, MAGNI FRIDERICI WILHELMI laudibus, abſolvatur oratio; quod alio tempore, quantum licuit, per tenuitatem fuimus conati: illud tantum, quod omnium dierum experientia confir-

mat, indicamus: felici consortio, omnem eam sibi maritasse virtutem LAVDATISSIMVM HEROA, quâ gloriosissimi Principes immortalitatem, inter mortales, tenent. Et satis felices eo statu videri poteramus, nisi, quod unicum firmandæ, continuandæq; ejus felicitatis habebatur, medium defuisset. Conjugium dicimus, quod unum sublevandæ fluxæ ac caducæ, qua summa pariter atq; ima omnia, vindicis justitiæ damnavit decretum, mortalium vanitati, supremi patris providentia instituit. Hujus enim beneficio, adeò mortem ipsam superari, è Samo sapiens statuebat, ut *Patrem, si domus hæredem filium relinqueret, ex hac vita discedentem, non senem mori, sed in filio, qui & carnis, & opum, & memoriæ hæreditatem adiret, repuerascere, sicq; continuatâ successionis serie, æternitatis aliquid obtinere*, diceret. Sane non mediocre munus Dei est, dare propagatores generis: quin

Providit ille maximus mundi parens,
Cum tam rapaces cerneret fati minas,
Ut damna semper sobole repararet novâ.
Excedat hinc agedum rebus humanis Venus,
Quæ supplet ac restituit humanum genus;
Orbis jacebit squalido turpis situ.
———Cœlibem vitam probet
Sterilis juventus, hoc erit, quicquid vides,
Vnius ævi turba, & in semet ruet.

Et an non hinc, qui ingeniosius proposituri Venerem erant, dextrâ orbem universi tenendum, eidem rectè tradidisse videntur? ita omnino: cum revera qui

Hanc rerum ſeriem ligat,
Terras, ac pelagus regens,
Et cœlo imperitans, AMOR

ſit. Verum enimverò, hic cui non dictus Hylas? quin ergò misſis iſtis, illud potius agimus, ut, cum voluntariò, ſubire matrimonium, cunctos videamus; Principibus & Magnatibus, neceſſariò ſuſcipiendum eſſe conſtet. Neq; id ut credatur nobis, proferimus, quàm ſalutaria, è connubiis Principum, naſcantur regimina ſubditorum; dum patriâ natam ſobolem curâ foventes iſti, non rigidiori horum asſueſcunt imperio: ſicq; feliciter ei honori acquirendo operantur, quo Patres Patriæ dicuntur, quem titulum laureis, innumerisq; triumphis, à Romanorum Imperatore Auguſtisſimo præpoſitum, Hiſtoria teſtis eſt. Felix ſaltem imperii incrementū, ac tutisſimam ſecuritatem, divino hoc medio, obtineri cogitate: ac, quid optatius populis contingere posſit, vobiſcum decernite. Qvod ſi dictorum veritatem non capitis, initio, magnum illum Vrbis conditorem, Romulum teſtem ſiſto: quem, ut juſtam Reipubl. magnitudinem acquireret, annon nuptiarum invento uſum noſtis? Reliqua prudentisſimus annalium conditor confirmabit, qui *non legiones*, inquit, *non claſſes, perinde firma imperij munimenta, quàm numerus liberorū.* Vtrumq; verò, & plura longè alia, cōplexurus Lydorum populus, quaſi, absque Regum thalamis, ſalva atque incolumis felicitas publica eſſe non poſſet, ad conjugia adigebat Reges.

Atq;

Atq; eam SERENISSIMI mentem ſtatuite, qua, prout ubiq; populorum ſuorum providet commodo, conſtantiorem, optatiſſimo regimini, additurus ſecuritatem, hoc tam felicisſimum, tam deſideratum matrimonium probavit. Non hic *Cornicum*, non *Turturum*, è Pagana ſuperſtitione, pro firmanda nuptiarum felicitate, adducimus auſpicia; cum certioribus longè eadem nitatur, quippe, cui nihil boni deficit, niſi quod nuſpiam exiſtit; quod uſpiam apparet, abundantisſimè adeſt. Ipſi ſtatuite, quid niſi felicisſimum, è CELSISSIMO HOC MATRIMONIO, pronaſci posſit: Junguntur SERENISSIMVS POTENTISSIMVSQVE PRINCEPS AC DOMINVS, DOMINVS FRIDERICVS WILHELMVS, MARCHIO BRANDENBVRGENSIS, S.R.I. ARCHICAMERARIVS ET PRINCEPS ELECTOR, BORVSSIAE, JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, STETINI POMERANORVM, CASSVBIORVM, VANDALORVM, CROSNAE ET CARNOVIAE DVX, BVRGGRABIVS NORIBERGENSIS, PRINCEPS RVGIAE, COMES MARCAE ET RAVENSBERGI, RAVENSTEINI DOMINVS: DOMINVS ATQVE NVTRITIVS NOSTER MVNIFICENTISSIMVS: ET CELSISSIMA AC ILLVSTRISSIMA PRINCEPS AC DOMINA, DOMINA LVDOVICA, CELSISSIMI POTENTISSIMIQVE PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI FRIDERICI HEINRICI, PRINCIPIS AVRIACI, COMITIS NASSOVII, CATTIMELIBOCI, VIANDAE, DICII, MOERSAE, BVHRAE, LEERDAMI: MARCHIONIS VERIARVM ET VLISSINGAE: BARONIS BREDANI, DISTEMII

STEMII

STEMII, ARLOYAE ET NASSEFROYAE: FOEDERATARVM BELGII PROVINCIARVM ADMINISTRATORIS: SVPREMI EXERCITVVM IMPERATORIS, ET PRAEFECTI MARIS GENERALIS, FILIA PRINCEPS PRIMOGENITA, DOMINA NVNC AC ELECTRIX NOSTRA CLEMENTISSIMA. Iterum quæſo, quid hinc niſi feliciſſimũ enaſci poſſit, ſtatuite. Non Celſiſſimas utrinque familias enarrabo, quamvis grandis in dicendi leges erroris, me reum acturi ſint, ejus artis Magiſtri; ſi modo reus unquam videri queat, qui juſtè errat: ego ſanè injuſtè, ſi aliter, agerem, qui, intra communes humanæ ſcientiæ terminos, cogerem ea, quæ humanam ferè excedere excellentiam videntur. Vnam tamen, è CELSISSIMA AVRIACORVM DOMO oriundam, MAGNAM PRINCIPEM, LVDOVICAM JVLIANAM quin nominem, citra impietatem neutiquam queo. Ecquid enim novimus, HVIC MAGNAE quaſi DEORVM MATRI, præter Heroas innumeros alios, deberi etiam, virtutum omnium abſolutiſſimum illud exemplar, ac tanto Principibꝰ aliis omnibus, Reginisque excelſiorem, quantò ſublimiores hæ ipſæ, vulgaribus animis coluntur, PRINCIPEM ELISABETHAM CAROLAM, PRINCIPEM AC DOMINAM NOSTRAM CLEMENTISSIMAM, cujus divina mens Pietatis ſacrarium, Prudentiæ ſenaculum, Gravitatis thronus, Clementiæ ara, Caſtitatis adytum omnibus cenſetur. HAC tam SERENISSIMA MATRE (cui & alio innumero, & hoc inprimis nomine, quod tan-

to, divinæ mentis, pignore, populos suos beârit, æternùm benè sit!) auspicatò natus MAGNVS FRIDERICVS WILHELMVS, dum, novo fœdere, avitæ domui jungitur, quidni nova avitæ felicitatis omina confirmet? Sed nolo, ut dixi, ulterius in PROAVORVM MAJORVMQVE laudes descendere, ne, dum Illustrissimarum Virtutum Serenitas, irradiet Celsissimas has nuptias, obscuritas propriis, SERENISSIMORVM CONJVGVM, virtutibus inducatur. Hæc dum dico, admirandum illud ætherei orbis convexum occurrit, in quo, cum innumerabilis lucidissimorum siderum excubet exercitus, omnia tamen alieno illustrata lumine refulgent: Sol solus luminis fons atque parens, lucem omnibus concedit; ipseà nullo, nisi primo lucis autore, DEO, recipit. Ita velim, A.H. SERENISSIMOS CONJVGES concipiatis, non, stellarum instar, mutuato eos lumine egere, sed nativo ita divinitùs illustres splendore, ut, longè lateque sparso radio, nubilis potentissimè pulsis, lætissima lux exoriatur. Romanis, ut illustrior nuptiarum solennitas esset, faces decantatissimas adhibitas fuisse, Historia refert. Non opus est facibus, SERENITATEM CELSISSIMORVM CONJVGVM, augere, quorum quot illustrissimas virtutes, tot fulgidissimas cernimus faces; nec proinde minus insaniat, qui Solis radio; quàm qui istarum fulgori, lumen affundere conetur. Sed & de his acturo, ea cura incumbit, ne, quemadmodum sacer ignis, sic divinus

hic

hic fulgor, vaniloquii prolixitate irreligiosius tractetur: unde non equidem omninò, quod sacris solenne est, silentio venerabor, sed saltem, ne oris mei balbutie profanetur, quàm parcissimè tangam. Suffecerit ergò, si dicam, AQVILAM LEONI junctam. Et annon paria omnia, Regia omnia auditis? O certum felicitatis fundamentum; ubi, &, quæ junguntur, paria, &, quæ paria, summa sunt! ET AQVILAE, & LEONI hic ultro honor habitus est, ut reges sui generis sint; qui tamen nunquam contigisset, nisi dignos eodem, summa virtus præstitisset. Est scilicet rerum omnium imperatrix, atq; regina, virtus unica, cujus potentissimum dominium, & animis hominum, &, cui subjacere hi solent quandoq;, fortunæ tam feliciter imperat, ut, sive blandiatur ipsa benigna, gubernet, ne lasciviat; sive adversetur improba, vincat, ne opprimat. Hoc ergò tam felici matrimonio, dum tam arctè virtus unitur, fortior nobis proderit. Exerceat nos, quæcunq; Deo visa fuerit, fortuna; hoc unitarum virtutum fulcro, CVM DEO, sustinebitur. Omnes, gravissimas etiam, imperiorum moles, prudentiæ sagacitate, & magno animo geri constat, ita, ut modum atque leges, fortitudini ferat prudentia: Et quî non inconcussæ starent res nostræ, tam felici, Principum harum virtutum, consortio? Imo volet Deus, ut perstet BRANDENBVRGICAE DOMVS, ac, quotquot hanc venerantur, subjectissimarum provinciarum, immota felicitas. O benè & ex voto fa-

ctum! postquam tandé, BRANDENBVRGICAM AQVILAM, Veneris Cygnus vicit: ast puræ Veneris, cujus impollutus candor, ipsam cygni nivem vincat; nec funesta, qualem cygno, Aquilæque tribuunt nonnulli, sed amicabili amoris concertatione vicit! O benè & ex voto factum! postquam nova hæc, inter arma educata atq; nata, Sapientissima MINERVA BATAVA, PHOEBVM suum, & laurus & arcus potentem, secuta, optima omnia spe complet, fore, ut (liceat cum Poeta licentiùs loqui)

——————— sanguine misto,
Alternis crescat de gentibus una propago!

O felicem Decembrem, qui hujus tam optatissimi gaudii autor fuit! Ipso auspicatissimi temporis nomine ad Romanos evocor ritus, qui eodem hoc Mense, ut angores ac animorum solicitudines pelleret, Angeronæ sacra faciebant: O! vos compello ac obtestor, quicunque adestis, publicâ voce edicite, quoties non Angeronæ; sed æterno Numini supplicaveritis, eximeret animo vestro solicitudinem, quæ, è solitudine ac orbitate, imminens vobis, gravissimè angebat: Evenit è voto, quod petiistis: euge! quid animi vobis sit, ostendite: ac quam sacra memoria, felicem hunc nobis Decembrem, colatis, quotannis declarate. Et, si fortunæ muliebri, eo Mense sacra Romani peregerunt prima, quod mulierum consilio atque ope, gravissima, à Coriolano inferenda, Vrbis clades fuerit evitata: non Veturia, sed TV, MAGNA

LV-

LVDOVICA, quæ melioris spei auspicia nobis præbuisti, subjectissimo cultu prædicaberis. Veni modo! ac feliciter Patriam hanc nostram ingredere, ut ipsa, quibus ovationibus, gratulationibusque, desideratissimam TE, MATREM AC DOMINAM SVAM, exceptura sit, experiaris. Ni mens vana est, jam audire videor, communem eam omnium vocem:

NVNC. NVNC. BORVSSVS. ORBIS.
SALVTANS. AVSPICATO.
DESIDERATAM.
LVDOVICAM. BATAVAM.
PRECATVR.
SIS. FELIX. FAVSTA SIS. FORTVNATA.
LVDOVICA.
O. LVDOVICA. VIGENS. TE. PRINCIPE.
PRVSSIA. CRESCAT.

Sed & sanctior hujus Decembris cultus accedat, quo, quod Tua potissimum ope, MAGNA PRINCEPS, quem tot modis deprecati sumus, interitum avertere à nobis inceperit, Dei bonitatem celebrabimus. Quæ ut porrò etiam confirmetur, clementissimaq; omnis felicitatis conjugalis, benedictione augeatur; non Vestam, (cui, quod vel communis mater, rerum domesticarum curam gereret; vel sacrum ignem, pro Republica conservanda, foveret, sacrum hunc Mensem dicarat Roma,) sed D.O.M. devotissimè veneramur, quem unum, & æternum rerum omnium parentem, atq; conditorem; & primum purissimæ illius, quæ

in ſanctisſimo conjugum elucet amore, flamulæ autorem credimus. Faceſſat hinc, vel Promethei cœlo ſurrepta flamma; vel Herculea Zona, indiſſolubilis amoris effictum vinculum; vel alia quævis, laſcivientis amoris conciliatricula! Dei Spiritus eſt, qui uti

Divinæ Triados ſuavis ardor

eſt; ita purisſimi amoris igne, conjugum inflammat animos. Hic, prout ineffabile divinæ unionis vinculum eſt; ita, ſanctisſimo nexu, conjugum devincit mentes. Hunc proinde ſupplicibus votis adibimus, utque æterno fomento, novam hanc CELSISIMORVM CONJVGVM, flammulam augeat, adorabimus. Huic ſupplicare non ceſſabimꝰ, dignetur is, novam hanc, SERENISSIMARVM MENTIVM, copulam, omni Herculeo nodo fortius conſtringere, ut non, niſi ſerò, dies ea oriatur, quæ ſuprema eandem ſolvat. Neq; deerit votis eventus: quin prout, præter omnium ſpem atque opinionem, gaudere hoc gaudium nobis permiſit Deus; ita porrò etiam, ſpe atque votis majora, addet gaudia. Equidem quamdiu ſuspenſis animis hæſimus omnes, anxiique cogitavimꝰ, quo tandē cœleſtis providētia, & voluntas propria inclinatura eſſet, Magnum unius, ejusq; OPTIMI, è BRANDENBVRGICA DOMO, PRINCIPIS ELECTORIS animū? Augebat piam hāc ſolicitudinē, inſolēs fati clemētia, quæ ita continuis ferè, in POTENTISSIMAM DOMVM, ſæviit annis, ut, CELSISSIMIS aliquot proſtratis CAPITIBVS, ad paucisſimum

rum numerum, pristinam felicissimamq; EJUS redigeret fœcunditatem. Vnde quis metus, quæ cura exstiterit, etiam ij, qui non viderunt, senserunt. Constringebantur quippe omnium hoc angore animi, atque, amœnitate omni exstincta, luctu ac squalore occupabantur, cum subitò, ac opinione citiùs, florem induisse, sub ipsum fermè brumæ solstitium, SERENISSIMAM BRANDEBVRGICAM STIRPEM, non absq; certa CELSISSIMORVM FRVCTVVM spe, publicè increbresceret. Quis ejus diei gaudium exprimat, qui primus, FRIDERICVM WILHELMVM MARITVM nunciavit? Annon communis omnium vox? O æstate omni floreat amœnior ea hyems, quæ tantorum fructuum spem nobis fecit! Cedant Rosæ, Violæq;, & omne, quo superbire æstas solet, florum genus, brumali huic flori. Sed quid? non invidemus jam, æstati suum decus; modo hic nobis flos lætum vigeat, fructuumq; maturitate perficiatur! O admirandam cœlestis providentiæ vim! qua ita res nostras temperat, ut & glacialis bruma, flores producat; &, inter caliginosas curarum, angorumq; hyemes, sereni lætitiæ, gaudiique oriantur Soles. Est ea tua sapientia, AETERNE VNIVERSI RECTOR, qua justis vicibus omnia, tempore suo, mutare nosti, ne quicquã ita continuo consistat tenore, ut perenne maneat. Hæc uti gaudia temperant; sic mœrores leniunt. Ne aliũde hæc confirmem9, patria, &, cujus hæc imperio (ô multis seculis velit Deus!) regi-

regitur, POTENTISSIMA DOMVS BRANDENBVRGICA imperat. Quæ ejus facies, ſub DIVO ALBERTO, cui Achillis cognomen, Heroica virtus addidit, fuerit, repetite: ac, quam ſimilima huic noſtro tempori ſit, decernite. Annon concidiſſe jam ferè EXCELSISSIMA DOMVS, cum omnis in uno ALBERTO ſpes ſtaret, videbatur? Aſt videbatur, cum, FORTISSIMI HEROIS beneficio, tam feliciter inſtaurata ſit, ut, rarâ fœcunditatis benedictione, peculiarem gratiam eidem concesſiſſe, æternum numen adhuc prædicetur. Hæc nos ſpes fovet adhuc dum: eodem cœli favore, excitatum iri BRANDENBVRGICVM GERMEN, ut nunquam, quod ſanctisſimo Regum, ſua voce promiſit Deus, deſit ſucceſſor, qui SCEPTRVM BRANDEBVRGICVM feliciter gerat. Et hinc ACHILLES, CICERONES ſperamus; & hinc WILHELMOS, MAVRITIOS, &, quoscunque alios Fortisſimos mundo Heroas, POTENTISSIMA utrinque DOMVS dedit, naſcituros confidimus. Atq; ea ſpe excitati, quid mirum, ſi inſolita lætitia, quoſcunq; provincia continet, efferantur, cum ſinguli, inſolitum quaſi vivendi fructum, percepiſſe videantur. Nam &, quos propitia magis fortuna fovet, aſſertam felicitatem; &, quos averſa deſpicit, ſublevatas miſerias putant. Gaudent ſenes, quod vivi adhuc, tantæ felicitati videndæ ſuperſint: Gaudent pueri, quod, cum accreſcente ætate, majores in dies accreturos fructus ſint viſuri. Incipit novum, commercio-

merciorum feliciorum, proventum computare mercator; & majori alacritate agros patrios, Borussiæ quasi regimine innovato, tractare colonus. Gaudent templa, curiæ, ædes deniq; singulorum privatæ, dum, quod uno omnes ore precari consueverant, tam auspicatò obtentum cernunt. Inprimis verò lætitiæ is sensus Musas tangit, hinc, inter tripudia atq; plausus, aliis etiam, novæ tantæ felicitatis celebrandæ, autores existunt. Solent, qui lætitiæ habitum oculis subjicere conantur, elegantissimam proponere Matronam, veste candidâ, innumeris floribus, frondibusq; ornata, indutam, manibus crystallo auroq; plenis, reliquo omni corpore ita dispositо, ut, inter pratorum amœnitatem, saltantis speciem referat. Non dubium, quin, si posset, hoc die, Musarum habitus oculis usurpari, eodem planè, & solenniori, etiam, sint occursuræ: Nũc cum fugiat corporis oculum, earum dignitas, animis æstimari sua gaudia volunt. Ac, cum diviniora pij gaudij indicia, precibus votisq; nulla occurrant; hisce, quicquid restare videtur, obsignaturæ, precantur:

DEVS. O. M. DIEM. EVM. QVO. NOVAM. SVMMAE. FELICITATIS. SPEM. BORVSSIÆ. EREXISTI. SVMMA. SEMPER. LÆTITIA. CELEBRARI. VELIS. SERENISSIMOS. VERO. HOS. CONJVGES. QVORVM. SALVTI. TVTELA. ET. SECVRITAS. GENTIS. BORVSSÆ. COMMISSA. EST. INCOLVMES. FLORENTES. FOECVNDITATE.

DENIQVE. FELICES. PRÆSTA. SERVA.
EOS. EA. BENIGNITATE. QUA. SEMPER.
TVM. MAGNAS. PLVRIMASQVE. VIRTV-
TES. ALIAS. TVM. PIETATEM. PRÆCI-
PVE. ATQVE. JVSTITIAM. CVM. IM-
MORTALI. NOMINIS. TVI. HONORE.
SERVARE. SOLES.

Atq; ea vota A. H. non in Idolorum femore genuq;, è ritu profanæ superstitionis, annulo obsignant, sed pronis summi DEI auribus exponunt, eumq; ,ut velit ea semper suscipi, semperq; firmari, venerantur. Tandem & TIBI, SERENISSIME ELECTOR, DOMINE AC NVTRITIE MVNIFICENTISSIME, subjectissimam devotionem iterum obligant, ac, ubicunq; terrarum, incremento salutis publicæ operaris, quod tamen non nisi feliciter fiat, humilimè acclamant:

SALVE. SEPTEMVIR. INCLYTE. DVX. BORVSSO
RVM.
SALVE. SPES. PATRIAE. SALVS. BONORVM.
LIBERATOR. OPPRESSORVM. OPPRESSOR. INI
QVORVM.
BRANDENBVRGIACAE. LAVS. MAGNA. STIRPIS.
FELICES. RVRSVS. TE. REGENTE. MVSAE.
ET. GAVDIO. OVANTES.
LAETVM. PAEANA. CANVNT.

SIS. FELIX. SIS. POTENS. FRI
DERICE. WILHELME.

PANE-



PANEGYRICUS XI.

GENIALE SACRUM,

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI ET DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO WILHELMO,
MARCHIONI BRANDENBURGICO,
S. R. I. ARCHICAMERARIO ET PRINCIPI ELECTORI;
BORUSSIAE, JULIAE, CLIVIAE, MONTIUM, STETINI POMERANORUM, CASSUBIORUM, VANDALORUM, CROSNAE AC CARNOVIAE IN SILESIA
DUCI,
BURGGRABIO NORINBERGENSI,
PRINCIPI RUGIAE,
COMITI MARCAE ET RAVENSBERGI,
DOMINO RAVENSTEINI,
DOMINO AC NUTRITIO SUO MUNIFICENTISSIMO,
IPSO NATALI DIE,
QUI ERAT
$\frac{VI}{XVI}$ FEBRUARII.
HUMILIME FACTUM.

INVITATIO AUDITORUM.

Eiterum (*velit DEUS feliciter!*) *Dies* $\frac{VI}{XVI}$ *qui NATALIS olim SERENISSIMUM ET POTENTISSIMUM PRINCIPEM AC DOMINUM, DOMINUM* FRIDERICUM WILHELMUM *MARCHIONEM BRANDENBURGICUM, S. R. I. ARCHI-*

CAMERARIVM ET PRINCIPEM ELECTOREM, BORVSSIAE, JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, STETINI POMERANORVM, CASSVBIORVM, VANDALORVM, CROSNAE ET CARNOVIAE IN SILESIA DVCEM, BVGGRABIVM NORINBERGENSEM, PRINCIPEM RVGIAE, COMITEM MARCAE ET RAVENSBERGI, DOMINVM RAVENSTEINI, DOMINVM ET NVTRITIVM NOSTRVM MVNIFICENTISSIMVM, cum felicissimo tot populorum incremento, primum in lucem protulit, orietur. Dies sanè, quo uti lætiorem Borußia nullum alium novit, sic solennißima festivitate peragendus. Adeò revera, quod, Maximiano suo Augusto, Panegyrista dicit, & hoc loco obtinet : Hic mihi dies videtur illustrior, magisq; celebrandus, qui te primus protulit in lucem. Etenim illi ipsi dies, quibus imperij auspicia sumsistis, ob hoc sancti sunt & religiosi, quod tales declaraverunt Imperatores: at certè virtutes, quibus ipsum ornatis imperium, vestri procreavere natales; quos quidem, Sacratissime Imperator, quoties, annis solventibus, revertuntur, vestri pariter, ac vestrorum Numinum reverentia, colimus. *Imò colemus & nos, devotißimâ reverentiâ, felicißimum, qui, hoc exacto anno, revertetur, natalem. Nunquam equidem animis ille excidet dies, quo, quod cœlestis providentiæ decretum constituerat, id, singulari bonitate, utendum concedebat afflictis Borußiæ rebus, ut prostratas has, cum DIVO GEORGIO VVILHELMO, sua virtute erigeret,*
erectasq;

erectasq; sustineret etiam (ô diu & felicissimè!) magna MAGNI FRIDERICI WILHELMI *virtus. Quibus verò tripudiis ea dies acta fuerit, quæ auspicatissimis non minus, quàm desideratissimis nuptiis, huic tā felicissimo, tā optatissimo regimini robur atq; securitatē addidit, adhuc resonare vidētur nostræ Musæ. Et tamē, si rectè ratio ineatur, utriusq; istius lætitiæ fontem, natalis revera præstat, qui tantam MAGNI PRINCIPIS produxit virtutem, ut non hanc modò, sed &, si quæ longè alia major (addat & hanc DEVS!) supersit, felicitatem suo jure mereatur. Atq; hinc, quicquid felicitatis hoc loco contigit, jam diu debebatur CELSISSIMAE SERENISSIMI VIRTVTI; quicquid verò splendoris, quod tamen summum est, felicitati ipsi accedit, omne id virtuti hæc acceptam ferat, opus est. Ita scilicet, quæ, in ipsis incunabulis, sedem invenit felicitas, matre atq; nutrice virtute, crevit atq; confirmata fuit. Neq; jam quenquam alia mente esse putamus, nisi solennissimo cultu, tantæ virtutis, tantæq; felicitatis autorem diem, exigendum esse. Psyches natalem amœnissimus, qui Philologiæ nuptias exhibet, scriptor, illustrissimè celebratum probaturus,* Deos *ad convivium corrogatos, multa contulisse, refert.* Jupiter, *inquit,* diadema, quod AETERNITATI, filiæ honoratiori, detraxerat, capiti ejus imposuit. Juno quoq; ex purgatioris auri splendente vena, addiderat crinibus sociale vinculum. Tritonia etiam interula, resoluto ricinio, Strophioq; instar flammarum, è cocco, atq; ipso sacri pectoris, ac prudentis amiculo, virginem virgo con-

texit. *Ita illi Psychen suam coluisse traduntur, &, quid nos non deceat? Sanè provinciarum, atq; populorum animas, optimos Principes esse scimus. Horum quippe vitâ vigore, virtute, publica privataq; omnia ita vivunt, vigent, constant: prout corpus ipsum, divinæ illa particula auræ, animatur atq; sustinetur. Revera id fatemur, quotquot patriæ alumni sumus, nec futuros, nec benè futuros nos nostrosq; esse, si absq; MAGNI EJUS, qui vitâ ipsa charior nobis esse debet, & est etiam omnibus,* FRIDERICI WILHELMI *ductu, atq; regimine essemus. Hujus ergo natalem, quam solennioribus modis, ea, quæ proposita fuit, solennitate perageremus, nisi virium obstaret exilitas? Neq; enim uspiam, tantæ sublimitati, nostra respondet tenuitas. Neq; tamen etiam adeò obruet hæc nostras mentes, ut obsequij sui subjectissimi immemores, & minimus sæpè, pietatis finem obtentum esse, obliviscantur. Et commodum suggerit nobis sapientissimum consilium, haud obscurus dicendi Magister?* In natalitiis, *inquiens*, cum erimus, nequaquam alienum fuerit, si tam ab aliis Diis, quàm ab iis, qui nativitatibus præsunt, precibus petierimus, uti præsens vita, atq; futura, melior, quam præterita, contingat, ac, ut confectis multis temporum spatiis liceat ad maturam, felicem, fortunatamq; senectutem pervenire: Id namq; propriè, natalem alicujus commendare dicitur. *Nos rejecta superstitione, quod pium est, imitaturi, qui unus & nativitatis, & vitæ arbiter est, D. O. M. venerabimur, ut SERENISSIMO* FRIDERICO WILHELMO,

quic-



quicquid adversum priori ætate fuit, posthac nunquam noceat; meliora verò, ac feliciora subsequens ætas cumulatè afferat, sicq; intra seros canos, feliciter superesse contingat, Agemus ita futuro Saturni die, qui, hoc anno, NATALIS est, circa IX. matutinam in Auditorio Majori: Quod ut MAECENATES, AMICI AC CIVES NOSTRI, nobiscum, haud gravatè, agere dignentur, officiosè ac amicè paucis rogamus: quod superfluum videtur, ea operosè rogare, quæ pietas imperat. P. P. 1647. 10. *Februar.*

MAGNIFICE AC GENEROSE DOMINE

CANCELLARIE:

MANIFICE DOMINE RECTOR:

GENEROSI, NOBILISSIMI AC MAXIME STRENVI, SPECTABILES, ADMODVM REVERENDI, CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, EXCELLENTISSIMI, CLARISSIMI, AMPLISSIMI, PRVDENTISSIMI, SPECTATISSIMI, PRAESTANTISSIMI, DOCTISSIMI, DOMINI, MAECENATES, FAVTORES AC AMICI COLENDI, AMANDI.



Iij demum, ætatum suffragiorumq; omnium consensu, felicissimi sunt populi, qui quàm optimis Principibus reguntur; optimi autem Principes, qui uti felicitatis publicæ fidissimi assertores, sic communis gaudij felicissimi autores existunt: Sanè

Sanè felicisſima Boruſſia, dum auſpicatisſimo, SERENISSIMI, POTENTISSIMIQVE PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI FRIDERICI WILHELMI, MARCHIONIS BRANDENBVRGICI S. R. I. ARCHICAMERARII ET PRINCIPIS ELECTORIS, BORVSSIAE, JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, STETINI POMERANORVM, CASSVBIORVM, VANDALORVM, CROSNAE ET CARNOVIAE DVCIS, BVRGGRABII NORIBERGENSIS, PRINCIPIS RVGIAE, COMITIS MARCAE ET RAVENSBERGI, RAVENSTEINI DOMINI, DOMINI AC NVTRITII NOSTRI MVNIFICENTISSIMI, regimine gubernatur, jure ſuo merito judicatur. Quid enim, tam crebra ſolenniſſimarum feſtivitatum iteratio, aliud, quàm Illuſtriſſimam OPTIMI PRINCIPIS loquitur virtutem, cujus uti uberrimum fructum affatim experitur feliciſſima patria; ita non poteſt, niſi publica lætitiâ, hanc ſuam felicitatem aliis oſtẽtare, ſibi humilima devotione gratulari? Adhuc calere videntur, veſtro A. H. applauſu, hi parietes, quo *FELICISSIMVM THALAMVM* MAGNO PRINCIPI gratulati ſumus: & jam, ad nova gaudia, evocarunt vos noſtræ Muſæ. Ita, poſtquã *GENIALEM* nuper *LECTVM*, ſubjectisſimè ſumꝰ venerati: *GENIALEM* nũc *DIEM*, qui, anno abhinc SEPTIMO SVPRA VIGESIMVM, SERENISSIMO FRIDERICO WILHELMO lucem, nobis verò felicitatem hanc uſurpandam conceſſit, eadem veneratione proſequemur.

Ergò

Ergo rurſum *Voce plena,*
Læta ſurſum *Ac amœna*
Gens Boruſſa ſuſcitare! *Feſta lux hæc exigatur!*
Cantitando *Quod canorum,*
Ac ovando *Quod ſonorum*
(Euge felix!) occupare! *Scis, Apollo proferatur!*
Sit parata *Vt canore,*
Muſa grata! *Vt ſonore*
Vox fidesq; miſceatur! *Omnis aër compleatur.*

Nobis verò, dum tantæ lucis ſolennitas recolenda eſt, ne procul à *GENIALI LECTO* diſcedamus, mentione ejusdem inducti, ex antiquiſſimo populorum ritu, quo abſentium Principum *GENIOS*, cum ſemper, tum DIE inprimis NATALI, venerabantur, COELESTI MAGNI PRINCIPIS GENIO ſacra faciemus, ac, quàm devotiſſimo cultu eũ veneremur, publicè demonſtrabimus. Vos modo, qui adeſtis, A. H. ita favete, prout pronum affectum, quo iterum adeſſe Muſis eſtis dignati, devinctisſimis ſervitiis, officiisq; demereri ſtudebimus.

Et initio *GENIOS* non modo innumeros ferè; ſed diverſiſſimos colendorum eorundem fuiſſe ritus, tam abunde, in ampliſſimis antiquitatis conditoriis, occurrit, ut, ſi minimam eorum partem depromere inde libeat, jam uberrimum dicendi præſtò ſit argumentum. Præter hominem enim, cui maximè omnium *GENIVM* Præſtitem atq; Tutela-

rem, fidiſſimi Germani inſtar, convenire putant pleriq;, DEorum, Colonorum, Municipiorum, Pagorum, Decuriarum, Exercituum, Cohortium Aedium, Fontium, Horreorum, Portarum, Thermarum, Stabulorum deniq;, &, ut verbo rem complectar, quorumvis locorum *GENIOS* invenimus. Verum miſſis ambagibus iſtis, hoc potius, quod propius inſtitutũ noſtrum attinet, agemus, ut quid animus, dum *GENIVM* audiunt aures, concipere debeat, conſtet: neq; tamen & id, è ſuperſtitioſa antiquariorum nonnullorum curioſitate, qui ita *GENIO* explicando occupantur, ut ipſi, *GENIO* omnino *SINISTRO*, nati videantur, agemus. Qui exactisſimè autem ejus indolem proponunt, variis eum promiſcue rebus attributum, *VIM* ſingularum *NATIVAM*, quâ maximè valent, dicunt; hominis verò animum ipſum, *RATIONALEM GENIVM* ſtatuunt, qui, prout vel ſerius ad honeſtisſima quæq; & optima impulſor; vel depravatus ad turpia ſordidaq; eſt deductor, ita *MALO* vel *BONO GENIO* regi homo cenſetur. Sociatur ſcilicet hic in lucem editis nobis, numinis inſtar cujusdam, quod actus regat omnes, atq; nativa quâdam inclinatione, quò lubitum fuerit, voluntates flectat. Et annon ſupremus, facultatum omnium, gubernator atq; rector, ipſe animus eſt, cujus imperio dum in utramq; obſequimur partem, ſponte noſtra, quod *GENIVS* dictitat, agimus; ſimul ac verò, externâ quadam neceſ-
ſitate

ſitate, ſuperatur iſte, *INVITO GENIO* res geri dicuntur: Sicq; vel indulgemus, dum obtemperamus *GENIO*; vel, dum adverſamur, defraudamus eum. Atq; hinc videre vos opinor, A. H. quidnam colendum nobis propoſuerimus, dum *GENIALI* hoc *DIE*, SERENISSIMI *GENIVM* honoraturos nos diximus: Cœleſtem videlicet MAGNI PRINCIPIS mentem, quam uti optimam atq; rectisſimam, didivina largiente bonitate, obtinuit; ſic juvante eadem divinis, atq; optimo Principe dignisſimis, virtutibus ita, cum publica civium ſalute quotidiè oſtendit, ut revera *PROPITIO* atq; *FAVENTE FATO*, natus, judicetur. Hic divinus ei *GENIVS* eſt, cujus, poſt Deum, impulſu, ſumma ſemper, eaq; optima, cogitat, loquitur, ſectatur, agit: quem ita ex mente veterum, ſive quod cum eodem genitus ſit atq; natus; ſive quod, beneficio ejus atq; ope, feliciſſimè omnia gerantur, appelles, non contradico. Eſſe ſanè virtutum quædam ſemina, quæ continuâ, cum genere ipſo, ſucceſſione propagata, naſcantur nobiſcum, communis ſapientum eſt opinio. Hinc enim

Fortes creari fortibus,

Poëta etiam dicit; & eſſe vim quandam inſitam, quam promoveat doctrina, atq; exercitium crebrius, tam certum eſt, ut *Virtus ipſa, nihil aliud*, Stoicorum ſapientiſſimo, *ſit, quam natura in ſe perfecta, & ad ſummum perducta.* Jam ſi clarior eorum fluviorum laus eſt, qui ex purioribus labuntur fontibus; aut, ſi

plantarum earum generosior indoles est, quarum, postquam stipites exaruerunt, manent adhuc semina: quantò illustrior generositatis, in hominibus, gloria videtur, quæ ex virtute, tanquam ex puro fonte, derivata, indolem retinet suam. Ea mente, credo, Triũvir Romanus, *fieri non posse*, dixit, *quin ij, quibus semina virtutis à majoribus, per multum tempus ducta, adsunt, & ingenuâ, & perpetua virtute sint præditi.* Ita connascitur perpetuo successu, generosæ proli majorum virtus, ac, quod semel illustrare summas familias cœpit, virtutum decus, firmis tandem actis radicibus, ita provehitur, ut hæreditarium esse pergat. Jam proinde explica, SERENISSIMAM omnem, POTENTISSIMAE BRANDENBVRGICAE DOMVS ILLVSTRITATEM, & mox, quâ virtute, quove *GENIO* productus sit SERENISSIMVS HIC NOSTER, liquidò apparebit. Admirantur Historiæ DIVI JOACHIMI FRIDERICI pietatem: ast vide, annon hæreditariam ejusdem laudem obtineat, SERENISSIMVS FRIDERICVS WILHELMVS, cujus cœlestis mens adeò, tam divina perfusa est virtute, ut, ne unquam extra ejus tramitem deviet, hanc votorum summã, Deo solenni symbolo, proponat:

DOMINE, FAC ME DISCERE VIAM, PER QVAM AMBVLEM.

O divinum consilium! ô cœlestem vitæ ducem, quẽ quisquis sequitur, non, nisi felicissimè, progreditur!

tur! Et si pietas Deo partim, partim hominibus devotissimo studio se probat, quis incredibilem illum, quo piissima mens DEVM, & quodcunq; Hic, intra cœlestis sapientiæ oracula, præscribit, sectetur, ardorem dignè exprimat? Sacratissimum Dei Verbum dico, cujus tenorem tantâ constantiâ observat, ut nulla, quæcunq; etiam objiciatur, re alia dimoveri se hinc patiatur; quin inclementiam ejus metuat necesse est, quisquis, vel leviter, hinc dissentire videtur. Non expono, ne arcanis Principum, temerè me immiscere videar, quã munificentissimo affectu, quotquot, è CELSISSIMA DOMO, graviore fortunâ utuntur, foveat atq; prosequatur, ut commune suorum asylum, Principis hæc pietas, haud iniquè dicatur. Neq; tamen, intra DOMVS SVÆ terminos, ea consistit, sed foras in publicum erumpens, quorumvis necessitates atq; indigentiam, singulari planè munificentiâ, sublevat. Dies me deficeret, si omnia ejus rei arguméta proferrem: Vnicum saltem, quod & laudatissimum, & præsenti NATALI convenientissimum videtur, cognoscite, &, quid videatur, vobiscum constituite. Inter lætissimos plausus, & faustissimas gratulationes, AVSPICATISSIMVS SERENISSIMI exigitur NATALIS: quid verò ille? ut absolutior ejus diei sit lætitia, sensuq; ejusdem tangantur ij etiam, qui, cum perpetuis doloribus, atq; miseriis conflictantur, quorum ea rerum omnium egestas, ut certo lare destituti, extorres,

morbidi, è publico, intra Nosocomii squalorem, miserum spiritum protrahant; munificentissimum, hoc quotannis Die, epulum destinavit iisdem; credo, ut lautiori cibo, potuq; refectæ oppressorum mentes, excitentur ad ardentiores, pro salute tam OPTIMI PRINCIPIS, fundendas preces? Ea certè Tibi, PIISSIME PRINCEPS, mens videtur, & crede non vanam eam futuram! Crede! DEVM, piæ hujus munificentiæ, largissimum fore remuneratorem, ac uberrima gratia, quicquid horum miseriis impendis clementiæ, compensaturum. Crede! ita inoffenso gaudio constituras res tuas; prout insolito hoc gaudio afflictos beas. Crede! ita robur atq; vires, quotidiè Tibi, rebusq; TVIS innovatum iri, prout novas vires, animo corporiq; languidorum, hoc refrigerio addis. Ita communia omnium suspiria, ita communes omnium preces, stabilem perennemq; impetrabunt Tibi felicitatem; prout felicem hunc, atq; faustum sibi experiuntur diem, miseri atq; infelices. Sed quo prolabor? Jam diu enim, admiranda JOHANNIS GEORGII sapientia, animo obversatur, cujus ex asse hæredem esse SERENISSIMVM, quisquis nescit, næ ille nihil scire mihi videtur. Annon enim, in publicum, sapientissima ejus mens constat, quâ, ne quid consiliorum præcipitetur, maturæ omnia subjiciens deliberationi, & moræ, &, quæ felicissima optimorum consiliorum mater est, blandæ amicæq; concertationis pa-
tiens

tiens eſt, niſiq́; excuſſa atq; examinata probè ſint omnia, decernit nihil. Poſtquam verò ſemel, quod optimum fuit inventum, animo complexus eſt, eâ conſtantiâ id perſequitur, quæ cordatorum, atq́; rectè inſtitutorum principum, ſummum ſemper fuit ornamentum. Ægyptios olim, ſacrarum ædium veſtibulis, Sphingis effigiem addidiſſe, ut prudentiæ, fortitudinisq;, feliciſſimum conſortium docerent, putant nonnulli: quidni hinc animi fortitudinem colligamus? quam ſemper optimis conſiliis ita conjungit ſapiens, ut, quod maturè ſemel conſtituit, nunquā id deſerat, ſed conſtanti exequatur magnanimitate, cum reliqui omnes, ita inconſtantiores ſint, atq; magis mutabiles, prout ſapiunt minus. Quod ſi verò, dicente Mediolanenſi præſule, individuum, ſapientiæ atq́; juſtitiæ, eſt contubernium, neq; hic aliter ſtatuatis, velim; quàm omnem JOACHIMI I. juſtitiam, per traducem quaſi, in SERENISSIMVM pectus derivatam. Quoties vel potentia abutentes conceſſa, vel affectibus ſubjacentes, qui mundo imperant, principes, quod juſtū eſt, omittunt; quod lubet, admittunt? Huc adeſte, quoscunq; hic in perverſum hucusq; egit error, ac, quam ſolertiori juſtitiæ cultu, emendandus is ſit, cognoſcitè! Cum juſtitiæ nihil magis officiat, quàm, quo alios proſequimur, ſive amor, ſive odium: ea potiſſimum danda eſt opera, ut medius, inter utrumq;, juſtitiæ tenor recta ſibi conſtet, nec, quo peſtilentiſſimus illorum impel-

impellit turbo, flectatur. Ita amandi alii, ut supremam amoris legem, DEI, qui potentissimus justitiæ est assertor, dicat amor. Et ita indignandum etiam aliis, ne, dum præter æquum vindictæ indulgemus, vindicis DEI provocemus: iram. Neq; liberum, quicquid libitum nobis, pro eâ potentiæ, qua pollemus, facultate censeamus, cum superiori Dei subjaceat, omnis mortalium potestas, quæ ubi istam irritaverit, facili vicissitudine, ad imam usq; infirmitatem, prosternitur. Hæc, Hæc SERENISSIMI mens est! hac suggerente, ita semper jus dicit, ut cœlesti suum sceptrum submittens, non, quid sua sibi permittat potestas; sed quid illius imperet voluntas, accuratè notet. Nec proinde, quam summos mundi capitibus tribuunt alij, gravissimis ignoscendi sceleribus potentiam usurpat, nec graviori vindictâ, oppressos prosequitur: sed, quantum per divinæ regulæ indultum licet, ita jus exercet omne, ut nec puniendo crudelis, nec ignoscendo mollis videatur. Quæ quidem omnia A. H. dum auditis, & si quæ alia innumera, gemina hisce (quæ addere tamen prohibet tempus,) aliunde cognoveritis, hunc *GENIVM* MAGNI PRINCIPIS statuite, quem uti nascendi, ita agendi etiam, per omnem vitam, comitem habuit. Cœlestem hanc mentem, quam AVITA, & ulteriori DIVORVM MAJORVM hæreditate, per traducem quasi obtinuit, dum continuo maximarum virtutum exercitio, solerter colit, quid mirum, si tan-

si tandem solidissimè confirmata, tam feliciter, quicquid suscipit, gerit, (nam & hinc *GENIVM*, nonnullis dici memineritis) ut publica undiq; felicitas, & communis, è felicitate, enascatur lætitia populorum? Anxiè semper, nec immeritò, mediorum soliciti fuerunt summi Principes, quibus instructi, res suorum publicas & sustentent fortiter, & feliciter gerant. Hinc videas nonnullos, id sibi polliceri, à refertissimis auro argentoq; Gazophylaciis, quod hocce, quasi unico rerum gerendarum nervo, promptissimè omnia expediri statuant. Alij, quasi fortunæ eodem, quo hominum vires, prosternantur impetu, confirmant undiq; imperij robur, ac, quodcunq; muniendo eidem servire queat, curiosissimè inquirunt. Sunt &, qui auxiliari fœderum, ac amicitiarum ope præstari id putent, quod videlicet commodius communibus plurium, quàm singulorum, viribus, sustineri regiminis molem censeant. Quæ omnia, uti laudem suam, si cum virtute juncta præstò sint, merentur; ita destituta eâdem, vana, falsa atq; caduca omnia: cum namq; sola adversus temporum fortunæq; injurias, virtus perstet invicta; reliqua omnia, sibi relicta, collabascunt. Videtis credo A.H. quorsum hæc dicantur: Quod patriæ res, præ aliis infinitis gentibus, feliciter gerantur, quod templis suus honor, justitiæ suus vigor, domibus singulorum privatis, sua constet securitas; quod, quæcunq; pacis bona sunt, lætissimè inter nos flore-

ant; omne id juxta DEVM, huic OPTIMI PRINCIPIS *GENIO*, seu, ut clarius dicã, COELESTI ipsius menti debemus. Nil familiarius, inter antiquitatis amœna, in venio, quam *BONO GENIO* plerumq; *BONVM EVENTVM*, junctũ fuisse comitẽ. Ipsi, quâ ratione ista dixerint, viderint; nostra ea per DEI gratiã (faxit eam æternam!) felicitas est, non, nisi optima nobis evenire, MAGNI HVIVS PRINCIPIS *GENIO* inter nos agente. Et præsentis enim, & absentis, summã rerũ gerẽdarũ vim, tã clare sentimus omnes, ut revera cœlesti quodam influxu, operari videatur. Quinimò, annon & hoc ipso momento, quo procul hinc res suorum gerit, præsentiam EJVS, qua per amplissimum diffusus Auditorium, agit, sentitis? Ipsa hujus diei solennitas, &, quæ inde existentia,

-- *Tacitum pertentant gaudia pectus*,

quid aliud, quàm occulta *DIVINI* hujus *GENII VIS*, quà tactæ singulorum mentes, *HOC* se *GENIO* regi lætantur? Et credite A. H. non vanum me augurem esse, si clementissimam Borussiæ suæ memoriam, OPTIMO PRINCIPI, hoc ipso NATALI, subire; ac, quodcũq;, à tenuitate nostra, solennitatis imprælentiarum instituitur, animo concipi dixero. Mihi sanè quis aurem velicet, equidem ignoro: ast sentio tamen *SANCTE GENI*, & clarissimè sentio *TVAM VIRTVTEM*: hinc perculsa quasi, sacro horrore, lingua, trepidare incipit, dum, quem TE dignum exhibeat cultum, ignorat.

Ast!

Aſt! bene occurrunt Muſæ, quæ uti ſemper, prædicando TVO HONORI, ſubjectiſſimè obſtringuntur; ita hac quoq; vice, ne quid deficiat, ſolerter curabunt, ac, quod mea exilitas nequit, ipſæ explebunt. TV modo, quodcunq; ſacrum humilimè TIBI volunt, eâ, quâ ſoles, clementiâ dignare. Scio aliàs, *GENII* honoribus illuſtrandis, *PLATANVM* arborem fuiſſe ſacram, quod amœnitate ſua plurimas vincat alias: accedente etiam gratiſſimo foliorum, umbræq; beneficio, quo & adverſus Solis ardentiſſimum æſtum, & adverſus nimborum, graviùs delabentium, injurias publicè prodeſt. Et quid aptius incidat uſpiam, quàm amœniſſimæ arboris viror? Ipſius Dei voce, arbores dici Magiſtratus, diſcimus, quorum præſidio, adverſus omnium difficultatum inſultus, tuti ſint ſubditi. Hinc quoties atrocius infeſtantur hi, felicius longè in optimo Magiſttatu, quàm in *PLATANO* alii, refugium quærunt. Et ficum quidem, & vitem, publicæ ſecuritatis certiſſima argumenta eſſe, ſacer codex docet; aſt cujus neq; ſtabilitas, neq; oblectatio ulla eſt, niſi ſalvâ *PLATANI* hujus amœnitate. Vigeat quippe publicum, optimi Magiſtratus, regimen, ſi privata quies debet conſtare. Hoc aſſertore publicæ felicitatis florente, ſalus ubiq; privata lætiſſimè floret. Quæ dum auditis, annon ſuggerit ſponte ſua animus vobis, quàm patria cura, res noſtrum omnium tractet FRIDERICVS WILHELMVS?

ita ut si ullius, hujus certè, Principis *GENIVS*, omni *PLATANO* & amœnior, & utilior existat. Annon, quoties vel ferventissimis infortunii adusta; vel, detonantibus undiquaq; adversitatum nubilis, oppressa miseria, ad commune hoc, COMMVNIS PATRIS, præsidium confugit, certo auxilio reficitur atq; defenditur? Inprimis tamen, eam sæpius soleo admirari clementiam, quam Academicis Musis testans, revera MVNIFICENTISSIMI NVTRITII laudem possidet. Adeò sublevat plurimorum SVA munificentiâ necessitates; ut omni *PLATANI* umbra gratius, recreari se experiantur. Valeant, valeant decantatissimæ illæ *PLATANI*, quibus Atheniensium Academiam superbiisse, præter alios, Plinius refert: Hanc modo, æterna nobis amœnitate vegetam, arborem, cœli favor conservet, & felicissimo loco res Musarum erunt. Atq; is lætissimus omnium viror, qui à virtute exoriens, eos producit fructus, qui temporum ac annorum omnium injuriis superiores, perfectissimâ maturitate perennant. Inter miranda, Historiæ referunt, *PLATANVM* quandam, quæ Gortynæ, in Insula Creta, crescens, contra omnis reliqui generis indolem, folia nunquam dimittat: Et revera ea OPTIMORVM PRINCIPVM virtus est, quâ unâ, cum eadem, qua reliqui, mortalitate affectum gerant corpus, mortalitatem supergressi, immortales persistunt. Ac si fabularum vanissimarum patroni,

troni, *PLATANI* iſtius, ſemper-vivum vigorem, Jovi cuidam SVO, qui, cum Europa, ſub eadem quieverit, acceptum ferunt; nos diviniori ſatu, productam ſcimus virtutem. Genuina quippe veri Dei ſoboles eſt, quæ eadem, cum ſummo parente, immortalitate perennis, idem munus, quibus ſe communicat, mentibus ultrò largitur. Macte ergo! macte hac TVA felicitate PRINCIPVM MAXIME, ac, quam Tibi propria virtute paras, æternitatem feliciter poſſide! Non egemus Jove quodam, quem, ut Pſyches natalem ſolennius celebraret, Æternitati filiæ diadema ſubtractum, conceſſiſſe iſti, nuper diximus. TVA Tibi virtus divini inſtar diadematis eſt, quo SERENISSIMVM cinctum caput ea ſemper agitat, quæ æternitatem undiq; confirmant. Inſignem inprimis etiam, cultus *PLATANO* exhibiti, ſpeciem, in Xerxe proponunt autores, qui adeò amœniſſimæ, in Lydia, arboris venuſtate captus, ut, cum celeberrimæ potentiæ rex, innumeris populis imperaret, eidẽ ultrò ſerviret, pretioſisſimisq; ex ea ſuſpenſis ornatibus, veneraretur arborem. Euge A. H. ita nos agamus, &, cujus tam multiplici beamur fructu, ſolenniſſima veneratione FLORENTISSIMAM, è POTENTISSIMA BRANDENBVRGICA DOMO, PLATANVM colamus: idq; cum ſemper, tum hoc inprimis die, quo, tam læta ſolennitate, GENIALE ejusdem FESTVM recolimus. Non equidem ea fortunarum noſtrarum

opimitas, ut ſumptuoſis, hanc in rem conquiſitis, muneribus id expediamus: Verum enim verò, nec curat hæc fortunæ ludibria divina virtus; nec docent nos, eam *GENII* colendi rationem, antiqui ritus. Hos namq; ſi examines, inprimis *MOLA SALSA GENIO* factum eſſe deprehendis. Quo quidem piiſſimo ſacro (hinc enim & *FAR PIUM*; & *MOLA CASTA* idem dicitur) id nos decere, præ omnibus, cernitis, ut purâ atq; caſtâ mente, cœleſtem SERENISSIMI *GENIUM* colamus. Nusquam vera fides, quæ variè diviſa, non uni conſtanter adhæret. Hinc prout intemerata conjugum fides, nunquam, absq; adulterii crimine, diſtrahitur: ſic, quâ ſemel Principi obſtrictus eſt populus, fides nihil alieni fuci admittit. Hæc DEO quidem ipſi pietatem; qui vero hujus, inter nos, vicem gerunt, Prin cipibus obſequii cultum, maximè commendat. Quod ergò ſemel, ſanctiſſimâ Fide, OPTIMO PRINCIPI dedicavimus pectus, æternum ei ſacrum eſto, nec quicquam intra hoc admittatur, quod vel conetur violare mentis puritatem. *FLORES* præterea *GENII* cultui additos, olim reperimus: Addamus & nos, nō evanidos, atq; temporis ſpolia; ſed quæ intra floridiſſimum pectoris hortulum, ſua cujusq; virtus producit. *LILII* loco ſit, quod ſæpius diximus, intemeratus fidei candor: *ROSAE* vicem gerat, purpurans ſubjectiſſimæ devotionis amor; VIOLAE pallorem expleat, humile obſequium; &, ſi quod aliud,

vel

vel fragrantissimorum, vel speciosissimorum, *FLORVM* genus, mentis agellus profert, omne id *MAGNI HVIVS GENII* honoribus adhibeatur. Atq; eo ornatu splendidi, inter lætissima tripudia, (hæc enim, *MERVM GENIO* oblatum, testari videtur) diem hunc agamus hilares. Vel an æquior gaudendi ratio, quàm quæ, ex publicâ felicitate, laudatissimorum Principum regimine, confirmata, enascitur? Sanè prout felicitatis; ita lætitiæ publicæ, fundamentum præstant Principes. Et quæ, absq; iis si sumus, privati gaudii suavitas? cum publica infelicitate, omni momento, turbatum eam iri metus est. Miseras sane eas gentes, quarum ita res geritur publica, ut nulla ex eadẽ, ad privatas, oblectatio derivetur. Felices contra illas, quarum ita, intra felicitatem, florent Rectores, ut, quicquid lætum, quicquid faustum ipsis contingit, id non aliâ via admittant, quàm, quâ gaudium omnium commune juvat. Quæ cum ita sint, quis gaudio nostro modum ponat? qui eo, pro immensâ DEI bonitate, fruimur regimine, quo an felicius aliud ullum inveniri queat, haud injuria quis dubitet. Illud saltem curandum nobis est, ut, si *GENIO*, *THVRE SACRO*, litarint prisci, nos sanctissimarum precum *THVS* OPTIMI PRINCIPIS *GENIO* offeramus. Ita Principum omnium salutem curandam, ipso DEI Spiritu Doctore, scimus, & quanto æquius optimis Principibus, ea, à subditis, cura debetur? Imo novimus, nullum esse aliud certius

certius vel confirmandæ, vel augendæ felicitatis cum omnis, tum publicæ inprimis, medium, piis precibus, quarum ſanctiſſimus odor, omni *THVRE* gratius, D. O. M. afficit mentem. Quod quidem, inter paganiſmi etiam cœcitatem, præter innumeros alios, Spartani in primis perſpexiſſe videntur: hinc ſolenniſſimo ritu, inter eos receptum legimus, ut Reipublicæ adminiſtrationem aggreſſurus Senator, primum omnia Deorum templa frequentaret, atq; cœleſtem Sapientiæ fontem, absq; quo, omnis humanæ induſtriæ conatus vanus eſt, veneraretur. Poſſent ejus rei, infinita proponi documenta alia: Sed hæc ipſa, quò tandem flectenda ſit oratio, abunde indicare videntur: maximè cum neminem veſtrũ, A. H. adeſſe putem, qui non exacte tam cœleſtem, SERENISSIMI E T POTENTISSMI FRIDERICI WILHELMI, *GENIVM* perſpexerit, ut, devotiſſimo cultu honorandum, ultrò fateatur. Quem ergò unum, ſubjectiſſimæ venerationis, teſtem producere licet, alacres in medium proferamus, ac pro lætiſſima OPTATISSIMI NATALIS continuatione, inoffenſaq; MAGNI PRINCIPIS felicitate, æternum Numen ſupplices veneremur:

*DEVS. O. M. CVI. POPVLVS. BORVSSVS. EST. IN. TVTELA. QVIQVE. PROVIN CIAE. HVJVS. POPVLIQVE. TVTELAM. RECEPISTI. TE. PRECAMVR. VENERA MVR. VT. CVJVS. DVCTV. ATQVE. GE

NIO.

NIO. EJVS. RES. GERITVR. OPTIMVM. PRINCIPEM. JVVES. AB EO. POPVLISQVE. EJVS. QVODCVNQVE. NOXIVM. EST. AVERRVNCES. QVICQVID. LAETVM. ATQVE. PROSPERVM. EIDEM. CONCEDAS. SICQVE. EVM. CVRES. VT. NVLLIVS. ALIVS. FORTVNAE. MAJORI. TIBI. CVRAE. SINT. QVOD. SI. FECERIS. AETERNAM. DEVOTISSIMAE. PIETATIS. GRATITVDINEM. VOVEMVS. OMNES.

ODE NATALITIA,

Cujus, in antecedentis Orationis Exordio, mentio facta,

Eo anno a me ſcripta.

ERgò rurſum
Læta ſurſum,
Gens Borußa, ſuſcitare!
Cantitando
Ac ovando
(*Euge felix!*) *occupare!*
Sit parata
Muſa grata,
Vox, fidesq; miſceatur;
Voce plena,
Ac amœna
Feſta lux hæc exigatur,
Quod canorum,
Quod ſonorum,
Scis, Apollo, proferatur;

Vt canore,
Vt sonore,
Omnis aer compleatur:
Lux honora,
Lux decora,
Principem quod huncce natum
Protulisti,
Ac dedisti,
Subditis tot auspicatum;
Gratulando,
Et precando
Omnibus te præferemus;
Dum rotundi
Sphæra mundi
Ambitum tenet, canemus:
Lux serena,
Lux amœna,
Emica desiderata!
Sæpiusq;
Lætiusq;
Patriæ redi vocata!
Face clara,
Non amarâ
Fulgeas, omnes precamur;
Vt frequentes
Te colentes
Gaudio nostro fruamur.
AM AMICO
FRIDERICO

Cuncta cœlum largiatur:
Sint probata,
Sintq; grata,
Musa nostra quæ precatur:
VIVE! FLORE!
AC AMORE
CRESCE, PRINCEPS AVSPICATE!
VIVE LAETVS!
AC REPLETVS
OPTIMA FELICITATE!

PANEGYRICVS XII.

MYROBALANVS BRANDENBVRGICA,

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI ET DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO WILHELMO,
MARCHIONI BRANDENBVRGICO,
S. R. I. ARCHICAMERARIO ET PRINCIPI ELECTORI,
BORVSSIAE, JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, STETINI POMERANORVM, CASSVBIORVM, VANDALORVM,
NEC NON IN SILESIA CROSNAE,
CARNOVIAEQVE
DVCI:
BVRGGRABIO NORINBERGENSI,
PRINCIPI RVGIAE,
COMITI MARCAE ET RAVENSBERGI,
DOMINO RAVENSTEINI:

PRINCIPI INCVLPABILI, DOMINO AC NVTRITIO NOSTRO MVNIFICENTISSIMO, IPSO NATALI DIE VI. XVI. FEBRVARII, QVI HOC ANNO ERAT DOMINICA SEXAGESIMA, GENIALIS MVNERIS LOCO, HVMILIME OBLATA.

INVITATIO AVDITORVM.



T adhuc dum omnium obversari animo putamus, solennissimã eam pietatem, qua SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI FRIDERICI WILHELMI, MARCHIONIS BRANDENBVRGICI, S. R. I. ARCHICAMERARII ET PRINCIPIS ELECTORIS, BORVSSIAE, JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, STETINI POMERANORVM, CASSVBIORVM, VANDALORVM, CARNOVIAE ET CROSNAE IN SILESIA DVCIS: BVRGRABII NORIBERGENSIS, PRINCIPIS RVGIAE, COMITIS MARCAE ET RAVENSBERGI, DOMINI RAVENSTEINI, &c. DOMINI AC NVTRITII NOSTRI MVNIFICENTISSIMI, *Auspicatissimũ Natalẽ, inter gratulationes atq; jubila, superiori anno celebrãtes, publica hæc vota nũcupavimus: si* DEVS. O. M. OPTIMVM PRINCIPEM *juverit, ac ab* EO *populisq;* EJVS, *quodcunq; noxium sit, averruncarit, quicquid lætũ, prosperumq;* EIDEM *cõcesserit, fore, ut æterna, devotissimæ pietatis, gratitudine, tantum munus à nobis*

cele-

celebretur. Annuit pro immēſa ſua, in nos, bonitate, precibus hiſce noſtris DEVS: ac, dum non modo incolumem atq; ſalvum, ſed, nova inſuper CELSISSIMI THALAMI benedictione, felicem præſtitit MAGNVM PRINCIPEM, voti nos reos effecit. Tenemur hinc obſtricti eodem: quo niſi ſoluto, ſalva eſſe pietas noſtra nequaquam poteſt. Agamus ergo id, ac, quandoquidem ad DIEM OCTAVVM, qui DOMINICA SEXAGESIMA dicetur, tanti conceſſi muneris memoria recurrit, devotiſſima iterum pietate, ejusdem Autorem veneremur; ut gratiis pro ea miſeratione ſubmiſſe actis, prolixiorem ejus gratiam impetremus. Ita quidem decretum eſt Muſis Academicis, quæ, etiamſi probe teneant, longè ſublimius eſſe illud bonum, quam ut ullo mortali ore digne prædicari queat, tamen potius, quam deeſſe omninò ſubjectiſſimis ſervitiis, inter balbutiem hæſitantis linguæ atq; languorem, conari, quantum poſſunt, malunt. Neq; alia mente erunt, quotquot exactiores felicitatis humanæ arbitri, ſecum expendunt, quam ſumma ſalutis publicæ pars ſit, ſub prudenti Optimorum Principum Regimine, non minus domeſtica quiete, quam publica gaudere tranquillitate. Alibi Panœborum, in Reges, devotionem propoſuimus, quos cum vivos ſubjectisſima veneratione colerent, tum defunctos eo honore proſequebantur, ut capita, corporibus ſeparata, inaurarint, inq; ſacris collocarint. Scilicet & divinus Regum Principūq; honor eſt, quippe qui non modo è divina, & orbem univerſum gubernante, Majeſtate derivatur; ſed & clariſſimam ejus, in ternos, exhibet imaginem; & proinde, omni

auro solidiorem, populorum requirit cultum, cum, quæ summa sunt atq; divina, divinis quoq; modis venerari eadem conveniat. Non prolixius, quia aliàs id factum est, ea proponimus; id saltem, si nondum clarè satis omnibus occurrit, elicimus, ut, si mortuis Regibus is honor fuit habitus, quis vivis habendus sit, constet. Imo, dum capiti id honoris potissimum, tribuit Panæborum gens, annon caput rerum humanarum, Principem esse obliquè monet? Ast quæ cura capitis, (quippe quo salvo & incolumi, omnia bene constant; collabente, ruit omnis corporis moles) vulgo geratur, notum est omnibus. Ita ergò ultrò statuent omnes, cum SERENISSIMI CAPITIS salute, salus contineatur publica, illud modis curandum omnibus, ut huic quàm optimè sit, quò nunquam, qui hujus Spiritu reguntur, animantur vigore, populis malè esse queat. Sed, quid pluribus illud proponimus, quod sua sponte fatentur omnes? Communis ea omnium vox est, & natam, cum nato SERENISSIMO FRIDERICO WILHELMO, *patriæ, ac plurimorum, juxta hanc, populorum felicitatem; & valere hanc, florentemq; constare, dum incolumis atq; floridus ILLE perstet. Ita cum omnes ex æquo affecti sint subditi, quis dubitet, quin piissimo gaudio, sanctissimaq; memoriâ* VII. XVI. *FEBRUARII diem, qui auspex tantæ felicitatis fuit, recolant omnes? Solennissimum priscis fuisse, passim deprehenditur, peculiari, eoq; candido, signo, feliciores quotannis notasse dies, eosq; insuper felicissimum rerum gerendarum statuisse auspicium: Agit ita nostra pietas, dum puro subjectissimæ fidei candore, non modo, inter solennissimas gratulationes,*

quot

quotannis notat atq; observat, hunc tam salutarem nobis Natalem; sed ita præterea certo arbitratur, sic prosperè, quæcunq; suscipiantur, successura, prout pia lætitia ejus diei solennitatem celebraverit. Et bene! neque enim ea infelix pietas esse unquam potest, quæ, quod æterna è cœlis veritas confirmat, prompte agit, dum & DEVM religioso cultu adorat, & candida subjectionis fide, qui hujus vicarij sunt, Principes veneratur. Euge ita agite! adeste iterum MAECENATES, FAVTORES, AMICI, AC CIVES! ac quam tot argumentis, SERENISSIMO FRIDERICO WILHELMO, *PRINCIPVM OPTIMO, devotißimam subjectionem confirmastis semper, nunc etiam ostendite. Fiet illud, si, quod submiße ac amice petimus, futuro* VI./XVI. *Februarii, qui, hoc anno, proxima, post hanc, erit DOMINICA, finitis sacris, circa III. meridianam (nam & HORA HAEC IPSA, NATALIS MAGNO PRINCIPI exstitit) Honoratißima, atq; gratißima præsentia, Panegyrin Academicam, in Auditorio Majori illustrare, ac HONORI OPTIMI PRINCIPIS NATALITIO, VOTISQVE, PRODIVTVRNA TANTI CAPITIS INCOLVMITATE, FACIENDIS interesse, non fueritis dedignati. Ita sub felicißimo HVJVS regimine, omni felicitate cumulatos, diu servet Regum Rex, atq; Dominantium Dominator. P.P. 1648. Dominica SEPTVAGESIMA, quæ erat* XXX. JAN./IX. FEBR.

MAGNI-

MAGNIFICI, ILLVSTRES, GENEROSI DOMINI, SVPREMI IN BORVSSIA REGIMINIS CONSILIARII: MAGNIFICE DOMINE RECTOR: GENEROSI, NOBILISSIMI, AC MAXIME STRENVI, PLVRIMVM REVERENDI, SPECTABILES, EXCELLENTISSIMI, CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, CLARISSIMI, AMPLISSIMI, PRVDENTISSIMI, SPECTATISSIMI, PRAESTANTISSIMI, HVMANISSIMI DOMINI, HOSPITES OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI:



Ovem Custodem à Domitiano, postquam ejus præsidium, in bello Vitelliano, adversus hostium irrumpentium, in ædem sacram ardentem, impetum erat expertus, tam exactâ devotione cultum, ut imperium adeptus, templum eidem ingens, seq; in sinu DEI sacraverit, Historia Romana testis est. Quantis motibus misera, proh dolor! quassetur Germania; quàm funesto internorum, externorumq; dissidiorum, atq; bellorum flagret incendio, deplorare, quàm explicare faciliùs licet: ita sacra passim atq; profana omnia, excidio ac vastitate obruuntur undiquaque, ut excita sedibus avitis terra ipsa, loco vix suo stare videatur. Et, inter hæc miserrima florentissimi Imperii fata, en literum, summi Principum Regumq; Custodis, D. O. M. insolita benignitate, & incolumis, & lætus SERENISSIMVS AC POTENTISSIMVS PRINCEPS AC DOMINVS, DOMI-

DOMINVS FRIDERICVS WILHELMVS, MARCHIO BRANDENBVRGENSIS S. R. I. ARCHICAMERARIVS ET PRINCEPS ELECTOR, BORVSSIAE, JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, STETINI POMERANORVM, CASSVBIORVM, VANDALORVM, NEC NON IN SILESIA CROSNAE, CARNOVIAEQVE DVX, BVRGGRABIVS NORINBERGENSIS, PRINCEPS RVGIAE, COMES MARCAE ET RAVENSBERGI, DOMINVS RAVENSTEINI, DOMINVS AC NVTRITIVS NOSTER CLEMENTISSIMVS, MVNIFICENTISSIMVS Natalem Auſpicatiſſimum celebrat! Agnoſcitis A. H. grande munus, quod hoc die, & contigit olim nobis, & adhuc divinitus conceditur, absq; quo ſi eſſemus, quæ præſens rerum noſtrarum facies eſſet? Ea verò ut non niſi lætiſſima ſit, dum, inter jubila atque plauſus, ejus rei memoriam repetere licet, ex iſto tanquam puriſſimo lætitiæ fonte derivatur. Magnum equidem hujus Dominicæ gaudium olim fuiſſe, cum, annis abhinc ducentis ſeptuaginta octo, famoſisſimo prælio, adverſus gentilem exercitum, in tractu Rudavienſi, confecto, magna ſtrage hoſtes caderent, victoriâ noſtri potirentur, quis dubitet? ſed quod tamen, prout militarium omnium indolem Orator deſcribit, variis modis pollutum fuit atq; impurum: Quod verò nobis eadem Dies, ejusq;, quam agimus jam, Hora, annis abhinc XXVIII. dedit, gaudium non modo pura voluptate reſplenduit exortum; ſed & eadem puritate, inter lætiſſimos felicitatis publi-

cæ ſoles, adhuc nobis affulget. Nato namq; PRINCIPVM OPTIMO, FRIDERICO WILHELMO, ſalus tot provinciarum, quot ſubjectiſſimas ipſe moderatur, naſcebatur; conſervato verò eodem, feliciter ipſa quoq; hodie conſervatur. Et adhuc dum dubitatis, qua pietate ſummus MAGNI PRINCIPIS Præſes atque Protector ſit colendus? Non delectatur ædium templorumq; conſecratione immenſa ejus potentia; ſed tamen, quæ intra pectorum conſecratas ædiculas fiunt, ſacra nunquam aſpernatur. Hinc ergo, quodcunq; hymnorum atque ſacri cultus latet, depromatur, conſonet animo lingva, ac religioſisſimo Pſalmo bonitas ejus prædicetur. Sed quia cœleſti quoq; MAGNI PRINCIPIS virtute, cui omnis ejus cura incumbit, felicitas noſtra ſuſtinetur, hanc etiam quo cultu veneremur, oſtendamus. Agent id hoc tempore & ſubjectionis ſuæ, & Natalitiæ ſolennitatis memores Muſæ, cui operi, quod præſentiam Honoratiſſimam commodare ſitis dignati, A. H. ſubmisſe ac amicè agunt gratias, voſque ſimul, ut, dum brevibus Magnum OPTIMI PRINCIPIS Genium MYROBALANI (eam enim hac vice, Natalitii Muneris loco offerendam, ſelegerunt) conſecratione venerantur, haud gravatim adſint, quantũ poſſũt, rogant. Neque verò id novum cuiquam, niſi qui antiquiſſimorum rituum expers omninò fuerit, aut igna

gnarus, videatur atque insolens: cum inter istos nihil frequentius occurrat consvetiusve, quàm floreus hic Genii cultus. Cum namque sangvine Genio litare, ne animantium ulli eo, quo ipsi auspicati essent, die eriperent vitam, nefas arbitrarentur, teste vel unicâ illa Jovis Genitoris arâ, quam, quod nullum in eâ animal cæderetur unquam, tanquam inviolatam eo nomine, adoratam à Pythagora, Saturnalium Scriptor prodit: tum præter alios sacrorum ritus, quibus Genio facere solebant, flores inprimis adhibitos, omnis antiquissimorum seculorum Historia confirmat. Hinc factum etiam, quod non hominum modò Genio Platanum, Aristam, Vvam, Papaver consecrarint; sed universi populi Romani Genium Lauru, Olea, aliisq; generosioribus arboribus (neque enim, dum flores quis dici audiverit, reliquam, intra amplissimum vegetabilium ordinem, excludat amœnitatem) tam exactè notaverint, ut etiam alio nomine Anthusam, (quod si interpreteris, Florentiam sonabit) quæ Roma vulgò dicebatur, dictam invenias: quasi æquissimum esset, ut, quæ & infinitorum triumphorum gloriâ, & æterno virtutis studio florentissima urbs esset, nomine ipso florem suum ostenderet. Ejus verò rei causas, ut ad Genium redeat oratio, si inquiras, varias eas quidem ac diversas, in diversis, reperias, quas tamen, cum alii operæ destinatum sit præsens tempus, ne aliud agere videar, prolixius non recenseo, maximè cum haud

obſcura earundem ratio, ex ipſa, vix creata, ac infante quaſi adhuc humanitate; quam ſtatim voluptatis, inter florea incunabula, excepit hortus, ut quàm maximè cognatum hominum Genio, florum genus diſceremus, elucescat. Illud tamen, quod propius inſtituto convenire noſtro videtur, omitti neutiquam licet, tam prudenter ſingulorum Genio flores ſelectos fuiſſe, ut non niſi convenientiſſimi eidem contingerent. Et quid Romæ orbis univerſi Dominæ, feliciſſimæque ſemper Triumphatrici ac Auguſtæ, magis conveniebat, quam, quæ cœli, temporumque victis injuriis, æterno flore perennant, Laurus atque Olea? Vel an quicquam occurrit aliud, quod felicius, intra amœniſſimum vigorem, Hominis aſſerit Genium, quam, juxta debitum cibi potusque alimentum, grata ſomni etiam refectio? & annon & hunc, & iſtum, & illum, dum Papaver, Vvam, atque Ariſtam hominis Genio dicarunt, notare ſunt viſi? Atque hic jam, ut, quod velim, conſtet, cogitate; ſi quid aptius cœleſti SERENISSIMI FRIDERICI Genio ea, quam diximus, MYROBALANO tribui potuerit: cujus ſummam in re medicâ virtutem, & ſaluberrimam vim, ſi exactius contemplari mecum lubuerit; tam expreſſam OPTIMI PRINCIPIS imaginem, contineri eâdem deprehendetis, ut nihil iſta, conſervandæ corporis incolumitati, ſalubre habeat, quod non immane quantum ſalutarius, ſalutis publicæ aſſerendæ incolumitati

tati hic præſtet. Quod tamen antequam fiat, neq; moleſtum fuerit, ut primam hujus rei originem teneatis, altius aliquantulum ea omnia repetere, ac, quo primum autore, divinus MAGNI PRINCIPIS Genius, tam ſalutari germine notatus fuerit, cognoſcere. Equidem neminem adeſſe è vobis A. H. confido, qui non vel fando acceperit, vel legendo cognoverit, inclytam eam atque ſaluberrimam ſocietatem, cui, à primo fundationis ſcopo conſilioque, *FRVGIFERAE* nomen inditum eſt: quæ cum anno decimo ſeptimo, currentis hujus ſeculi, à primo quidem ejus fundatore, GENEROSO AC NOBILISSIMO QVODAM, CASPARE à TEVTLEBEN inſtituta, mox CELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO, DOMINO LVDOVICO, PRINCIPE ANHALTINO, COMITE ASCANIO, DOMINO SERVESTAE ET BERNBVRGI &c. continuatore, confirmata eſſet; ut non minus antiquæ fidei (quæ heu quantum! interire paſſim eſt viſa) quam lingvæ Germanicæ, præter reliqua optimarum artium virtutumque exercitia, colendæ atque ſtabiliendæ operaretur: à tenui, ut ſolent maximæ ſæpè res, exilia principia agnoſcere, orta initio, tam felici incremento eſt progreſſa, ut continua & Celſiſſimorum, & Nobiliſſimorum, & Doctisſimorum capitum acceſſione, quintam ferè Centuriam nunc expleat. Numerat ea ipſa, inter alia ſummæ virtutis exempla, æternæ memoriæ Principem,

pem, DIVVM GEORGIVM WILHELMVM: ac, cum ita, haud postrema, laudatissimæ societatis velit constitutio, ut singula ejus membra, non modò nomine, sed symbolo insuper è Vegetabilibus, peculiari discernantur, ERIGENTIS sive STABILIENTIS (inclytam Germaniam, ac undiquaq; in eadem, collapsam concordiam intellige) titulo, addita NVCIS PINEAE, cujus decantatissima ea in re virtus est, imagine, eundem appellat. Tanti Parentis exemplo monitus, non minoris virtutis admirationisque Princeps, cujus felicissimo regimine (ô diuturno velit DEVS!) adhuc incolumes stamus, FRIDERICVS WILHELMVS, haud difficulter Sceptrum suum, Musarum huic ordini sociari passus, MYROBALANI (fructum hoc loco, cum arbor ipsa eadem notetur voce, accipiatis velim) signum, INCVLPABILIS titulum obtinuit: confirmante id publico, qui hoc nomine typis expressus est, teste, quem, nisi molestum est, breviter ipsi percipite:

Jch ward in allem Thun Vntadelich erfunden/
Dazu mich auch der Nahm mit Tugēdkrafft verbundē:
Es ist mir zugetheilt die Frucht Myrabolan;
Wol dem/ der auch für Gott ohn Tadel leben kan!

O! quid vel Musis gloriosius, tanto Principis favore, quo se ipsarum cultorem publico teste fatetur; vel tanto Principi sublimius, tam divini Tituli, quo, sanctissima virtute INCVLPABILEM, Eum Musæ prædicant, concessione contingere, unquam potuisset?

Ita

Ita, dum Sereniſſimæ Celſitudinis radiis, harum ſplendorem juvat; illuſtriſſimo æternæ virtutis honore, ab iisdem venerandus proponitur omnibus, ac prædicandus. Jactet jam *AVGVSTISSIMA, INVICTISSIMA, MAXIMA, POTENTISSIMA, FLORENTISSIMA* Sua Nomina, priſca Imperatorum Majeſtas: aſt videat, quo in honore futura iſta ſint omnia, niſi, quod ſolidiſſimum eorum omnium eſt fundamentum, per virtutis ſanctitatem culpa vacent; ac, quæ MAGNI PRINCIPIS laus eſt, INCVLPABILES dicantur. Sed MYROBALANVM, credo, noſtram jam diu cogitatis, ac, ut clarius ejus innoteſcat virtꝰ, exſpectatis: Ignoſcite, ſi rerũ non neceſſariarũ minus quã jucundiſſimarũ cõmemoratione, diutius juſto animus fuit ſuſpenſus. MYROBALANVM ergo, quam Nucem Vngventariam, Avellanam etiam Indicam alii, dicunt, ut ſpecie vulgatiſſimum, ita virtute celebratiſſimum, officinis Pharmacopœorum, medicamentum, in eo remediorum ordine collocant Medicorum Scholæ, quæ vitioſis, noxiisque humoribus corpus liberant, atque debita eorum eductione, ne moles morbiferi apparatus accreſcens, corpori damnum aut interitum ipſum acceſſat, procurant. Hîc verò illud, quia vel maximè nobiliſſimi germinis virtutem commendat, occurrit: cum namq;, ejus generis medicamẽta reliqua ferè omnia, ea natura ſint atq; indole, ut vitio quodam laborent, quod ne noceat, alio quodam medio corrigen-

rigendum: ſolius MYROBALANI tam inculpabilis eſt indoles, ut neque correctione ullâ aliâ indigeat; ſed &, dum evacuando fibras viſcerum, prout ijs illud notiſſimum, qui divinam hanc medendi artem exercent, laxat, nativâ ſimul vi adſtringit easdem, ſive, ut illi loquuntur, tonum earum firmat. Adeſte, quicunque Optimorum Principum laudem obtinere cupitis, ac, quid agendum vobis ſit, cognoſcite. Corporis inſtar eſſe Reſpublicas omnes probè ſcitis, quibus non minus, quam iſti, ſui adjacent morbi, ſuus etiam tandem imminet interitus. Scilicet, ſi quid peccantium humorum corpus infeſtet, laborat; nec ſecus, ſi vitiorum mole opprimatur, Reipubl. vacillare incipit incolumis ſtatus. Atque hic Principum obſtet ſanctitas, cum qua nunquam ſcelerum ſtare poteſt licentia. Agunt id ergo, ut ſceleribus vitiisque libera, atque purgata Reſpubl. illæſo ſuo vigore perſtet. Perſarum ſolenniſſimum præ alijs Feſtum refert Hiſtoria, quo, pietatis oſtendendæ cauſa, quicquid venenatorũ inſectorum Perſis producebat, conficiebatur. Tanto illi ſtudio, ne corpori virulentia noceret, curabant omnes: quàm ſolertius peſtilentiſſima animorum venena, flagitia ac ſcelera, è civium cœtu abolenda ſunt ab ijs, quos pietatis diviniq; honoris aſſertores, conſtituit ſanctiſſima cœli majeſtas? Quod ſi interdum triſtioribus mediis obtinendum eſt, enſem eo fine ſibi conceſſum divinitus ſtatuant, ut, quod noxium

xium

xium aliis videtur, eodem præcidatur. Nam & aſpidis ictum nullo modo, niſi contactæ partis amputatione, curari vulgò ajunt; nec aliter vitioſa quædam Rerumpubl. membra, quàm morte, ſanari, experientia teſtatur. Atque ſi MYROBALANI virtus, dum depellit è corpore, quod damnum minabatur, incolumitatem aſſerit: non minus hac veri Principes cura, ſalutem publicam feliciter confirmant, qua, quæ læſura hanc videbantur, procul abiguntatque proſcribunt. Eâ mente, credo, fuit non ſanctior minus vates, quam felicior populi Rector, cum normam hanc tuendæ ſalutis publicæ, optimis Rectoribus ſolenni hymno præſcripturus, publica voce profitetur;

Impios longè (mora nulla) terræ
Finibus pellam: procul omne monſtrum
Civitas ſancta ut Domini releget
Flagitiorum.

Et ad hanc amuſſim formatus MAGNI FRIDERICI WILHELMI Genius, quid ſolertiùs curat, quàm ut vel omnium, quibus præeſſe eum voluit cœli terræque Dominus, ſanctiſſimam pietatem atque juſtitiæ ſtudium, eodem ſemper benevolentiæ affectu proſequi, atque fovere; vel, quos in tranſverſum maleſanus abripuerit error, ſi remedia alia pervicaciter aſpernentur, abolere, antequam contagio latius ſerpens plures corrumpat, quàm citiſſimè liceat? Hæc cœlo dicata pietas, hæc immotus juſti-

tiæ tenor, hæc indefessum sanctitatis studium ipsi continuò dictat, quod nunquam, inter flagitiorum pestes, salva possit esse regnorum salus, cujus unica & felicissima mater justitia atque pietas existat; hinc nisi ejiciantur istæ, parum de hac supersit spei. Et hîc quidem prolixius omnia ista forent deducenda, nisi, quæ superiori anno super hac re dicta sunt, omnium adhuc animis atque auribus obversari scirem, & mihi id solum, hac quidem vice, propositum esset, ut ostenderem, quàm convenientissimè, divino MAGNI PRINCIPIS colendo Genio, MYROBALANVS adhibeatur. Cujus iteratâ mentione, illud simul occurrit, quanta moderatione, scelerum vitiorumque vindicta, Optimo Principi administranda sit, ne, dum debitâ animadversione justi titutum obtinet, nimio juris rigore crudelitatis notam incurrat; sed ut, ad nobilissimi germinis rationem, dum moderatâ severitate, noxiis Rempubl. membris evacuat, amore simul ac clementia, tonum bonorum atque tenorem firmet. Ita semper agere visus est Optimus quisque Princeps, qui Patrem non minus se populi, quàm Rectorem statuit. Hinc è venustissimi Poëtæ mente,

Est placidus, facilisq; parens, veniæq; paratus,
Et qui fulmineo sæpe sine igne tonat.
Qui cum triste aliquid statuit, fit tristis & ipse:
Cuiq; fere, pœnam sumere, pœna sua est.

Neque

Neque id immerito: cum namque imperium omne, alienæ salutis curam, statuunt sapientes, quæ major imperantium gloria, quam omnium, quantum fieri possit, asserere salutem; ultima verò supplicia, non nisi sceleribus ultimis ponere, ut nemo pereat, nisi quem perire, pereuntis etiam intersit? Ita sanè Deum ipsum agere experimur, qui non justus magis, quàm bonus, omnes, quibus affligit, pœnas, in delinquentium convertit commodum: & quid ij, qui hujus inter nos vicem gerunt, laudatius æmulari queant? Vel annon vita hominis est atque spiritus, cujus hic causa agitur, & quàm caute hic providendum, ne præcipiti cæde pereat punitus, punientis verò, post irrevocabile fatum, animus angatur? Cujus consilii memoriam, Regibus suis inculcaturi Ægyptii, sceptra ipsorū non Hippopotamo, justitiæ tantum, sed Ciconia insuper, pietatis imagine ornabant, ut utriusq; moderamine, salutarem magnæ potentiæ usum evadere discerent. Quam longè ab ea prudentia monstra illa, & dehonestamenta principum, absunt, qui vel, è Tyranni Romani ingenio, demetenda papaverum capita statuunt; vel, ex vaferrimi versutiarum Magistri Transalpini monito, parvi sævitiæ nomen ducunt. Hinc revera, sapientissimo Stoicorum dicente, *ferina rabie infames, sanguine gaudent atque vulneribus, & abjecto homine, in sylvestre tandem animal omninò transeunt.* O quàm salutarius cogitarent isti, uti animalia, sic ingenia

quædam mulcendo felicius, quàm cædendo ad obsequium flecti: omnium verò manibus sæpè opprimi, qui cervicibus omnium gravis incumbit! Sed quidni, missis carcinomatibus istis sui generis, ad divinum OPTIMI FRIDERICI WILHELMI redimus Genium? qui sanè ita suorum Amor est atque voluptas, ut, dum ad pœnas flagitiorum, invitus quasi, rapitur, amoris salutarem quandam vim, MYROBALANO omni clarius, demonstret. Ita non modò cunctabundus, prudentissimo examine, in causarum merita inquirit; sed & salutari moderatione pœnas, si tolli eas delicti granditas vetet, mitigare conatur, ut cuivis, quam lubentissimè, si fieri posset, & hunc è civibus servaret; nunc autem, quam id, salvo legis justitiæq; divinæ tenore, non liceat, testetur. Sic dum pervicaces, quique servari nolunt, severitate è medio tollit, reliquos, quibus melior mens est, clarissimo clementiæ indice roborat, sibiq; astringit. Et hoc non est, cum MYROBALANO, INCVLPABILIS nomen obtinere simul, atq; tueri? dum culpas aliorum atq; delicta puniens, à nullo culpari potest; dum justissimam justissimæ iræ vindictam exequens, supremi vindicis iram non provocat; dum sangvinem deniq; malignorum fundens, aut innoxiorum sangvinem fusum ulciscitur, aut, ut fundatur, cavet. Julii Cæsaris, Titi, Nervæ, aliorumq; & antiquioris, & recentioris ætatis lenitatem, hoc loco, si per tempus liceret, proponerem, & quam solidissi-

dissima felicitatis publicæ exstiterint fundamenta, ostenderem: sed confirmat hæc omnia (quæ DEI bonitas, nostra felicitas est) OPTIMI PRINCIPIS ea virtus, de quo sane jure dubites, amandone regens, an regendo amans & POTENTISSIMAE DOMVS CELSITVDINEM fortius confirmet, & sanctiori fide subditorum animos obstringat? Illud certum est, tam arctum atq; sanctum utriusq; vinculum esse, ut Pater regendo, diligendo princeps revera sit atq; Rector. Quæ cum ita sint, quid mirum, si tam divina virtute excitatus, præeuntibus Musis, omnis Academiæ cœtus ita lætum intonet?

QVAE FRIDERICVM LVX DEDIT VVILHELMVM,
PATREM DEDIT DVCEMQVE,
QVI QVOS AMET REGENS, AMANS GVBERNET:
HINC NVNC AMOR SALVBRI
JVNCTVS POTENTIAE, REGIT BENIGNE
SVOS, EOSQVE SIC TVETVR OMNES,
VT VOCE PLENIORI
PRECETVR HOC DIE PVER SENEXQVE:
FATO FAVENTIORI
DIV SVIS INTERSIT AVSPICATVS
PATER REGENDO ET DILIGENDO PRINCEPS!

Atque ita commodum ad se, nos MYROBALANVS nostra vocat, cujus spectatissimam aliam, quâ in vulnerum consolidatione, ac prohibenda putredine insignis est, virtutem Medicinæ consulti prædicant. Facilè ipsi, quid hic dicendum, prævidetis, quibus non

ignotum, quàm cruentis sæpè, atq; diris vulneribus, Rerumpubl. corpora hient: dum, præter otiantis interdum populi lasciviam, jam internis discordiæ dissidiis, jam sævienti exterorũ hostiũ furore, tam fœdis modis lancinantur atque lacerantur, ut vix membro cohæreat membrũ. Quã facilis hîc putredini atq; corruptioni locus, si prout, absque medici cura, vel suppuret vulnus, vel, per luxuriem, carnem feram excrescentem producat; ita Reipubl. hæc mala sibi relicta, non carnem, sed mores efferatos, atque luxuriantes producant? Ast providet ea omnia solers OPTIMORVM PRINCIPVM cura, quâ pro suorum salute vigilantes, illud indefesſi agunt, ut illæsus undiquaq; eorundem constet vigor, nec quicquam, quo violari is queat, illis contingat; aut, si communem hominum rebus vicissitudinem, ipsi quoque experti, ægre habere incipiant, prius, quam malum vires acquirat eundo, sanentur atque consolidentur. In primis tamen, si, salutari quadam vi Balsamica MYROBALANVS id præstat, ut amico quasi glutine, hiantia vulnerum labia felicissimè coëant; non aliter OPTIMORVM PRINCIPVM virtus agit, dum clementiæ amorisque affectu, (quem frequentissimè Oleo balsamove notari, quis ignorat?) id maxime curant, ne unquam solvatur, luxeturve Reipubl. concordia; aut, si præter spem id acciderit, ut quam citissime in unum coëant animi, ne cicatricis turpitudo, ejus venustatem deformet. Hic quis Oratio-

rationis ingrediendus esset campus, si vel clementissimum eum FRIDERICI WILHELMI affectum, quanquam,& de hoc dicere quondam me, meministis, quo privatorum fortunas, temporum fatorumque difficultate, hiantes undique ac laceras, insigni munificentia consolidat atq; firmat; vel eam, verè cœlestem, prædicarem virtutem, quâ publicè populos suos juvans, etiam inter mille bellicorum vulnerum pericula, ita eorum curat salutem, ne omnino putredine obruatur atque corruptione, sed, quantum, per injuriam insperatorum casuum, licet, malum, antequam omnia perrepat, sistatur? Fuit ea, atque perrennis erit, POTENTISSIMAE DOMVS BRANDENBVRGICAE privata laus, publicè prodesse, ac certis dubias res consiliis expedire. Experta id, ne longius abeamus, felicissimè BORVSSIA, cum DIVI GEORGII WILHELMI prudentia, tàm feliciter, inflicta à Martis furore vulnera, coire videret, ut vix cicatrix eorum tenuissima appareret. Experiuntur id & hodie, juxta hanc, plurimæ aliæ provinciæ, quæ, quod, inter externos intestinosque motus, constent, magnæ id, Magni FRIDERICI WILHELMI, juxta DEVM, virtuti ex asse adscribunt, qua una, quicquid adversari saluti suæ queat, arceri vident. Cum multa, quæ de MYROBALANO dici debeant, prætereunda sint, illud solum modo, pace vestra, A. H. tangere liceat, quod felicissimè oculorum affectibus medeatur. Et annon Serenissimus

mus virtutis ſplendor eſt, quo dum illuſtres populorum Rectores fulgent, ſuorum ſimul illuſtrant mentes, ut non niſi, intra clariſſimam virtutis lucem, ubique verſentur? Scimus aliàs omnem Principum vitam, in editiſſima ſpecula eſſe conſtitutam, quæ, quocunque modo occurrat inferiorum animis, accuratiſſimè notatur, ſed & imitando exprimitur. Hinc da mihi ſanctitatis, juſtitiæ, prudentiæ, ac reliquarum Principe dignarum virtutum cultorem: mox, ejus ad exemplum, omnium civium componi mores deprehendes, quod, tam ſancto Principe, impune nil peccari ſciant. Aſt ſit crudelis, injuſtus, religionis contemptor: mox, impetu quaſi facto, inter omnes ea graſſari vitia ſenties, quòd iis modis præeuntem habeant, cui obſequi debent, Rectorem. Quæ dum cogitat haud ignobilis ævi noſtri ſcriptor, *Jure*, inquit, *cavere debet, qualem famam habeat, qui, qualemcunque meruerit, magnam eſt habitus.* Ita ergo, Phœbeæ inſtar facis, princeps eſt, quæ ubi puro ac inoffenſo fulget radio, felix viarum dux eſt: & ubi pura intaminataque virtutis lux, in Principe exorta, ſubditorum mentibus allucet, recto tramite, in virtutum curſu, omnes ſuorum mentes deducit. Nunc ſi, quæ mens CELSISSIMI FRIDERICI WILHELMI ſit, quæratis, vel, me tacente, cognoſcetis, ſi, quod vitæ Symbolum, devotiſſima ſua ſibi ſtatuit pietas, attendatis:

DO-

DOMINE FAC ME DISCERE VIAM, PER QVAM AMBVLEM.

Auditis, quam ſuæ menti apprecetur lucem? Inacceſſam eam, cujusq; ſolius radio, mundus omnis lucet. Ita, qui ſupremus tot populorum Dux eſt, ſuperiorem omnibus ſummis, vitæ viæq; ducem vocat. Ita qui tot mentibus Sereniſſima virtute prælucet, verum lucis fontem, quiq; ſolus caliginis expers eſt, in ſubſidium vocat. Et quæ ulla usquam coecitas occurrat, quam non pellens hujus lucis ſplendor, nova vi oculorum aciem confirmet? Sed tangere me iſta velle dixi, hinc dicti memor & hæc omitto: nec ea etiam, quæ de BALANINO oleo, quod cum moderatiſſimæ fragrantiæ ipſum videatur, aliis tamen admixtum, multis modis eorundem augeat bonitatem, fortè, ut moderatam virtutem, ſi aliorum conſiliis jungatur, efficaciſſimam doceant, dicuntur, hiſce addo; ſed quam ultimùm exhibere vobis, A.H. conſtitui, generoſam tam ſaluberrimi germinis matrem, Arborem MYROBALANVM adhuc tantum expono. Hic tamen moroſè non diſquiro, quod curiosè in Medicorum Scholis agitatur, cum quintuplici maximè ſpecie, MYROBALANVS appareat, ſitne unius, an diverſi generis arbor, quæ iſtam producat: cum namq;, Clariſſimo Fallopio teſte, gravis adhuc, inter Medicos, ſuper hac re ſit concertatio; conveniant illi, dum nos reliqua, quæ, non abſq; ſummo ejus honore, de generoſiſſima arbore prædi-

cantur, lustramus. Ita quidem aliàs evenire videmus, ut non, nisi generoso ortu, generosi gaudeant fructus; neq; alia nobilissimi, quod audivistis hucusque, medicamenti sors est: quod eâ arbore nasci tradunt naturæ periti, quæ neq; Lauro, neq; Myrto, neque generosissimis arboribus aliis, amœnitate cedat. Quis verò ejus stirpis, quæ MAGNVM FRIDERICVM WILHELMVM orbi nostro dedit, Celsitudinem atq; potentiam dignè exponat? Actum agerem, si quam ultrò, infinitæ summorum Mundi capitum prosapiæ, DOMVI BRANDENBVRGICAE, & rerum gestarum magnitudine, & autoritatis gloriæq; fama cederent, hic confirmarem: Sufficiat ea propagine ortam, cœlestem Optimi Principis virtutem, qua excelsiorem aliam fere nullam, seculum nostrum novit. Si namque MYROBALANVS arbor procera, atq; spectatissima magnitudine eminens, celebratur: DOMVS BRANDENBVRGICAE Celsissima ea Autoritas semper fuit, atq; Potentia, ut & invicto ejus robore, adversus potentissimorum hostium impetum, non Imperii modo Romani, sed aliorum quoq; Regnorum, salus atq; felicitas publica fuerit asserta: & gravissima sæpè summorum capitum dissidia ejusdem consilio, vel unico JOHANNE, Quarto hujus Domus Electore, teste, composita atq; sopita. Si ista innoxia, dolorisq; inferendi ignara arbor est: hæc ea innocentia, suam semper magnitudinem usurpavit, ut nunquam vel

vel aliena invadens, vel gravis suis, dolendi causam præbuerit; sed oblata potius regna, ne, quæ tristes alii linquerent, læta possideret, respuerit atq; detrectârit. Sed verò illæsa insuper, ac malis nullis obnoxia, quin cariem difficilimè sentire, MYROBALANUS Plinio, aliisq; dicitur: annon ea POTENTISSIMAE DOMVS felicitas, quæ, divina suffulta gratia, tot jam seculis, inter innnumeros variarum turbarum motus, illæso vigore floruit, ut omnibus, quos regendos tenet, amœnissimâ suâ umbra, & auxilio, & oblectationi fuerit. Et quid præsens illa, qua, inter sævientes undiq; furibundi Martis tempestates, viget, amœnitas videtur? Sed addet Deus tanto muneri perennitatem, ac, ut æternùm illæsa ejus floreat potentia, benignus concedet. Nam & illud de MYROBALANO arbore notatur, quod maximè fœcunda, copiosissimè succrescat: ALBERTVM, & JOHANNEM GEORGIVM, Magnos DOMVS BRANDENBVRGICAE Electores, cogitate, ut, quam felicissima fœcunditate, ad paucissimos redactam POTENTISSIMAM DOMVM iustaurarint quasi, cognoscatis. Sed annon eadem felicitate, hoc tempore, dignatur nos DEVS, cum Celsissimum MAGNI FRIDERICI WILHELMI thalamum, nova benedictionis suæ gratiâ illustrat? O sit, hoc etiam nomine, MYROBALANO omni felicior OPTIMI PRINCIPIS virtus, ut, quæ tamdiu uno hoc capite stetit, POTENTIS-

SIMAE DOMVS Celſitudo, innumera ILLV-STRISSIMORVM Filiorum, Nepotumq; ſucceſſione, roboretur atq; firmetur. Tu verò MAGNE INFANS, ac deſideratiſſime Pupule, feliciter naſcere, ac, quam ſpem oſtendere anxiis tuorum animis cœpiſti, pleno uſu auſpicato confirma! Ita te DEVS & foveat creſcentem, & promoveat naſcentem, ut fortunas omnium noſtras, atq; ſalutem, Potentiſſimo DOMVS BRANDENBVRGICAE regimine, diutiſſimè foveri, atque promoveri optamus. Et ita peroratum eſſet, niſi adhuc MYROBALANVS animo recurrens, quæ Fallopius Hiſtoriæ ipſius propoſitæ attexit, ſuggereret: Agamus, inquit ille, infinitas gratias DEO, quod MYROBALANOS habeamus. Agamus ita & nos, A. H. quod laudatiſſimo POTENTISSIMAE DOMVS BRANDENBVRGICAE regimine gubernemur, &, quandoquidem MYROBALANO omni ſalubriorem, MAGNI FRIDERICI WILHELMI virtutem, ſatis perſpeximus, hæc una jam omnium vox eſto:

TIBI. DEVS. O. M. SVMME. PRINCIPVM. ASSERTOR. ET. IMPERIORVM. CONFIRMATOR. QVI. NON. NISI. PRO. INSIGNI. BONITATE. TVA. OPTIMOS. TERRIS. PRINCIPES. CONCEDIS. QVIQVE. TAM. SANCTA. FRIDERICI. WILHELMI. VIRTVTE. NOS. QVOQVE. REGI. VOLVISTI. PRO. EO. BONITATIS. TVAE.

TVAE. MVNERE. QVANTAS. VNDI QVAQVE. DEFICIENS. MORTALITA TIS. IMBECILLITAS. VALET. TAN TAS. AGIMVS. GRATIAS. AC. MAJO RES. ETIAM. TVA. ADIVTI. GRATIA. INDIES. AGEMVS. TIBI. VNI. OPTIMO RVM. PRINCIPVM. TVTELARI. SVP PLICAMVS. INSVPER. VT. MVNVS. AD DENS. MVNERI. AETERNVM. CON FIRMES. DOMVS. BRANDENBVRGICAE. SCEPTRVM. PERSTET. ILLVD. IMMO TVM. ADVERSVS. OMNES. TEMPO RVM. FORTVNAEQVE. INJVRIAS. ET. ITA. PERSTET. VT. AD. NOVISSIMVM. MVNDI. TERMINVM. EJVS. GVBER NATIONE. FELICITER. QVOS. TVVM. ARBITRIVM. EIDEM. SVBIECIT. VIVA MVS. ATQVE. AGAMVS.

PANEGYRICVS XIII.

QVO
NOVVS
SERENISSIMI DOMVS BRANDENBVRGICAE
SOL,
XII. CALENDAS JVNII,
CVM
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI ET DOMINO,

DOMINO
FRIDERICO WILHELMO,
MARCHIONI BRANDENBVRGICO,
S. R. I. ARCHICAMERARIO ET PRINCIPI ELECTORI,
BORVSSIAE, JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, STETINI POMERANORVM, CASSVBIORVM, VANDALORVM,
NEC NON IN SILESIA CROSNAE,
CARNOVIAEQVE
DVCI:
BVRGGRABIO NORINBERGENSI,
PRINCIPI RVGIAE,
COMITI MARCAE ET RAVENSBERGI,
DOMINO RAVENSTEINI:
DOMINO ET NVTRITIO NOSTRO MVNIFICENTISSIMO,
E
SERENISSIMA AC CELSISSIMA PRINCIPE AC DOMINA, DOMINA
LVDOVICA,
PRINCIPE AVRIACA, COMITE NASSAVIA,
FILIVS PRIMOGENITVS,
SERENISSIMVS AC CELSISSIMVS PRINCEPS AC DOMINVS, DOMINVS
WILHELMVS HEINRICVS
NASCERETVR,
ORTVS
HVMILIME SALVTATVR.

Sum

INVITATIO AVDITORVM.

SVmmam semper, inter cultiores gentes, VOTORVM curam fuisse, cùm omnis, tùm Romana imprimis, Historia clarissime testatur. Inter varia namq; Romanæ superstitionis capita, vix quicquam religiosius, votorum nuncupatione, observatum invenimus. Quæ ubi vel pro Principum salute, vel Reipubl. ipsius incolumitate, erant suscepta, votivæ inscripta tabulæ, in Deorum femoribus, genibusve obsignabantur: & ita votorum reis; atq;, si rata ea fecisset cœli arbitrium, damnatis, causa nulla erat, quin, solennissimâ consecratione, merentibus Diis redderent eadem, atq; exsolverent. Quorsum hæc proponantur, facile quivis coniiciet, qui superioris temporis haud omninò immemor, eum timorem altiùs secum repetierit, quo, cum insolitus atque inauditus mortis furor, ita in POTENTISSIMAM DOMVM BRANDENBVRGICAM sæviret, ut, intra exigui temporis decursum, TRIBVS ex EADEM, AETERNAE VIRTVTIS MEMORIAEQVE, HEROIBVS subtractis, omnis in SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO, DOMINO FRIDERICO VVILHELMO, MARCHIONE BRANDENBVRGICO, S. R. I. ARCHICAMERARIO ET PRINCIPE ELECTORE, BORVSSIAE, JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, STETINI POMERANORVM, CASSVBIORVM, VANDALORVM, NEC NON IN SILESIA CROSNAE ET CARNOVIAE DVCE,

CE, BURGGRABIO NORIBERGENSI, PRINCIPE RUGIAE, COMITE MARCAE ET RAVENSBERGI, RAVENSTEINI DOMINO, DOMINO AC NUTRITIO NOSTRO CLEMENTISSIMO, MUNIFICENTISSIMO, (quem diu rebus nostris commodare dignetur cœlestis bonitas!) spes unicè constaret, afflicta Patria jacebat. Equidem immota sæpè animo obversabatur spes, si non omnes Fabios abstulerit una dies, sed amplissimum incrementum ab eo, qui ex omnibus unus superâsset, ceperit illustris familia; & si, juxta alias Magnarum Domuum Historias, POTENTISSIMAE BRANDENBURGICAE quoque ea fuerunt fata, ut, ad Unũ sæpius redacta, miranda Ejus fœcunditate, nova multitudine succrescens, instaurari quasi fuerit visa: nostram quoque eam felicitatem fore, ut, divina promovente benedictione, POTENTISSIMUS FRIDERICUS VILHELMUS, TERTIUS DOMUS AVITAE sit INSTAURATOR. Ast quantum inde fiduciæ concipiebatur, tantum soliciti timoris succedebat, quoties exactius cogitabatur, lubricus ille miseræ mortalitatis status, in quem, absq; ullo status ordinisq; discrimine, fortunæ sæviens impetus, gravius etiam in iis furere solet, quæ magnitudine eminent; ne jam dicamus, eò magis etiam crevisse metum, quo plerumq;, quæ amantur teneriùs, eorum magis anxie providetur saluti. Atq; ita inter spem metumque constitutis, quid animi fuerit, non exponimus, cum singulos sua id pietas sit monitura: Id tamen certissimum est, communem omnium eam mentem fuisse, quæ, pro OPTIMI PRIN-

PRINCIPIS FELICISSIMO INCREMENTO, AC AETERNA POTENTISSIMAE DOMVS INCOLVMITATE, vota solenniter suscepta, non votivis tabulis, sed memori pectori mandans; nec in Deastri cujusdam genu aut femore, sed clementissimæ DEI veri auri exponens, atq; ibi firmans, id unum rogaverit: vellet immensa sua, & juvandis mortalibus semper mirifica, benignitas, ut AVSPICATISSIMO THALAMO PRINCIPVM OPTIMVS potitus, felicem cœlestis benedictionis experiretur fructum, ac, optatissimâ fœcunditate, tristem MAGNAE DOMVS solitudinem compensaret; ita devotissimi cultus honore, ac noto, novoq; gratitudinis genere, tantum munus semper omnes veneraturos. Ita tunc reos; nunc verò, postquam & SERENISSIMAM PRINCIPEM AC DN. DN. LVDOVICAM, è POTENTISSIMA PRINCIPVM AVRIACORVM, AC NASSAVIORVM COMITVM, ORIVNDAM DOMO, ELECTRICEM AC DOMINAM NOSTRAM CLEMENTISSIMAM, CONJVGEM SERENISSIMO concessit; & tanta benedictione, desideratissimum illum thalamum, beavit, ut XII. KL. JVNII CELSISSIMVM FILIVM PRINCIPEM PRIMOGENITVM produxerit, damnatos quoq; voti, DEus ipse tenet, dum haud irritum idipsum voluit. Hinc nil restat amplius, quam ut vota solvamus, ac publicis testibus ostendamus, quâ gratitudine tantum bonum veneremur, quod tanta pietate desideravimus. Scelestus est, qui fidem inter homines fallit; ast quam

magis impius, qui, quâ Deo obstrictus est, fidem non præstat. Sed & quam omni affectu auxilioq; destitui, inter nos, soleat perfidia, nostis omnes: & quid ulterioris beneficii à DEO sibi promittat fidelesta fides? Quanquam quid opus hæc iis proponere, qui sua sponte, piæ gratitudinis tàm clarissima indicia, ad primum felicitatis hujus nuncium, & privatim, & publicè; & sacris, & profanis testibus ediderunt? Cœlo teste hæc dici poterunt, in lachrymas etiam effusam, nonnullorum pietatem, hoc Dei munus veneratam esse, sicque, quæ tristitiæ argumenta esse solent, iis in gaudii signa conversis, palàm docuisse, quam inter perpetuas lachrymas, si absq; isto fuissemus, vivendum fuisset. Ita decebat; sed nec aliter porro decet: neq; enim aut pius, aut gratus fuisse videtur, qui, depositâ beneficii memoria, esse, quod fuit, desinit. Vt ergo, novo monitore, pia hæc gratitudo iteretur, constituit proximo XII. Julii, qui MAGNO PRINCIPI lustricus erit, adeoque omnem cœlestis grætiæ copiam, in ipsum (FELICITER!) derivabit, Academia, post Sacra Vespertina, Hora III. in Auditorio Majori, solenni PANEGYRI, pietatem atque affectum humilime testari. Quod institutum ut DOMINI, MAECENATES, FAVTORES AC CIVES ACADEMICI, HONORATISSIMA AC AMICA PRAESENTIA dignentur, SVBMISSE, OFFICIOSE, AMICE rogat: Sed &, quandoquidem tum pietatis ipsorum in Deum, tum in Musas affectus, certa satis est; indubie illam sibi promittit, &, pro ea, devinctissima reciproci affectus servitia, ac officia solenniter atq; sancte spondet. P.P. 1648. V. Julii.

MA-



MAGNIFICE AC GENEROSE DOMINE
CANCELLARIE:
MAGNIFICE DOMINE RECTOR:

GENEROSI, NOBILISSIMI, STRENVI, SPECTABILES, PLVRIMVM REVERENDI, EXCELLENTISSIMI, CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, CLARISSIMI, AMPLISSIMI, PRVDENTISSIMI, SPECTATISSIMI, PRAESTANTISSIMI, DOMINI, FAVTORES, HOSPITES OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI, NOBILISSIMI ITEM AC LITERATISSIMI DNN. STVDIOSI, AMICI DILECTI:

DIu ac multum cogitanti mecum, quodnam novæ, atque insolitæ ferè hucusq; inter nos, festivitatis Genethliacæ, non pium minus, quàm aptum auspicium fieret: non importune occurrebat, solennis atque stata, in Perside, Magorum consuetudo, quâ primo semper diluculo Diis canebant, hymnosque & laudes recitando, orientem solem venerabantur. Ita illos, novam singulorum dierum confirmare felicitatem, superstitio docebat: neque aliâ mente, quibus divinior pietas eluxit, esse decet omnes. Cum ergo XII. KL. Junii, eâ solennitate, ornare voluerit æternum Numen, ut, cum sole orto, novum POTENTISSIMAE DOMVI BRANDENBVRGICAE oriretur sidus, quod sole omni serenius effulgens, SERENISSIMVM AC POTENTISSIMVM PRINCIPEM AC DN. DN. FRIDERICVM WILHELMVM, MARCHIONEM BRANDEBVRGICVM, S. R. I.

ARCHICAMERARIVM ET PRINCIPEM ELECTOREM, BORVSSIAE, JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, STETINI POMERANORVM, CASSVBIORVM, VANDALORVM, NEC NON IN SILESIA CROSNAE, ET CARNOVIAE DVCEM; BVRGGRABIVM NORIBERGENSEM, PRINCIPEM RVGIAE, COMITEM MARCAE ET RAVENSBERGI, RAVENSTEINI DOMINVM, DOMINVM ET NVTRITIVM NOSTRVM MVNIFICENTISSIMVM: &c. &c. SERENISSIMAMQVE AC CELSISSIMAM PRINCIPEM AC DOMINAM, DN. LVDOVICAM, E POTENTISSIMA PRINCIPVM AVRIACORVM, AC NASSAVIORVM COMITVM ORIVNDAM DOMO, insueto gaudio; tot verò subjectissimos, undiquaque, populos desideratissimâ felicitate illustravit: quid potius curandum nobis est, quàm ut æternum divinæ gratiæ solem, qui novo hoc benignitatis radio, tristibus rerum nostrarum nubilis pulsis, tàm lætè, tàm clarè illucere dignatus est, pro diuturnitate ac perennitate, hujus tanti muneris, quàm devotissimè veneremur? Quin imò, & hoc nomine

Euge Deum laudate, Deum facilemque bonumque,
Largâ benignum semper indulgentiâ!
Euge Deum laudate! Deus namque ille Deorum est,
Largâ benignus semper indulgentiâ:
Qui facit attonito solus miracula mundo,
Largâ benignus semper indulgentiâ.

Sed Tibi etiam Tuus, MAGNE INFANS, quem haud ita pridem, CELSISSIMIS PARENTIBVS

FI-

FILIVM, ſummo munere conceſſit; hoc verò die, majori etiam gratiâ, cœli civem conſtituit divina bonitas, & conſtat, & æternum conſtabit cultus: qui, poſtquam auſpicatiſſimo tuo exortu, omni ſole potentius, novum tot populorum mentibus induxiſti vigorem, & quorum, inter ſpem ac metum, collapſa languere videbatur felicitas, novo gaudio animaſti, ut nihil tam adverſi, à fortuna, poſthac metui poſſit, quod, cœleſti quaſi quodã, ortus tui influxu inflammati, non contemnant, communi omnium voce, ex antiquiſſimæ devotionis formula, quam ſubjectisſimè exciperis: ΧΑΊΡΕ ΝΕΟΝ ΦΩ͂Σ: O NOVA LVX SALVE! Imo: Salve novum DOMVS BRANDEBVRGICAE Sidus! Salve, ac, quam oſtendiſti gentibus tuis, felicitatem, propitiis fatis, lætus atque incolumis confirma! Fabula eſt, quicquid etiam vel de Saturni ſui, vel Minervæ ortu crepuerit priſca ſuperſtitio, iſti quidem ætatem, huic verò pluviam auream comitem fuiſſe: Veriori eventu ſpem noſtram confirmabit, tam bonus, tam clemens muneris hujus autor, quâ fore fidimus, ut, ab hoc nato Sidere, nova terris noſtris felicitas, &, auro omni ſolidior, quies proveniat. Neque vana hæc concipi à nobis, ipſum naſcendi auſpicium, tam ſole omni clarius confirmat, ut, ſi, cui quidem rei, Honoratiſſimam Veſtram præſentiam, commodaſſe vos, non absque devinctiſſimorum ſervitiorum oblatione, certò credo, exactius id cogitare atque excutere libuerit, abſolu-

tissima undique gratulandi, atque lætandi occasio oriatur.

Non vulgata minus, quàm antiqua, natorum Principum curiosius examinandi ortus, ac, quam singulis sua fata fortunam destinent, solerter notandi, est consuetudo. Hoc fine, præter innumeras alias divinandi artes, astra ipsa consulta, ac, quicquid fortis futuræ hæc innuerent, religiose evolvere, erat solenne. Haud equidem animus est, multis divinatrices artes expendere, quarum uti haud levis eventuum conjectura est, ita & facilis lapsus: cum certi quid de futuris constituere, divinæ potius providentiæ, quàm humanæ industriæ opus sit, adeò

Prudens futuri temporis exitum,
Caliginosa nocte premit Deus!

Et tamen, si hac quoque amœna curiositate, animum in præsentiarum pascere, cuiquam sit lubido, is, si erecta, ad mirandam stellati ætheris compagem, mente, lustrare ejusdem sidera cœperit, mox insolito clarissimæ lucis splendore circumfusus, ut consentiens undiquaque astrorum benignitas, serenissimis sapientiæ, & reliquarum virtutum radiis, feliciter natum Principem illustret, ac, quâ mentis sublimitate olim feliciter gavisuri sint posteri, eam jam nunc orbi omni legendam proponat, procul dubio cognoverit. Sed missis potius remotioribus felicitatis nostræ radiis, eos propius intuebimur, qui, dum in terris se nobis produnt, nova omnia luce complent, atque

que claritate. Vel an obtuſo adeò ſive animo, ſive oculo, quenquam inter nos agere, qui, quanto ipſorum natalium ſplendore, effulgeat CELSISSIMVS INFANS, non perſpiciat, quisquam credat? Diu eſt, cum SERENISSIMA POTENTISSIMAE DOMVS BRANDEBVRGICAE VIRTVS, tam illuſtriſſime in omnes orbis plagas penetravit, ut non cultum, quem promiscuè omni Principum generi deferunt omnes; ſed, quæ divinis, atque ſorte humanâ majoribus propria eſt, admirationem provocaverit inſuper. Ita ſcilicet, cognati ſideris æmulata virtutem, AQVILA HAEC, ſublimi ſemper celſiſſimarum virtutum delata tramite, nunquam ſubſiſtere viſa fuit, dum auſpicatiſſima iſtarum luce, & illuſtraret abditiſſima, & ſerenaret nubiloſa. Repeterem hîc, à primis non Electoratus tantum, ſed, antecedentis etiam dignitatis, incunabulis, omne illud, quo POTENTISSIMA HAEC DOMVS ſplenduit, illuſtriſſimum decus, ut, quod Generoſiſſimæ Aquilæ tribuunt Naturæ conſulti, revera POTENTISSIMAE DOMVI convenire conſtaret; nova videlicet ſubinde effloreſcere virtute, ac perennanti ejus incremento, novam ſemper reparare juventutem; niſi & in, peritiſſimam horum omnium, prudentiam, & patientiam veſtram benevolam peccarem; ſi, & quæ notiſſima, & ſæpius dicta, vobis Auditoribus, repeterem. NASSAVICAE verò DOMVS honori,

quis

quis terminum figat? quæ diu, mundi ipsius excedens terminos,

Primo à carcere Solis Eoi,

Ad purpureos usq; occasus,

virtute ac rerum gestarum magnitudine, immortalem nominis famam protulit. LEONIS cogitate rugitum, ac, dum, dissita maximè locorum spatia, compleri eodem cognoscitis; eam POTENTISSIMAE DOMVS statuite virtutem, quâ, dum non fortiter minus, quàm perspicaciter progreditur, omnia magnitudine suâ implet. Hoc tam celsissimo, tam illustri

sanguine misto,

Texitur, alternis ex gentibus, una propago:

& eâ tam feliciter natâ non gaudeamus? Neminem equidem aliâ esse mente confido, nisi fortè, qui, quantum promovendæ virtutis adminiculum, habeant bene nati, ignorat. Quod amœnius propositura Poetarum Scholæ, geminum ortus humani statuebant principium, molle videlicet Promethei lutum, & duros Deucalionis, Pyrrhæq; lapides: Ipsi videtis A. H. ita diversam indicari singulorum indolem, prout diversa oriendi contigerit conditio. Neque ex alio hodienum fonte, tam varia, inter unum idemque hominum genus, ingeniorum diversitas, quam diversa nascendi sorte, derivari videtur. Si namque nec *imbellem feroces progenerant aquilæ columbam, sed est in juvencis, est in equis patrum virtus:*

ne-

neq; alio ordine hominum abſolvitur propagatio, quàm quod fortes, fortibus; & bonis creentur boni. Atq; hic iterum mihi, O NOVA LVX Salve! Salve CELSISSIMA POTENTISSIMARVM DOMVVM PROPAGO, quam non magis, ſublimis utrinque DIVORVM AVORVM, MAJORVMQVE dignitas, quam cœleſtis ac divina virtus illuſtravit! Deus ratum faciet, quod, ſub auſpicatiſſimum Aquilæ, Leonisq; hujus conjugium, pietas noſtra eſt precata, fore, ut admirando conſortio, in unum coaleſcens utriusq; virtus, prolem, feliciter juncta virtute illuſtrem educat. In te, CELSISSIME INFANS, certitudinem ſpei noſtræ deprehendemus, quando, favente Numine, id, cum annis, virtutum Tuarum incrementum cernemus, ut, quod virtutum cœleſte par, nō absq; fauſtiſſimo, credo, omine, & Aquila, & Leo haud obſcure exhibent, & perſpicaci prudentiâ, potentiæ vires moderari; & magno robore, prudentiæ decreta exequi valeas. Sed & Tu, SERENISSIMA LVDOVICA, quæ una & CELSISSIMI FILII, & tam fauſtiſſimi gaudii, Felix Mater audis, ſubjectiſſimè Salve! Tu, dum MAGNAM DOMVM novâ ſtabilitate firmas, infinitorum populorum ſtabilis ſalutem. Tu, dum MAGNI CONJVGIS deſideria, tantâ oblectatione exples, innumera pietatis perficis ſuſpiria atq; vota. Tu DOMVI TVAE FILIVM, populis verò Tuis paras felicitatem; Tu ſolitudinem DOMVS

TVAE, provinciarum verò plurimarum ſolicitudinem, feliciter averruncas: Tu deniq;, dum MAGNA MATER, MAGNVM FILIVM læta amplecteris, tot populis Patrem quendam, Auguſtum futurum, amplectendum exhibes. Pro quo quidem quid cultus, quid honoris, juxta alias, quæ ultrò Tibi parent, Boruſſia Tua Tibi decernat, ſi quæris: crede, DOMINA, deficere, huic devotioni exprimendæ, linguam. Volet tamen Deus, ut præſens ipſa, devotiſſimam Boruſſiæ ſubjectionem expertura, indefeſſam ejus ſtudii intuearis contentionem, qua, reliqua omnia, unâ mente conſentientes, hoc uno certabunt omnes, ne quis, fidei cultu deferendo, vincatur. Decantatiſſima aliàs Meſſeniorum Minerva eſt, quæ, quod infeſtiſſimam regioni tempeſtatem ſedaſſet, Anemotis dicta, ſolenni ſtatuæ conſecratione colebatur. Tu feliciter metus noſtros atq; angores ſedaſti, dum, quæ imminere è ſolitudine, terris tuis videbatur, tempeſtatem felici fœcunditate diſcuſſiſti, &, læto SERENISSIMI HVjus SIDERIS exortu, mentes, fortunasq; omnium noſtras tranquillaſti. Pro eo non vanas rerum caducarum ſtatuas; ſed animum ipſum, in eoq; æterni cultus, atq; obſequii conſecramus monimentum, hoc fidiſſimo ſponſore, nunquam non, ſanctiſſima memoria, tantum munus uſurpatum iri. Neq; poſſumus aliter, quàm devotiſſimo cultu, venerari id munus, quod tam anxiis votis, atq; ſuſpiriis, divinitùs eſt impetratum. Adeò & templa publicè, & pri-

vatæ ſingulorum ædes, his unicè precibus perſonabant, vellet humani generis conditor ac parens, felicem ac fœcundum MAGNI FRIDERICI WILHELMI thalamum, ut, qui diu tot gentium optimo regimine, ac, quo inprimis hoc nititur, amore PATER exſtitiſſet, auctæ quoq; multâ prole, POTENTISSIMAE DOMVS felicitatem cernens, Pater diceretur. Et ea quidem, hoc inſtantius, ingeminabantur vota, quo gravius, è ſolitudine, periculum mutandi regiminis, miſeris incumbebat, hac præſertim dubia fatorum inclementia, quæ non minus in ſceptris ludens, quàm ligonibus, æquo pede pauperum tabernas pulſat, regumq; turres. Nunc verò, poſtquam ea illuxerat dies, quâ poſt exhauſta omnium vota, infinitarum gentium deſideria, tam abunde complens, æternus miſerator, MAGNAM hanc PROLEM, tot provinciis, quod ille ait, fortunatam, gratam civibus, exteris ſplendidam, optatam bonis, inviſam perfidis ac odioſam conceſſit, quid mirum, ſi, ſepoſito mœroris luctusq; vultu, omnes novo efferri gaudio fuerint viſi? Licuiſſet utinam Tibi, MAGNE PRINCEPS, coram uſurpare, omnes eos effuſiſſimæ lætitiæ teſtes, quibus affectū ſuum prodebant, ſubjectiſſimi patriæ incolæ. Vidiſſes, ut, poſt ſanctiſſimum Deo exhibitum cultum, ac, mille vocum ſono, reboantibus ædibus ſacris, hymnos ſuaviſſimè decantatos, urbs omnis in gaudium effuſa, quibuscunq; poterat modis, tam de-

ſideratæ lætitiæ indulſiſſet. Et quaſi parum eſſet, humano id proferre ore, in ſocietatem ejus rei accerſebantur exanima etiam, atq; voce animaq; deſtituta. Hinc catapultarum tonitrua, hinc bombardarum exploſiones, inde relucentium flammarum faces, auribus oculisq; occurrebant. Tum, ne quid deeſſet abſolutiſſimæ oblectationi, lituorum tubarumq; ſono animabantur, ultro jam in gaudium præcipites animi. Neq; vana iſtorum vis fuit, quin ſi feras olim, & ſaxa, Muſicæ ſonum ſenſiſſe, fabula teſtis eſt: vidiſſes, ut hujus gaudii ſenſu etiam ipſi, qui è Lithvaniæ, Ruſſiæq; extremis finibus aderant, incultiores ac barbari fere, cavernis atq; tuguriolis ſuis exciti, arundinem atq; cicutam ſuam, novi Satyri inflantes, ruditate ſuâ, ſolennitatis ſplendorem, illuſtrarent. Quæ tamen omnia, ſi, prout ſoles, pro ſummâ in Tuos bonitate, exactius penſitare dignatus fueris, facilè, à quo animo externa iſta ſint profecta, arbitraberis. Scilicet, quo impetu exploſorum tormentorum fragor, aëra atq; cœlum implebat ipſum: eadem vi, gratulationum atq; votorum emiſſa jacula, Deum, tanti muneris autorem, ut perennitatem eidem adderet, petebant. Et ſi lucidiſſimis flammis civitas refulgebat, ita ut alicubi, noctis ipſius illuſtraretur caligo: clarior longè, intra ſubditorũ animos, devotiſſimi amoris relucebat ignis, quem nato SVO PRINCIPI, æternum fidei obſequiiq; fomentum, conſervabit. Sed nec aliter, blanda voluntatum omni-

mni-

mnium conſpiratio, qua, concordi voce, felicitatem ac incolumitatem MAGNAE PROLI, ſibi conſtantem obſequii tenorem, precabantur, videbatur: quam ſuaviſſimè, conſonantium variè modulorum, Harmonia animos omnium afficiebat. Atq; iſta omnia, neſcio quomodo, ipſum naſcendi tempus confirmare videbatur, quod, cum florida veris amœnitas conſtitueret, hinc certò augurabantur omnes, florentiſſimum virtutis, atq; gloriæ, immortalitate NATVM PRINCIPEM, ea poſthac, cum Deo & tempore, acturum, quæ illibatum POTENTISSIMAE DOMVS honorem, novo ſubinde flore ornatura eſſent, atq; uctura; ac proinde, novum ſimul felicitatis ſuæ florem, haud dubiè ominabantur. Equidem nunquam, abſq; luctu & mœrore, cogitabitur dies ea, quæ, cum proximè auſpicatiſſimum hunc antecederet partum, INVICTISSIMO AC INCOMPARABILI, hinc nec unquam, abſq; devotiſſimo honore, nominando HEROI, VLADISLAO, MAGNO POLONIAE SVECIAEQVE REGI, DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO, emortualis erat; neq; enim facilis, ſi ulla, tantæ jacturæ compenſatio: Sed tamen, quæ miranda divinæ Providentiæ ratio eſt, quaſi ſolatio quodam, mœrorem ſublevaturus patriæ D. O. M. tam inopinato luctus nubilo, novum hunc ſuperinducebat lætitiæ Solem, ut ſaltem, non omnem ſpem decollatam videntes, eò ſeriò magis, pro confirmatione

ejus æterna, ſummo rerum arbitro, ſupplicare diſceremns. Dum namq; & maxima, ſubjacere fatorum violentiæ, cernimus, non aliunde robur iis, niſi à pietate procurare poſſumus: nec proinde, niſi pia prudentia, ac cauta ſolicitudine, quæ maximè juvant, ſunt uſurpanda. Sed ne, longiori digreſſione, cœptam diei hujus lætitiam interpellemus, ea potius ſingulorum pietati concedentes, ulterius genio noſtro indulgemus, ac illuſtrandæ lætitiæ noſtræ, novos felicitatis radios adhibemus. Nec inconvenienter, ut videtur, antiquiſſimam quandam, Natalium illuſtrandorum, ſolennitatem recordor, quæ immane quantum augebatur, ſi aut in Olympica certamina, aliumve, publica feſtivitate illuſtrẽ, inciderent diem: Aſt cedant, cedant & Olympia, & omnia profanorum feſtorum monſtra, natalis hujus ſublimitati, quam dum illuſtravit ſolenniſſima Dominici triumphi, quem devicto Satana, ac potentiſſimis inferorum eliſis viribus, inter millies mille ovantium, ac applaudentium, beatorum ſpirituum choros, agens, patrium cœleſtis regni ſolium conſcendit, memoria, quid non felicitatis nobis confert? Solent hac ſolennitate publicis hymnis ea, quæ in cœlos aſcendens, terris conceſſit æternus ſoſpitator, ſingularia donativa devotiſſimè celebrari; horum autem immenſo cumulo, novum hoc addidit munus cœli bonitas, & non indulgeamus gaudio, non hymnis atq; gratulationibus certemus? Imò Tu

ipſe

ipſe, MAGNE INFANS, ſimul ac ætas id Tua Tibi, propitio Deo ac favente, permiſerit, hac Natalis Tui felicitate, quæ non niſi maxima Tibi promittitur, lætaberis. Haud absq; jactantiæ nota, gloriatum Timoleontem accepimus, quod Syracuſanis, quorum Dux conſtitutus erat, præcipuas natali ſuo dederit victorias: Quam certior longè hæc felicitas Natali tuo addicitur, qui victoriæ Dominicæ recolendæ ſacer eſt? Non id quidem ſentimus, ut adverſus civium hoſtes congredi, ac, cruentæ victoriæ honoribus, illuſtris fieri cogaris, quin mitiora fata deprecantes, tranquilliſſimum regimen tibi optamus: Sed tamen, ſi quicquam fortuna, aut reliqua ea, quæ Principum ſublimitati, heu! nimis propè adjacere ſolent, in te moliantur, omnia iſta, ope Triumphatoris ac victoris JESV, feliciter Te victurum, confidimus. Et quidni? cum eadem felicitas DIVORVM MAJORVM TVORVM, qui non quidem diem, ſed menſem tamen eundem, tecum Natalem habuerunt, fuerit atq; virtus? Ecquid enim videtur, CELSISSIMVS MARCHIO BRANDENBVRGENSIS, FRIDERICVS, PINGVIS poſtea dictus? qui DIVO ALBERTO, cui Achillis cognomentum rara fortitudo addidit, VI. Nonas Maji genitus, florentiſſimo regimine, Avitorum primum Franciæ finium, poſt fratris verò obitum, Voitlandiæ etiam potitus eſt, atq; ita rerum geſtarum memoria adhuc viget, ut etiam, poſt longam mortis

bru-

brumam, non floridi modo veris, sed fœcundissimæ insuper æstatis, decus exhibeat. Celsissimus verò hujus filius, primus ille Ducatꝰ hujus fundator, gloriosissimæ memoriæ PRINCEPS, ALBERTVS, quem XVI. Calendarũ Junii nobis dedit, quanto virtutum, gloriæq; flore, omnem, etiam Veris Natalitii, amœnitatem superaverit, neminem ignorare puto. Quàm fortiter enim armis usus fuerit, quàm prudenter gloriosæ pacis fœdera inire sciverit, quàm feliciter deniq; administrandæ Reipublicæ patriæ, rationem mutatam ordinaverit, omnis omnium annalium fides confirmat. Adhuc calere videntur pulpita, cathedræq; Lycei hujꝰ, Tanti Fũdatoris laudibus, cum sub primam, primi feliciter exacti Seculi Academici, solennitatem, undiq; decantarentur. Hos omnes POTENTISSIMAE GENTIS TVAE Autores numeras, MAGNE INFANS, & qui non, felicitatis similis, sponsores haberes? Imò, quæ similis Veris amœnitas, subditorum Te votis concessit, eadem, simili virtutum gloriæq; flore, amœnum sæpius reviset: dum æstiva, autumnaliq; maximorum fructuum, perfectione maturum, in canam usq; seræ senectæ brumam perduxerit. Atq; ita cum omnis & cœlestium, &, quæ hisce subjacent, sublunarium creatorum ordo, tam constanter, in felicitatis Tuæ stabile incrementum, conspiret, tum ipse omnium illorum parens, atq; autor D. O. M. confirmans ea, quicquid ista nequeunt, felicitati Tuæ addit

addit, dum hoc die diviniori regeneratione renatum, cœli principibus adſcribit; ac, quem terræ Principatu, naſcendi ſors donavit, cœleſtis Principatus hæreditate, pro ſuæ gratiæ immenſitate, ditat. Non hoc loco prolixè, quæ ſuper hoc Sacroſancto divini lavacri fonte, alii propoſuerunt, compilamus; ſed illud ſaltem, quod de Babylonis Regibus notatum invenimus, referimus, inter gazas ab iis Nili, & Iſtri aquam reconditam: at quantò divinior hujus aquæ pretioſitas, quæ ſanctiſſimo DEI ſanguine tincta, æternos, divinæ opulentiæ, theſauros in nos derivat? Hanc quisquis, intra pectoris conditoria repoſitam, curioſâ pietate, ne ullo vitio inquinetur, aſſervat: is reverâ eo theſauro inſtructus ditefcit, cui nec ab hominum, nec temporum, nec fortunæ artibus ac dolo, periculum imminet. Hæc prima, MAGNE INFANS, non floridæ modo infantiæ, ac pueritiæ (ſi quis pueritiæ in Heroica indole locus eſt) ſed omni ſucceſſuræ (velit DEus in plurimos provectæ annos!) ætati, certiſſimæ felicitatis fundamenta præſtat, quæ grandiori Te illuſtrabit virtute, quàm ulla aliorum, maxime etiam miranda, eſt experta ſive infantia, ſive reliqua ætas. Si namq; inſoliti roboris vi, intra primas cunas, ſerpentum domitor, Hercules eſt celebratus: hæc te, cœleſti virtute, aqua animabit, ut, quicquid funeſtiſſimi veneni effundere in Te, impudentiſſima ſtygii ſerpentis malitia, conabitur, fortiter ſuperaturus, ac magnanimus JEſu Chriſti victor, di-

vino triumpho, ſis ovaturus. Semiramidem ſuam Aſſyria gens prædicat, columbarum nutricatu eſſe eductam: aſt vana fides, vanus error. Hujus tam cœleſtis aquæ, id divinum beneficium eſt, ut, qui columbæ ſpecie amictus, oculis uſurpari olim voluit, ipſe Dei Spiritus, animo tuo illabens, eundem ſanctitatis ac virtutum pabulo nutriat, ſatiet, atq; firmet. Sandrocotro cuidam, Indorum poſtea Regi, id miræ felicitatis contigiſſe, notatum invenimus, ut Alexandrum fugientis, ac, præ laſſitudine, viriumq; defectu obdormientis, ſudorem abſterſerit Leo: infinitis verò modis Tua major felicitas, quam Tibi, DEO jam nate INFANS, Invictus de Tribu Juda Leo præſtat. Tu inferni Tyranni inſidias fugiens, nihil omninò, niſi virium omnium languorum ſentis, cum, ſudorem quaſi graviſſimo exprimente conatu, Soſpitatoris Tibi occurrit amor, ac amplexatur Te, pectoriq; arctius admotum, abſtergit atq; mundat, quicquid iſthinc maculæ, atq; impuritatis contraxeras. Non dico Hieronem Syracuſanum, Platonemve, quibus apes nutrices adduntur, & cuſtodes; quod omni melle dulcius, cœleſtis puritatis, ſapientiæq; alimentum, animo percipias; cujus ductum feliciter ſecutus: tutiſſimè, quà MAGNUS PARENS, conſtanti feliciter tenore incedit, progredieris. Quid multis? ſi Midæ, inexhauſtarum divitiarum copias, præſagiiſſe formicæ leguntur: hîc pleno ſinu aperit ſe Tibi, opulentiſſima divinarum divitiarum abyſſus; ac, ne quid unquam Tibi deſit,

abundantissimâ ubertate, in Te confert. Hæc, hæc felicitatis solidissimæ semina, hac luce Tibi tradit MAGNVS PARENS, dum parum Celsissimum AVITAE PATRIAEQVE DOMVS splendorem curans, id unicè, pro sua spectatissimâ pietate, agit, ut divina nativitate initiatus, è cœlis genus trahas, sed &, constanti virtutum exercitio, dignum tantâ te præstes origine. Eja macte, macte ista Pietate SERENISSIME DOMINE! ac, prout cœpisti (patieris enim, pro singulari Tua, in subjectissimum Thilonem, clementia, ultimum hoc orationis ad TE dirigi, non, ut quid agendum sit, monearis, id enim neq; Tua requirit pietas, ac prudentia; nec mea permittit tenuitas: sed ut lætius certa agendorum spe, atq; ominatione gaudeamus) prout ergò cœpisti, tenerrimam etiam Principis Filii ætatem, immortali Justitiæ Soli, generosissimæ Aquilæ instar, sistere: ita non desistes, per universam Divorum Majorum, deducere lucem, ac vere patria solicitudine id curare, ut illustrissimo ejusdem splendore, illustratum tenerrimum pectus, ita virtutum fulgeat radio, quò serenissimo semper resplendeat fulgore. Ita ergò, per omnem Divorum Majorum, seriem progredienti, jam Divi FRIDERICI I. Magnanimitas monstrabitur, & Fides, atq;, quam certissima regni præsidia præstet, magnanima adversus hostes fortitudo, & sanctè amicis præstita fides, docebitur. Succedet FRIDERICI II. Modestia, & hinc, quàm caute for-

tuna utendum sit, ne, nimium fidentes nos sibi, opprimat, cognoscet. Atque ita ad Felicitatem & Fortitudinem ALBERTI pergetur, hoc addito monitore, nil salutarius principi eâ copula esse, quæ & feliciter fortitudinem exserit, & fortiter felicitatem tuetur. Quid verò, ad JOHANNIS Eloquentiam ubi deventum fuerit, non dicetur? Scilicet aptissimum moderandorum hominum medium, linguam Eloquentis esse, quæ, catenulis sæpe quasi quibusdam, eò homines ducit, quo vi nullâ rapi trahiq; potuissent. Ast quàm nihil ista omnia prosint, nisi regnum justitia firmet, tum sanctissima informatione percipiet, ubi ad JOACHIMI I. Justitiam deductus fuerit; quem ubi exceperit JOACHIMI II. Autoritas, commodè audiet, quam stare nullum regimen omnino possit, collapsâ ista, quæ unum, solidissimum decori regiminis est fundamentum. Sed jam ad propinquiorem DIVORVM MAJORVM seriem progresso, mox obversabitur summa illa, divini humanique regiminis moderatrix, Sapientia, qua uti serenissime claruisse, JOHANNEM GEORGIVM audiet: ita non aliter sibi agendum statuet, atque hinc promptissimè, ejus gubernationi se submittet, ut feliciter postea suos gubernare sciat. Quam verò hujus sociam indivulsam, sapientes omnes statuunt, Pietatem, dum proximam JOACHIMI FRIDERICI comitem videbit, facilè, neutiquam absq; pietate sapientiam, quippe quæ non nisi mundorum pecto-

pectorum amatrix, occurrere, nec unquam, qui verè pius est, nisi optima agere, monebitur: proindeque utriusq; acquirendæ media edoctus, & cœlo, & terræ operam decenter locabit. Ast jam fortè defatigatus, operosâ hac profectione, videbitur, cum clementissima DIVI PROAVI, JOHANNIS SIGISMVNDI munificentia allectum docebit, nullum & excitandæ, & conservandæ promptitudinis suorum, commodius medium esse, donativis & largitionibus, quibus & ea sæpe confecta vidimus, quæ despérari jubebat initium. Quanto verò cum stupore DIVI AVI, GEORGII WILHELMI PRINCIPIS, nunquam, nisi cum immortalis honoris memoria, nominandi, Prudentiam exponi audiet? ut proximè hæc se tangere putans, exactius etiam, tanto exemplo, omni fortunæ moderari, sicq; res suas eadem constantia gerere, ne quicquã casus valeat, perdiscat. Hac semita, SERENISSIME PARENS, dum feliciter deducendum CELSISSIMVM FILIVM curabis, quem nobis Principem educabis? antiqua ista omnia spirante, & ad latus semper comite, magna Tua Virtute, quæ revera omnis istius laudis compendium fecisse, ac, quod singulis istis seorsim, id omne Tibi conjunctim suppeditasse, videtur. Ita non nasci tantum, sed educari principes etiam, probè sciens, quem Tibi dedit cœli bonitas, eum ut meliorem nobis reddas, curabis. Hæc tua cura, hoc nostrum gaudium, quod quisquis non percipiat, næ sensus o-

mnis expers sit, necesse est. Sed quid ita dico? Imò jam demum novos vitæ annos ordinare, ac novas felicitatis spes inchoare videntur omnes, postquam, tam novo felicissimi gaudii sole, fortunas suas illustrari sentiunt. Euge benè factum: sed heus! quæ plerumque magna gaudia comitari videtur, arrogãs absit temeritas: ac, si non rarus felicitatis comes, timor esse solet, ejus rei nos etiam eò magis memores, quo incertior rerum nostrarum lubricitas; omne hujus & lætitiæ, & felicitatis fundamentum, DEI bonitati firmandum offeramus, ac, pro perenni ejus stabilitate, hac voce ac mente, illi supplicemus:

DEVS. O. M. QVEM. FELICITER. NASCI. PRINCIPEM. VOLVISTI. EVM. VT. DIV. TERRIS. COMMODES, PRECAMVR. ACTA. HIC. MAJORVM. AC. OPTIMORVM. ALIAS. PRINCIPVM. AEQVET. ANNOS. VINCAT. SERA. ET. NEPOTIBVS. DEMVM. NOSTRIS. DIES. NOTA. SIT. QVAE. ILLVM. COELO. INFERAT. PATERE. ILLVM. POPVLIS. SVIS. JAM. DIV. AEGRIS. ET. AFFECTIS. CVM. MAGNO. PARENTE. MEDERI. PATERE. QVICQVID. PRIORIS. TEMPORIS. FVROR. CONCVSSIT. HORVM. VIRTVTE. IN. LOCVM. SVVM. RESTITVI. AC REPONI. ET. TANDEM. VT. SIDVS. HOC. QVOD. PRAECIPITATIS. IN. PROFVNDVM. AC DEMISSIS. IN. TENEBRAS. PROVINCIIS. REFVLSIT. AETERNVM. LVCEAT. CLEMENTER. AC. BENIGNE. CONCEDE.

PANE-

PANEGYRICVS XIV.

VLADISLAVS MAGNVS.

SIVE

INVICTISSIMA

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI

PRINCIPIS AC DOMINI,

DOMINI

VLADISLAI IV.

ELECTI POLONORVM, NATI SVECORVM,
GOTHORVM, VANDALORVM REGIS: MAGNI DVCIS
LITHVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIAE, SAMOGITIAE, LIVONIAE, SMOLENSCIAE, SEVERIAE
ET CZERNICHOVIAE,

PATRIS PATRIAE

PII.

AVGVSTI,

FELICIS.

QVA

GRAVISSIMAS REGNI CVRAS,
POTENTISSIMAS HOSTIVM VIRES,
INNVMERAS FORTVNAE ARTES,
FATALEM MORTIS IMPETVM,
FELICITER SVPERAVIT,

MAGNITVDO,

PARENTALIS MVNERIS LOCO,

IPSO EXEQVIARVM DIE,

HVMILIME PROPOSITA.

INVI-

INVITATIO AVDITORVM.

TTILA REX HVNNORVM, MVNDZVCCI FILIVS, FORTISSIMARVM GENTIVM DOMINVS, QVI SOLVS PRIMVSQVE SCYTHICA ET GERMANICA REGNA OBTINVIT, ATQVE VTRVMQVE IMPERIVM CAPTIS VRBIBVS TERRVIT, ET NE PRAEDAE RELIQVA SVBIICERENTVR, PLACATVS PRECIBVS, ANNVVM VECTIGAL ACCEPIT, CVMQVE HAEC OMNIA SINGVLARI FELICITATE GESSERIT, NON VVLNERE HOSTIVM, NON FRAVDE SVORVM, SED GENTE INCOLVMI, INTER GAVDIA, LAETVS, SINE SENSV DOLORIS, OCCVBVIT.

Solennissimo hoc elogio, Potentissimi Regis, exequias à milite ornatas, Historia testatur, ut, cujus summam virtutem feliciter esset expertus, ejus honorem, æternamque nominis memoriam, immortalitati consecraret. Ac voluisset ô si Deus! mitiora ita fata disponere, ut POTENTISSIMO INVICTISSIMOQVE POLONIAE SVECIAEQVE REGI, VLADISLAO IV. MAGNO DVCI LITHVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIAE, SAMOGITIAE, LIVONIAE, SMOLENSCIAE, SEVERIAE, CZERNICHOVIAEQVE: DOMINO HEV! QVONDAM NOSTRO CLEMENTISSIMO, continuatorum potius triumphorum gratulari honores, quam modis omnibus dolendum, atq; acerbissimũ, e terrenis, abitum intimare licuisset! Verum, quandoquidem aliter, summo Regum mortalium Imperatori, visum fuit; quod res est, dicendum: vos, quo oculo animoque accipiatis, experimini.

VLA-

VLADISLAVS. IV. SIGISMVNDI. III. FILIVS.

FORTISSIMARVM. GENTIVM. DOMINVS. QVI. SOLVS. PRIMVSQVE. ID. VIRTVTIS. PRAEMIVM. E. POLONORVM. PRINCIPIBVS. TENVIT. VT. ELECTVS. A. JVRATIS. POLONIAE. HOSTIBVS. MOSCIS. MAGNVS. MOSCOVIAE. DVX. CONSTITVTVS. POST. FIDEM. FALSAM. GRAVI. HOSTIVM. CLADE. VINDICARET. AMPLISSIMARVM. VERO. PROVINCIARVM. ACCESSIONE. INCLYTVM. POLONIAE. REGNVM. AVGERET. QVI. VICTVM. OSMANNVM. AMVRATHEMQVE. TERRITVM. TIMERE. POLONORVM. VIRTVTEM. DOCVIT. QVI. ALIIS. HOSTIBVS. ITA. FORTITVDINEM. OSTENDIT. VT. MODERATIONIS. ETIAM. MEMOR. GLORIOSISSIMA. PACE. AB. INTERITV. SVOS. ET. VASTITATE. LIBERARIT. QVI. DENIQVE. OMNE. IMPERIVM. SVVM. SINGVLARI. PRVDENTIA. AC. FELICITATE. GESSIT. TANDEM. NON. VVLNERE. HOSTIVM. QVORVM. TELA. MAGNANIMA. FORTITVDINE. RETVDIT. NON. FRAVDE. SVORVM. QVORVM. INOFFENSA. FIDE. SEMPER. SECVRVS. EGIT. SED. SVPREMI. REGVM. ARBITRI. D. O. M. VOLVNTATE. EVOCANTE. SALVA. ET. INCOLVMI. GENTIVM. FELICITATE. INTER. ERECTAM. MAGNAE. MENTIS. CONSTANTIAM. PLENVS. BONA. SPE. SINE. MORTIS. SENSV. NON. SINE. GRAVISSIMO. POPVLORVM. LVCTV. OCCVBVIT.

Fuit, fuit ergo proh dolor! & nostra ea felicitas, Fortissimo, cum Hunnis, Rege gubernari, defendi, juvari: & major nostra, præ Hunnis, fuit felicitas; cum non tantum Fortissimi, quo solo, non absq; crudelitatis macula, superbire titulo, Hunnorum videtur Rector, sed Optimi

insuper Regis, experti imperium simus. Atq; hinc quanto æquius, majori, cum Hunnis, tàm Optimi, tàm Amantissimi suorum Regis, tristissimum funus, prosequimur devotione? Est ita quidem æternâ, summi Dei, constitutum lege, ut Regum non minus, quam vilissimorum capitum, vita, certo fine terminata, magna mortalitatis præstet documẽta: verũ, prout magna vivorum Illorũ, atq; eminentissima, præ omnibus aliis, est Majestas, ita, & magnos eorum cineres, comitari quasi eadem videtur, ut nunquam, absq; magno animi horrore, cogitentur hi, atq; aspiciantur. Adeo revera obtinet, quod Magnus Scaliger, in dispari licet argumento, proponit:

Ad quodvis stupeo monumentum, ac territus adsto:
Maxima cum videam Numina posse mori.

Scilicet terræ numina atq; Deos, mundi Dominos, Deo ipsi dici constat: & quid mirandum magis, quam, quos tituli nominisq; communione dignatus est mundi arbiter, eos communi hominibus moriendi lege non esse exemptos? Verùm non hic examinanda est cœlestis justitia, quæ uti, pro immensa sapientia, nunquam fallit, aut fallitur; ita, pro purissima sanctitate, non, nisi quod optimum est atq; rectum, decernit. Et tamen, quamvis, ne humanitatis oblivíscerentur, eadem, cum aliis humano patre natis, lex moriendi, Regum Principumq; ordini, sit dicta; ita singuli horum immortalitate donantur; prout, optimorum Principum æmulati virtutem, ad illam viam sibi sternunt. Id quidem propositum Hunnis videtur, dum non magnificentissimo modò, rerum à Rege suo gestarum, proposito elogio, orbem omnem in cultum e-

jus

jus animarunt; sed superbissimo insuper monimenti ornatu, multum ejus decus illustrarunt, dum ferro, argento, auroq;, exquisitissimum illi addiderunt cultum. Non deerunt, quibus propius ea cura incumbit, officio suo atq; studio, quo Maximi REGVM, quam illustrissimo cultu, resplendeant exuviæ; petetur hîc quoq; & à ferro ornatus, ut victricia arma, quibus tot potentissimorum hostium accidit vires, animo oculisq; recurrant. Sed Argentum quoq; atq; Aurum, ut Aurei, Argenteiq; seculi, quam populis suis reduxit, felix eluceat tranquillitas, addetur. Nos vero, quibus ista nec fortunarum, nec status permittit ratio, quocunq; poterimus modo, devotissimam, fata etiam superantem, fidem ostendemus. ac proinde, quem tam POTENTISSIMVM, tam CLEMENTISSIMVM, Musarum nostrarum habuimus Vindicem atq; Assertorem, Ejus Immortale Nominis decus, solenni Musis ritu, orbi omni legendum proponemus; sicq;, ab interitu & oblivione, vindicare conabimur. Cæterùm Græcorum morem, quo, ne solenni fraudarentur honore demortui, octavo, ante sepulturam, die funus indixerunt, annales referunt. Atq; ejus ritus consuetudinem imitari, neque nobis inconveniens videbatur. Nunc ergo, quandoquidem XIV. hujus mensis dies, Augustissimæ Exequiarum solennitati, quæ CELSISSIMAS Magnæ Animæ, beatorum jam collegio sociatæ, Exuvias, Regio conditorio illatas, DIVORVM MAJORVM cineribus junget, est destinatus: eundem & nos publica Parentatione, Beatis, Magni Vladislai, manibus sacrâ, HORA II. MERIDIANA celebrabimus. Hoc vero, quod publica pie-

tas requirit, novissimæ devotionis officium, ut DOMINI, MAECENATES, FAVTORES, AMICI, AC CIVES ACADEMIAE frequenti præsentiâ dignarentur, multis equidem rogaremus: nisi, quanto cultu summam Tanti REGIS Virtutem prosequerentur, ultrò constaret. Hinc illud ergo saltem, ut, quem tàm sanctè, intra præcordia, conceptum fovent, affectum certo, etiam aliis conspiciendum, teste demonstrent, submisse ac officiosè rogamus. P. P. 1649. 10. Januarii.

MAGNIFICE AC GENEROSE DOMINE

CANCELLARIE:

MAGNIFICI, GENEROSI, NOBILISSIMI AC MAXIME STRENVI, PLVRIMVM REVERENDI, EXCELLENTISSIMI, CLARISSIMI, AMPLISSIMI, PRVDENTISSIMI, SPECTATISSIMI, PRAESTANTISSIMI, HVMANISSIMI, DOMINI, FAVTORES, HOSPITES OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI, NOBILISSIMI ITEM DOMINI STVDIOSI:

ET hoc ergo funestissimo, proh dolor! ac modis omnibus lugubri die, quo INVICTISSIMI VLADISLAI, ELECTI POLONORVM; SVECORVM VERO, GOTHORVM, VANDALORVMQVE NATI REGIS: MAGNI DVCIS LITHVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIAE, SAMOGITIAE, LIVONIAE, SMO-

SMOLENSCIAE, SEVERIAE, ET CZERNICHOVIAE: Fortissimi, dum viveret, Hostium Triumphatoris, Felicissimi pace, belloque suorum Assertoris, Patris Patriæ, Augusti, Pii, solenne funus, fidissima Regiorum cinerum custos, Cracovia curat, nimis heu! certam ejus vocis, quæ *Regum funera, Regnorum vulnera* dicit, experimur veritatem. Adeò ea Regum fortuna est, ut, quamcunque usurpent, ex ea non, nisi summa omnia atque maxima, ad subditos deriventur. Et sanè, si, quanto gaudio ac consentienti omnium applausu, eum Novembris Mensis diem, qui, anno ab hinc Decimo Septimo, noviter Electum Poloniæ Regem, MAGNVM VLADISLAVM intimavit, omnes, quod felicissimè compensatam, gravissimam MAGNI PATRIS jacturam, tanto Successore Principe Filio crederent, salutarint atque coluerint; si porro, quantâ cum oblectatione, ac tranquillissimâ ferè semper securitate, sub inclyto MAXIMI REGIS regimine, quod à VI. Februarii Anni M. DC. XXXIII. quo, solenni inauguratione, confirmatum ipsi imperium fuit, ad Optimorum Principum exemplum, felicissimè semper gessit, & publica universorum, & privata singulorum salus floruerit, creverit, exactius cogitemus: facilè, quàm gravis & acerbus orbi nostro, Maji dies Superioris Anni XX. qui emortualis MAGNO REGI, vix reparabili damno, tot populos afflixit, eluxerit, licebit judicare. Aut, si parum ista

cogitatione assequi possis, Poloniæ eos fines adi; qui adhuc cædibus, rapinis, ac turpissimis efferatæ barbariei facinoribus, quæ, diris ac barbaris ferè modis, felicissimam paulo ante, sub tanto Rege, terram, primis ferè, ab immaturo ejusdem obitu, temporibus infestarunt, calent atq; fumant: ut quam certa populorum salus ejus constiterit Regimine, cujus sublatum morte imperium, tantam miseriam induxit, videas. Sed & sensistis aliunde, & quantum adhuc sentiatis tantum funus, publico, hoc die, teste probatis: quo frequentissimam præsentiam, & lugendo damno vestro, & celebrandis tanti Regis virtutibus, tam faciles, tam prompti impendistis. Testatur Romana Historia, solennissimum exequiarum honorem, servorum manumissorum, libertate donatorum, aliorumq; clientum, quo Dominos prosequebantur, constitisse luctu: neq; aliena multum ab illa Ægyptus, quæ, cum malæ vitæ homines, omni exequiarum solennitate privaret; innocentum contra exequias, non modo summa frequentia deducebat, sed luctui, publicam laudũ recitationem, jungebat. Cõstabit & vobis ea laus, quod probè sciveritis summum libertatis salutisq; vestræ Assertorem, post fata etiam, debita veneratione honorare, dum non modo exequiales Ejusdem honores, tanta frequentiâ augetis; sed justo etiam luctu, graviq; omnino desiderio, doletis mortuum. Illud mihi modo optandum videtur, ut, quandoquidem socianda à me luctui vestro, MAGNI VLADISLAI est laudatio, digna, tan-

ta magnitudine, oratio afferri queat. Et agerem id quoq;, conceptis operosissimè votis: nisi & summæ temeritatis, eo dignam sperare velle laudem, qui non hujus illiusve Academiæ stylum, sed universum orbem, decantandi honoris sui labore, defatigare queat; & summæ iniquitatis res videretur, sub tristissimum tanti REGIS desiderium, quod luctu atq; squalore omnia complevit, oratorii pigmenti curiosum esse, atq; coloris. Cum ergò summum inde, unde oriebatur, solicitudinis hujus nascatur lenimentum: potius, seposito vano isto metu, id agam, ut, quos lugendi, venerandiq; REGVM MAXIMVM, causa venisse video, jure meritissimo ita agere ostendam: non alio tamen, quam, (quod, bona vestra cum gratia, ut liceat, rogo) MAGNVM VLADISLAVM proponente, argumento. Atque hic, dum MAGNVM VLADISLAVM auditis, haud dubito, quin omnis eorum splendor, quos cognomento eo & prisca, & recentiora honoraverunt secula, animum simul vestrum subeat: ast ita, dubio itidem procul, ille subibit, ut, exactius posito calculo, neminem istorum omnium, justius eum Titulum, VLADISLAO obtinuisse, sitis deprehensuri. Ita scilicet vel à virtutis, vel fortunæ nonnunquam splendore, destituti nonnulli occurrent; ut, cum pauci ad pristinam sublimitatem, non absq; gravissima nominis nota, fuerint enisi; alii vitam omnem splendidissimè exactam, fato iniquiori obscurarint; nulli verò, inof-

inoffenſo tenore, magnitudinem ſuam aſſeruerint. Niſi plena, eo documento, eſſet omnis Fabii Maximi, Alexandri, Pompeji, Conſtantini, Theodoſii, aliorumq; MAGNI cognomen meritorum (nec Carolum ipſum, ſi, continuis motuum bellicorum turbis, inquietum imperium cogites, hinc excipe) Hiſtoria; fuſius ſingulorum vitam examinarem: nunc, cum omnium iſta manibus terantur, id ſaltem operæ impendi peto, ut MAGNVM VLADISLAVM contemplati, ſi ullus cum eo, magnitudine conferendus, jure videatur, decernatis. Quod ſi obtinuero, ſimul illud etiam obtinuiſſe mihi videor: adeo & Naſcendi Ominibus, & Gente, & Nomine, & Virtute, & Fortuna, & Bello, & Pace, & Vita deniq;, & Morte, MAGNVM eſſe VLADISLAVM, ut maximis etiam mundi Regibus, Major revera exiſtat. Facile cernitis A. H. quantam dicendorum magnitudinem REGVM MAXIMVS offerat, quam ſi evolutam expreſſius explicarem, quis verborum foret finis? Coibant potentiſſimæ Orbis Chriſtiani Aquilæ, (ne jam Suecicos, Palatinosq; dicam Leones) Romana & Polonica: ac, ne quid ſanctiſſimo Thalami, quo oriundus erat MAGNVS VLADISLAVS, fœderi, fauſtiſſimi deeſſet ominis; eo ipſo, quo, añis CLVIII. antè, MAGNVS JAGELLONICAE, in Poloniâ, ſtirpis propagator, mortalitate erat exemptus, die, caſtiſſimi amoris fide, copulabantur Sereniſſima pectora, ANNA atque SIGISMVNDVS. Quaſi jam tum,

tum, Polonæ felicitatis curioſa cœli bonitas, certo hoc ſponſore, ſufficientem demortui VLADISLAI JAGELLONIS compenſationem, fortiſſimæ genti polliceretur: Et explevit quoq; certiſſimo, hinc conceptâ, ſpem eventu, cum M.D.XCV. V. Idus Junias, tantum Principem, Auguſtiſſimo Regno conceſſit. Hic ſi ex eorum ingenio agere vellem, qui ominum atque auſpiciorum captatores, certum, ex iisdem, fatorum ordinem ſolent condere: dicerem, ſummæ felicitatis indicem, ipſum Diem fuiſſe Natalem, qui cum SS. Martyrum, Primi & Feliciani, memoriæ eſſet ſacer, vel hinc, ea felicitate natum Principem futurum, augurari licebat, ut primas eâ in parte obtenturus eſſet: adderem Sereniſſimam Familiarum Illuſtritatem, in quibus, cum tot fere Regna, quot aliàs Principes, numerarentur; facile, plurimorum populorum imperia, deſtinata MAGNO PRINCIPI, hinc omnes coniiciebant: Nec præterirem, quæ propius huc accedere videtur, invictam Parentum, Majorumq; fortitudinem; hæc enim, cum Leoninis atque Aquilinis inſignibus, diu omni orbi innotuiſſet, hinc nil inferius, aut indignius Heroica illa virtute, ab eadem productum; ſed prout ubique ferè, ita hic etiam, Parentum Filiiq; Genium, indiſſolubili vinculo, à natura, colligatum iri, judicacare poterant: Verum jam, miſſis iſtis omnibus, iſtud omnium inſtar habeatur, quod, cum, ſub divini Sacramenti initiationem, Baptizando nomi-

nis concedendus esset usus, id inprimis, quo Pietate non minus, quam Fortitudine Excelsissimus, VLADISLAVS JAGELLO dictus fuit, obtinuerit nomen. Ita namque omni postea vitæ tempore, statuebat MAXIMVS REGVM, non convenire tanti nominis majestatem, nisi pari virtuti: hinc, quo dignus eo esset, virtute curandum, ut non tam nomine, quam rerum gestarum magnitudine, eum, cujus nomen gereret, exprimeret JAGELLONEM. Quod quidem eò felicius succedere vidisses, quò accuratior, quam JAGELLONI, educatio, à Sapientissimo Parente, impendebatur tam feliciter nato. Non enim, ut ille, aut inter horrendas superstitiosæ idololatriæ tenebras, aut inter incultam barbariei, prout tunc Lithvaniæ facies erat, adolescebat feritatem: sed in clarissimâ, virtutum sanctitatisq; undiquaq; vivebat luce, ut, quocunq; animos oculosq; verteret, illustrissimus ubiq; occurreret splendor, qui, & quâ eundum esset, in spem populorum accrescenti, Principi demonstraret, &, ne quoquo versum deflecteret, exactissimè deduceret. Ea & Sanctissimorum Parentum, Divi imprimis Patris SIGISMVNDI, cujus lateri arctius adhærebat, pietas, sapientia, fortitudo erat; & aliorum, quorum curæ traditus, Regiis artibus asuescebat, Summorũ Virorum absolutissima eruditio atque virtus, ut nil, nisi perfectum atq; consummatum, undiq; posset sperari. Ita ergo, tot populorum futurus Rector,
sub

ſub ſapientiſſimo Præfectorum adoleſcens regimine, iis mentem virtutibus, corpus exercitiis perficit, quæ & ſapientiam in conſilio, & fortitudinem in labore, Regibus confirmant. Ita dum animus ſagacitate, corpus agilitate; dum ille conſtantia, hoc robore; ille armorum inferendorum, hoc tractandorum cognitione; ille conſulendorum denique, hoc agendorum promptitudine inſtruitur. Hi erant ludi, quibus tenera MAGNI VLADISLAI exercebatur ætas; non quieti modò Muſarum atque Apollinis, ſed occupatiores etiam, Martis atque Minervæ. Et utroſque ita tractabat, ut ſumma A LVDIS LAVS ſtatim, ubi VLADISLAVS fuiſſet, demonſtraret. Hunc verè PRINCIPEM Juventutis dixerim, qui non fortunæ eminentia; non ſuperbo oſtri purpuræq; fulgore, aut alio oculis blandienti majeſtatis fuco: ſed virtute, ſed ſtudio, ſed earum rerum curâ, quæ revera, ſupra communem ordinem, evehunt homines, principem ac primum, inter omnes, ſe præſtat: qui, quod olim feliciter conſcenſurus ſit, ſolium, prima ſtatim ætate, ſapientiâ atque fortitudine confirmare diſcit. Quod ſi hunc noſtrum, iis ſuperiorum ſeculorum oratoribus, qui tam ſplendidis elogiis, ſuos juventutis Principes, ornant, intueri licuiſſet: quàm multa, quæ in ſuis deſiderari vidiſſent, à VLADISLAO deſumpta, in exemplum propoſuiſſent iisdem? Quæ cùm ita ſint, quid mirum, ſi, ipſam etiam MAGNI PRIN-

CIPIS ætatem, honor antevertens, iis jam annis, quibus alii, quà contendendum ad ejus fastigia sit, vix capiunt, plena possessione tenendum, se eidem offerret? Decimum sextum vix ingressus annum, Vilnæ, quam celeberrimam Lithvaniæ Metropolin nostis, strenuè excolendo Regio Pectori operatur: cum Duce orbata Moscovia, non curiosis minus consiliis, quàm acerrimis etiam concertationibus, caput vastissimæ provinciæ quærens; post diuturna, ac maxime matura consilia, ex omni Principum Christianorum numero, unum hunc, MAGNVM POLONIAE PRINCIPEM, dignissimum, cui tantum imperium comitteretur, unanimi undiq; consentientium Senatorum suffragio, M. DC. X. mense Septembri judicat. Mirum id videatur cuidam, formidabilem illius potentiam, & imbecilliorem Principis nostri cogitanti ætatem: Sed si virtute, non ætate, MAGNVM censeas VLADISLAVM, jam desinet, quod mirabaris, videri mirum. Communissimum est, quod, Natura teste, de Leonum catulis, referunt illius consulti; impatientes videlicet eos, arctiorum materni uteri angustiarum, hinc unguibus exarantes, atq; perforantes istum, ad lucem festinare: Ea generosissima MAGNI VLADISLAI indoles, qua stimulante, nimium jam, intra privatæ vitæ constrictus angustias, vixerat: in publico sistenda videbatur Magna Virtus, ut, quibus destinarat eam cœli decretum, juvandis hominum reb9, publicè

hè prodeſſet. Etjam in eo omnis tum DIVI PATRIS SIGISMVNDI, tum Poloniæ univerſæ, verſabatur labor, ut, dum Vilnâ Magnus Dux rediret, omnibus, adverſus Demetrianorum nonnullorum ferociam, compoſitis rebus, feliciter imperium ſuſciperet; cum, familiari barbaris, perfidiæ ſcelere corrupti Moſci, novum, præterito MAGNO VLADISLAO, ſufficiunt Ducem. Verùm, prout ſolet temeritatis eſſe exitus, quantum commoda ſua, malè ſano hoc conſilio, juvare, malè feriata gens ſomniabat; tantum incommodorum ſuo ſibi, quod ajunt, accerſebat jumento: eo illuſtrius MAGNI PRINCIPIS effulgente honore, quò obſcuriori caligine tegere eum, conabatur ſtolida Moſcovia. Ita jam tum apparebat, quàm conſtanti fœdere, ſociaſſet ſe VLADISLAO gloria ac honor! Quantis enim victoriis, illuſtrata MAGNI PRINCIPIS fama; quantis cladibus, turpiſſimum levitatis crimen, luerit Moſcovia, cum, poſtquam vindicem eidem intuliſſet exercitum VLADISLAVS, & vaſtis ſe provinciis & villas, oppidaq; hominibus orbari videret: ne Hiſtoriam, quæ omnia iſta prolixè exponit, texere videar, non recito. Vos tamen vel ex his, quæ leviter, jubente tempore, tacta ſunt, Magnitudinem VLADISLAI perſpicitis: quæ verò ut in majus porro creſceret, Othomanicus etiam furor jungendus erat. Mira res eſt, à ſumma adverſitatum difficultate, virtutum promoveri incrementum; &, quo

lucidiſſimè refulget, gloriæ ſplendorem, inter obſcuras laborum naſci noctes. Haud importunè, credo, hoc loco, quæ, de Amphiarai cujusdam telo, Plutarchus refert, incidunt, quod, cum Aquila in ſublime rapuiſſet, in terram delapſum, laurus ſpeciem induerit: VLADISLAI ea tela ac arma fuerunt, quæ magna Aquilæ Polonicæ virtute jactata, cum in Othomannidarum corpora deciderent, mox tot victoriarum laurus, totq; tranquillisſimæ pacis palmæ enatæ ſunt, quot arma à VLADISLAO fuerunt ingeſta. Nunquam, absq; horrore, in annalibus, terribilis ille ejus temporis apparatus, quo bellum & DIVO SIGISMVNDO, & inclyto Regno, inferebat crudelisſimus Tyrannus, legetur. Sive enim copiarum multitudinem, ſive præliorum atrocitatem, ſive dubiam maximè fortunam, ſive, quæcunque alia, bellorum augent pericula ac timorem, conſideres: vix immanius aliud deprehendes. Et tamen, quaſi exſpectarent, VLADISLAI virtutem, ipſa fata, ſimul ac, quod inſtantisſimè DIVVM PATREM rogarat, in eum hoſtem eundi, impetraſſet poteſtatem: poſt conſtantisſimam, innumeri variiq; periculi, atq; laboris tolerantiam, tam feliciter iſtud terminavit, ut ad petendam pacem, coacto Othomanno, quas vellet VLADISLAVS, conditionum accipiendarum neceſſitatem imponeret: ipſe interea Glorioſisſimus Victor, non à ſuis modo omni, qui tantum triumphum decebat, honore; ſed ab hoſte e-
tiam

tiam devicto, legitimæ victoriæ brabejo, quod superiori debebatur, Elephante ornabatur. Quod quidem munus, quàm clarissimè Magnitudinem Victoris denotaverit, facilimè, ex oblatæ feræ mole, demonstrarem, nisi aliò pergendum esse, VLADISLAVS ipse MAGNVS vocaret. Jam enim & ille, postquam, tam illustrissimis felicissimæ virtutis speciminibus, Martem sic Sarmaticum præstitisset, ac, certam opulentissimorum fructuum spem, amplissimo regno confirmasset: sapientiæ etiam perfecturus maturitatem atque consiliorum, in terras alio calentes Sole progressus, ubique magnam virtutis circumferebat imaginem. Ita, quacunque pergebat, & fortissimorum Ducum castra, Heroica magnitudine; & Potentissimorum Regum aulas, excelsissimâ Majestate; & florentissimas urbes, amore ac clementiâ replebat: ut stupore abrepti hominum animi, novum hoc, terris suis affulgens, sidus ubique venerarentur. Quanquam si, quod res est, dicendum, diu jam anteverterat MAGNI PRINCIPIS adventum, maximorum gestorum fama: &, quo pedes nunquam tulerant Augustissimum corpus, ibi repleta jam omnia, virtutum suarum splendore, offendebat. Scilicet, nunquam angustis clauditur terminis, augusta virtus: sed, hac quoq; ratione divinitatis æmula, in dissita quævis penetrans loca, in animis pariter, atq; linguis omnium diversatur. Ac ita quidem, magnæ VLADISLAI virtuti, contigisse vidis-

diſſes, dum per Germaniam, Belgium, Italiam, & alia florentiſſima pergens Regna, honoratiſſimo ubique cultu is ſalutatus, iis vocibus accipiebatur, quibus felicitatem ſuam, paſſim celebrabant omnes, quod intenſiſſimum, tanti videndi Principis, deſiderium, auſpicatiſſima tandem præſentia expleret. Ipſa præſertim orbis caput, ac Domina quondam, Roma, cum ſolennibus, Incomporabilis atque Summi Principis, VRBANI VIII. P. M. literis invitatus, ingrederetur eam VLADISLAVS, multum magnitudini ſuæ acceſſiſſe ſenſit: quod eum ſuſciperet Principem, qui priſcam Heroum ſuorum non exæquaſſet modo; ſed tantò ſuperaſſet magnitudinem, quanto eminet ſublimius, qui divinum honorem, adverſus, impuriſſimos ejusdem, aſſerit obtrectatores, quam qui vaniſſimis, atq; caducis mortalitatis rebus conſervandis, robur ſuum impendit. Et quid mirum, ſi & hic, & alibi, ſolenniſſimo ludorum ſpectaculorumque, fuerit honoratus apparatu, cum tantis victoriis triumphisq;, nuſpiam ſatis cultus decerni poſſet? Communes hinc maximorum Regum Principumque, in colenda ea virtute, contentiones oriebantur ac æmulationes, quæ tanta undiq; illuſtritate effulgebat, ut æmulatione ejusdem, ſumma mundi capita viderentur concertatura. Et jam emenſus circulum ſuum, Sereniſſimus Sarmatiæ Phœbus, puriſſimo iterum radio, quem ſubtraxerat tantisper, patrio ſolo affulgebat: Sed non eodem ter-

termino, virtutum suarum cursum claudebat: quin, prout cœperat, sic, continuo rerum gerendarum successu, prodesse patriæ, ac magis magisq;, quam ad Regium MAGNI PARENTIS solium, suo tempere occupandum, feliciter straverat, confirmare viam pergebat: dum, ita ordinante rerum nostrarum arbitro, post beatissimum SIGISMVNDI III. Optimi simul, atque Maximi Regis, obitum plena ejusdem possessio, consentiente, atque prona omnium, voluntate, eidem concederetur. Hic verò utrum plus mirer, hæsito: Potentissimíne Regni sapientiam, quod, communi quasi oculo, Excellentissimam VLADISLAI respiciens virtutem, Ejus potissimum præsidio regni salutem tradendam, qui, quanto, adversus invasores, eam asserturꝰ esset robore, à primis ferè primæ ætatis annis, abunde docuisset, statuebat: an raram, atque insolitam MAGNI VLADISLAI felicitatem, quam adeò maximis virtutibus stabiliverat, ut, cum, maximorum Christiani orbis Principum calculo, ac commendatione, ad Regni fastigium eveheretur, ne ullus quidem, qui æmuli sibi partes sumere auderet, inveniretur? Ita Majestate nominis omnia impleverat, ut primas ei ubiq; omnes cederent, dum parem se ei nemo, nedum superiorem, proprio judicio censeret. Atq; hoc tam felicissimum regni auspicium, quis nisi felicissimus exciperet successus? Equidem quo animo, quâve lege, Regiam dignitatem esset gesturus, sub prima

ſtatim regnandi initia,abunde domonſtrabat, cum nil prius, nil ſolertius curandum ſibi ſtatueret, quàm ut, quæ imminere videbantur, graviſſimis bellorum turbis erepti ſui, optatiſſimâ pace fruerentur ac tranquillitate. Quamvis enim gravior longè & Moſcorum, & Turcarum clades, quâ à Magna VLADISLAI virtute afflicti erant, fuerat, quam ut ulla, etiam longiſſimâ, annorum ſerie, animis atq; memoria excuti poſſe videretur: tamen, prout nativam impuris mentibus, levitatem atq; perfidiam, paulo ante audiviſtis, ita non poterant, niſi ſuo Genio atq; more agere. Hinc ergo priores illi, non exſpectato, quas emendicaverant, induciarũ termino, ad arma transvolantes, magnâ quidem contractarum copiarum mole, exorientem novi regni ſplendorem impedire conantur: ſed quam inſtar vaniſſimæ nubeculæ, unus Magni VLADISLAI vultus, noviter Polonorum Regno exortus Sol, tam facilè diſſipavit, ut non modo barbara Moſcorum gens; ſed & præcipuorũ, è Germania, Equitum, quos in ſocietatem nefarii belli iſta pertraxerat, temeritas, æterna nominis ignominia notata, nunquam ejus diei ſit oblitura, quo ſupplex magni Victoris advoluta pedibus, quam perfidiâ amiſerat, illius clementiâ vitam retinebat; Magnus verò Victor, glorioſiſſimo triumpho illuſtris, novo novum regnum augmento ampliabat. Et potuiſſet quidem, hæc tanta perfidorum calamitas, admonuiſſe Turcarum ſtoliditatem, ut cautio-
res

res alieno infortunio, tanto magis ſceleratis molitionibus abſtinerent, quantò ſanctiori juris jurandi fœdere, difficulter impetratam, pacem confirmaſſent: verum tantum aberat, ut id curarent, ut fatali quaſi perciti ſtupore, ultro in perniciem ruentes, majoris gloriæ campum, invictæ VLADISLAI virtuti aperirent. Tam ſubito quippe, perjurio laborans, hæc corruit moles, ut ne aſpectum adventantis MAGNI REGIS ſuſtinens, ab armis & hoſtilitate, ad preces converſa, errori veniam, ſibi pacem deprecaretur. Qua etiam potiebantur, pro ſumma VLADISLAI moderatione, ſed iis legibus, atq; conditionibus, circumſcripta, quas, ante id tempus, vix votis concipere, Auguſtiſſimum Poloniæ Regnum fuiſſet auſum; nunc tamen, à Majeſtate novi Regis adacti Turcæ, gratiis etiam, ſupplicum more, actis, ultro acceperunt. Non licet ſingula, utut digniſſima explicatu ſint, proferre, cum immenſa maximarum rerum copia, innuere potius, quam enarrare, plurima jubeat. Poſtquam ergò, ſummis hiſce victoriis, ampliſſimas Mundi plagas, quâ Meridiem, quà Orientem ſpectat, impleverat VLADISLAI magnitudo, ac, quæ inde metui poſſent, ſopitis periculis, tranquilla quiete terras ſuas donârat; aliud gravius Septentrio, minari iis malum videbatur. Sed & hoc quàm feliciter deflexerit, quis digne explicet? Quod enim adhuc, cum inclyto Poloniæ regno, Patria hæc noſtra, avidiſſimorum hoſtium faucibus erepta;

quod templis suus honor, quod legibus sua sanctitas, quod agris suus vigor, quod tectis singulorum atque vitis, incolumitas sua constet atq; salus, uno verbo, quod Pacis (o æternum tanto muneri, vigorem adde pacis Deus O. M!) bono fruatur, id uni, post DEVM, MAGNO VLADISLAO acceptum refert. Hic enim cum posset, prudentum more, nolebat durioribus omnia experiri mediis: sed Patrem Patriæ se gerens, etiam privatarum fortunarum incuriosior, saluti publicæ asserendæ studebat. Hinc Illustrissimorum, quos Potentissimi orbis Christiani Reges ac Principes, sorte nostrâ tacti, clementissimè tanto operi destinaverant, Dnn. Legatorum sapientiæ, omne id negotium committens, quicquid illi, salva Regiæ gloriæ, sublimitatisq; magnitudine, pro bono publico essent consultaturi, id sibi omne gratum futurum atq; ratum edixit. Atque iis tandem modis, tertiæ à Septentrione etiam pacis Serenitas, novo exorto, Regni Polonici, benignissimo Sole, clarissimè effulsit, quæ Illustrissimo fulgore, & MAGNI VLADISLAI illustrat decus; & clarissimâ luce, ut qua lege suscipienda, quo fine item terminanda bella sint, videant, Principum animos perfundit. Facilis, & nimium facilis interdum, in bella prolapsus: sed, postquam semel ab animo, vel temeritate, vel iracundiâ abrepto, jacta est alea, difficilis ad pacem reditus. Adeò, quemadmodum præcipitatus exundantis, aggeribus ruptis, fluminis

nis impetus, difficiles, quibus ſiſtatur, obices admittit: ita, poſtquam effuſa iræ temeritatisque licentia, ſævire in obvia quævis incepit, vix ac ne vix coercetur; cum, libidine rationis excutiente regimen, pro lege affectuum illecebras ſectantur, ii præſertim, qui ſuperbas admoverunt ſceptro manus! Quæ hic, ita delirantibus Regibus, miſeros populos ſpes teneat, ſalutis ſuæ curam geri; ne dicam, fore, ut publico bono cedant Principum iræ, ac ita terminus inimicitiarum, prout id boni publici requirit ſtatus, ſtatuatur? Aſt adeſte! adeſte Principes atque Reges, ac, quem magno exemplo vobis ſiſtimus, VLADISLAVM accuratius intuemini: ut ab eo quoque, quam glorioſius longe vobis ſit animi impetus, quam hoſtium vincere exercitus; quam dignum vobis, quæ ſuprema omnium, eam & bellorum ſive ineundorum, ſive finiendorum legem ſtatuere, publicam ſalutem, diſcatis. Hac ad im̃ortalitatis, dum viveret, honorem proceſſit VLADISLAVS; quam quia, cum pari immortalitatis laude, tam ſtudioſiſſime, à DIVO VLADISLAO JAGELLONE, tritam, è patriis annalibus probè perſpexerat: non modo imperterritum animi robur, ſed propenſiſſimam quoque, in pacis ineunda fœdera, promptitudinem, cum Illo, orbi demonſtrare volebat. Felices vos, ſi comites ejus viæ jungamini, quo ſocii quoque ejusdem honoris exiſtatis! Sed, ut ad VLADISLAVM redeat ora-

tio: vidiſtis, credo, quam ſolidiſſimis fulcris, prima ſolii ſui ſuperſtruxerit fundamenta, cum longè, quicquid concutere ac turbare poterat, remoto; fœdera, pacem, quietem, exemplo ſapientiſſimi Regum, promoveret: nunc, quibus eam felicitatem tutatus ſit modis, brevibus, cum aliter tempus non permittat, ſubjungam. Haud ignorabat aliàs MAGNVS REX, pluribus partibus veram regnandi artem conſtare: quæ tamen ipſe ad pauciora referens capita, ita feliciter cuncta ſucceſſura ſtatuebat, ſi & intemerata pietate DEI, & inoffenſa juſtitia ſubditorum res curaret. Vel, poteratne aliquid, ſive confirmandæ Regiæ Majeſtati, ſive aſſerendæ populorum incolumitati, ſalutarius excogitari? Actum agerem, ſi decantatiſſimos Pietatis fructus hic prædicarem, quippe quæ una, ſi opes deſideret Rex, inexhauſtum Gazophylacium eſt; ſi vires, inſtructiſſimum armamentarium eſt; ſi ſecuritatem, inexpugnabile fortalitium eſt; ſi conſilia, ſapientiſſimum ſenaculum eſt; & quicquid deniq; deſideret, opportuniſſimum promptuarium eſt. Hæc, dubio procul, non canorum minus, quam imperii Majeſtate, omnibus venerandus, haut ita pridem, inclyto Daniæ Regno, deploratus, Rex cogitans, *Pietate Regna firmari* dixit. Hoc expertus Regni ſui fulcrum, (quidni enim ſæpius, Auguſtum, VLADISLAI JAGELLONIS, repetamus nomen?) tanto cultu tam, divinam veneratus eſt virtutem, ut paucos ſui ſimiles habuiſſe legatur.
Anna-

Annales iterum, ubi vacat, adite, &c, quâ prompti-tudine, deposito superstitionum fascino, verum pietatis cultum susceperit, quanto zelo susceptum promoverit, qua munificentiâ promotum, ad novissimos vitæ annos, conservaverit, cognoscetis. Mirabuntur alii alia: nos hac vice, excelsissimam REGIS Majestatem, eo se demisisse mirabimur, ut Christianorum Mysteriorum sacris initiatus, cum omnem iisdem Lithvaniam imbuere vellet, nec esset, qui è Religiosis, quod linguæ ejus destituerentur usu, id præstare posset, ipse Catechistæ munus obiens, prima Christianæ fidei rudimenta, barbaros docuerit. Nec obscuriora hujus studii, in Polonia, documenta reliquit, cum fortius depellendæ barbariei, promovendæ pietatis & scientiæ causa, Illustrissimam Cracoviæ Academiam & fundaret, & tantâ, quantâ vix ulla gaudet, munificentiâ dotaret. Ea, inquam, omnia, Annales vos Polonici docebunt: sed & id discetis, quam exactissimè ista omnia expleverit MAGNVS Hic VLADISLAVS noster. Sane non derunt, qui piam istam munificentiam, qua divino cultui dicata sacraria illustravit, fusius explicabunt: nos, ut ea saltem, quæ propius nos tangunt, attingamus, cui ignotum est, laudabile MAGNI REGIS institutum: quo, si posset amica quædam animorum, in uno Deo docendo, colendoq;, produci conspiratio, summo studio, nec minori sumptu, experiri volebat. Non equidem eas hic mihi partes sumo, ut omnem

omnem, ejus consilii, excutiam rationem; sed flagrantissimum illud, PIISSIMI REGIS, desiderium admiror, quo non Ecclesiasticis minus, quam Secularibus Regni sui hominibus, concordiam atque pacem parare conabatur. In Musarum verò sedes, Academias, quo affectu fuerit, pluribus prædicabit ea, quæ Vilnæ floret. Neque enim adhuc excidisse eidem puto, stupendam eam clementiam, qua stimulatus MAGNVS VLADISLAVS, celeberrimum Sarmatiæ Vatem, Laurea Theologica ornandum, annuli, digito detracti, donatione dignabatur. Scilicet & hoc pronubo annulo, omnino pietati, divinoque cultui, maritatum pectus testabatur. Scilicet, publico hoc teste, quo honore digna esset, ea sapientiæ divinæ præceptrix, quæ adeo sordere plerisque, excelsioris fortunæ, Viris solet, ut infra Majestatem etiam suam, ejus curam judicent, docebat. Et tantū affectū, cum dicti loci Musæ sint expertæ: nō dissimili, si non eadem, fortuna, aliæ usæ fuerunt. Quin ipsa hæc nostra Academia, quantum Potentissimi præsidii hinc senserit, adhuc confirmant, clementissima Rescripta atque Responsa, quibus immunitates ac privilegia non modo confirmata, sed aucta etiam fuerunt atq; amplificata; confirmat clementissimum illud alloquium, quo, cum præsens hic nobis esset, pro inaudita humanitate sua, & sublevabat oppressam, & media emergendi, ultrò indicabat. Justitiæ verò laudem, diu jam exspectare videmini,
quam

quam tamen eò minus à me dilatandam puto, quo notior eadem nobis omnibus exiſtit. Ecquis enim noſtrum ferè eſt, qui non aut ipſe, ita ferente occaſione, aſpexerit; aut aliunde reſciverit, ſummos illos labores, quos ægro etiam, atque laborante corpore, æquiſſimâ ſemper tolerantiâ, cauſis cognoſcendis impendit, atque juri dicendo, MAGNVS VLADISLAVS. Lectulo etiam affixus, aut, vacillantibus viribus, tribunali inſidens, nunquam juſtitiæ deſerebat curam: quam, à multis, ſolo voluptatis luxuriæque ſtudio, haud absque præſentiſſimo populorum detrimento, deſeri cernas. Non eo animo VLADISLAVS; ſed uti conſtare, absque juſtitia, regnorum felicitatem, non poſſe probe norat: ita tantam ſuo regno promittebat, quantum ipſe Juſtitiæ cultui operæ tribueret. Cum verò efficaciſſimum juſtitiæ propagandæ medium, ſuperiorum exempla præſtent; nec ſibi quicquam, niſi quod jura, atque publici ſtatus leges permittebant, licere volebat: quam diſpari ab iis exemplo, qui obſtinatâ arrogantiâ, quod ſemel placuit, nec emendari volunt, nec mutari; eo usque etiam, qua inſtructi divinitus ſunt, poteſtate inflati, ut divina humanis miſcendi, jus ſibi ſumant atq; poteſtatem? Quam prudentius, cum MAGNO VLADISLAO, populis ſuis conſulunt illi, qui ſatius ducunt, ad boni publici normam, quàm ad virium poteſtatem, conſiliorum exigere ſucceſſus: atque ita, dum illis leges ferunt, & jus di-

cunt, sibi ipsis legem figunt, Deum atq; virtutem. Cujus verò rei quem fructum habeant, si quæritis, MAGNVM iterum VLADISLAVM cogitate! Hic enim, quod florentissimam, AVGVSTISSIMI REGNI, felicitatem indies crescere viderit, quod tàm constantem suorum amorem, atque subjectissimorum obsequiorum promptitudinem, sit expertus, unde tandem ista omnia, nisi ex divinissimo divinæ justitiæ fonte, promanasse putetis? Est ea Optimorum Principum felicitas, ut, quo magis ipsi, ex Justitiæ præscripto, suum singulis tribuunt, atque conservant; hoc largius, omnem sibi prosperitatis tribui, divinitus copiam sentiant. Id quam cumulatissimè MAGNO VLADISLAO contigerit, inter alia, AVGVSTISSIMORVM THALAMORVM CELSITVDO, atque hinc apparens felicitas, illustrissimè orbi omni testari posset: nisi probe constaret, solidiora Regiæ felicitatis fundamenta illis esse, in quæ non minus juris fortunæ, quam, in communem humanorum omnium statum, obtinet dominatus. Quæ cum, non absq; funestissimo dolore MAGNVS REX experiretur, altius erecto animo, non tàm (ututalias maxima, ast quia humana) vana illa, ac caduca fortunæ ludibria; quàm eas, quarum mentionem fieri à nobis, paulò ante audivistis, virtutes, ac, quæ hinc derivatur, gloriæ æternitatē, vera Regum esse ornamenta statuit. Hac itaq; mente, cum omnem vivendi felicitatem, solidissimè stabili-

biliviſſet: neq; aliâ morientem vidiſſes. Dicendum enim, quamvis ab invitis, quod dolor juſtus, atq; graviſſimus luctus jubet: fatale tandem & MAGNO VLADISLAO, imminuiſſe tempus, quo FELICITATIS humanæ terminus, divinæ in cœlis gloriæ fieret auſpicium. Sed & hic non alium, niſi MAGNVM VLADISLAVM, intuere! Eam quippe, omni mortis metu ſuperato, Magni Animi oſtendebat conſtantiam, ut, non minori alacritate, noviſſimum hunc hoſtem; quam priores omnes adoriri conſveverat, invadere videretur. Ita omnem ejus impetum feliciſſimè eluſit, ut, cœleſtibus præſidiis munitam, animam, poſtquam ſolita conſtantia VALE omnibus dixiſſet, cœlo reddens, glorioſiſſimo, inter cœlites, triumpho jam potiatur. Et ita quidem MAGNVS VICTOR, nova felicitate beatus, ineffabili gaudio perfuſus ovat; aſt quis, luctus illius etiam, effari queat magnitudinem, quo TANTVM REGEM tot deſiderant Provinciæ? Eſt ſiquidem, tam Optimorum Principum, ea felicitas, ut, cum indivulſum, per omne vitæ tempus, comitem ſuorum amorem habeant: poſt mortalitatis etiam expleta fata, triſti luctu deſiderentur, ac, cum aliud nihil poſſit ſubditorum pietas, æterna, devotiſſimæ memoriæ, veneratione colantur. Id, Numæ & Auguſto ſuo Roma; id Optimis quibusque Principibus, Græcia olim teſtata eſt: neq; aliter vos A. H. affectos eſſe puto; quin, cujus MAGNITVDINEM, ex

ſummo magis felicitatis veſtræ incremento, quam ex jejuna hac delineatione, percepiſtis, eum tam ſubito, tam præter omnium ſpem, ereptum vobis acerbiſſimè doletis. Et meritò ita agitis: neque enim ulla unquam rerum magnarum jactura, absq; magno contingit dolore. Aſt id quoque curate, ut, cum infirmitatis quoddam argumentum, muliebris videatur luctus, id moderamē veſtro imperetis dolori, ne nimiū ei indulgentes, MAGNITVDINEM felicitatis, quam inter Beatos MAGNVS VLADISLAVS experitur, lædatis. Haud exiguum luctus, qui Auguſti ſequebatur mortem, Romæ lenimentum ſtatuebat, nuncius ille prætorius, qui cremati iſtius effigiem, in cœlum euntem ſe vidiſſe, jurabat. Et quam certior nos tenet fiducia, beatiſſimum cœlitum conſortium adiiſſe, MAGNVM VLADISLAVM, ac auguſtiſſimum eum ibi tenere locum, quem Patriæ Patribus, inter beatos, deſtinatum, Romanus prædicat Orator; nos autem optimis Principibus, Soſpitatoris merito, paratum, certiori ſcientia novimus? Hinc, ſi nonnullorum funeribus non exequiales, ſed triumphales honores habitos invenimus: & nos, auguſtiſſimum hunc potius, BEATO VICTORI, gratemur triumphum, quo, omnibus mortalium coronis ſublimior, cœleſti ovatione perennat. Magnos verò cineres dum, hoc ipſo die, Cracovia recondit: conditorii inſtar, animos noſtros ita paremus, ut æterna memoria MAGNI VLADISLAI aſſervent
vent

vent virtutes, iisq;, quocunque fieri poterit modo, devotissimum deferant cultum. Si namque Constantis, Severi Impp. & aliorum insuper cineribus, is honos habitus est, ut aureis inclusi vasculis passim circumferrentur: auri soliditatem, vincat constans, intemeratæ fidei, devotio, quæ æterna pietate, MAGNVM VLADISLAVM & conservet ipsa, & aliorum præconiis celebrandum circumferat. Si anniversarias exequiarum solennitates, Optimis populi Rectoribus, haud uno in loco, institutas legimus: Maneat æternum id nobis studium, quo, citra annorum numerũ, solenni veneratione, MAGNI ASSERTORIS memoriam recolamus. Inprimis tamen si Marcello, nobilissimum Athenarum Gymnasium, testante singulari ibidem monimento, præstitit sepulchrum: ea perennis, Academiæ hujus nostræ, erit cura, Cujus Clementissimo præsidio, tam potenter fuit defensa, Ejus immortalem nominis honorem, quibuscunque, per vires licebit, monimentis æternitati consecrare; aut, si impares ei rei vires suas senserit, id saltem agere, ut suo exemplo, doctiores animatæ Musæ, dignis encomiis celebrent MAGNVM VLADISLAVM, Optimum Patriæ Patrem, Invictissimum Triumphatorem.

PANEGYRICVS XV.

APPLAVSVS GRATVLATORIVS,

AVSPICATISSIMA

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS ET DOMINI, DOMINI

JOHANNIS CASIMIRI,

POLONIAE ELECTI REGIS, MAGNI DVCIS LITHVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIAE, SAMOGITIAE, LIVONIAE, SMOLENSCIAE, SEVERIAE ET CZERNICHOVIAE,

SVECORVM, GOTHORVM, VANDALORVMQVE

HEREDITARII REGIS:

IN AVGVSTISSIMO POLONIAE REGNO,

INAVGVRATIONE

EXCITATVS,

AC

SVBIECTISSIMAE DEVOTIONIS ERGO,

HVMILIME

EDITVS.

INVI-



INVITATIO AVDITORVM.

ET qui possemus aliter, quàm lætissima pietate, hujus diei, quo sublato, Augustissimi Polonorum Regni, squalore, novam eidem inducens serenitatem cœlestis bonitas, quem inter sceptra ac diademata natum, conspirantibus omnium, divina inspiratione, voluntatibus, SERENISSIMVM POLONIAE PRINCIPEM, AC HEREDITARIVM SVECORVM, GOTHORVM, VANDALORVMQVE REGEM, JOHANNEM CASIMIRVM, REGEM POLONIAE, MAGNVM DVCEM LITHVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIAE, SAMOGITIAE, LIVONIAE, SMOLENSCIAE, SEVERIAE, CZERNICHOVIAE, XXVII. Superioris anni, Nov. electum, haud absque effusissima animi lætitia, accepimus; eum solenni inauguratione confirmatum, in Patrio, Fraternoque solio locat, festivitatem celebrare? Equidem, non nisi Dei O. M. munus, Reges esse, præter fabulas, quæ tamen, elegantissima prudentiæ, ac saluberrimorum monitorum sunt involucra, & profanas Historias, sacra ipsa pagina adeo perspicue confirmat, ut non modo à Deo potestates esse referat, sed Deum ipsum, per se Reges regnare, orbi omni intimantem proponat. Atque hinc, si piissima gratitudine, omnia cœlestis munificentiæ beneficia, & accipienda, & usurpanda sunt: quàm modis omnibus exactior atque curiosior ea, in eo munere celebrando, esse debeat, sine quo muneris

neris reliqui nullius fructus esse potest, facilè judicabunt omnes. Hic, si omnia, quæcunque Dei munere possides, excutias, nullum ferè usum singulorum experieris, nisi Optimorum Regum Principumque patrocinio, tuta sint atque muniantur. Vel annon, & fortunarum amplissimum etiam affluxum, alienæ prædatorum atq; furum aviditatis; conjugum, liberorum, & propriam capitum vitam, truculentæ latronum atq; homicidarum crudelitatis; ædium ipsarum securitatem atque vigorem, direptorum atq; devastatorum feritatis, injuriis exponi sentis, nisi, quæ legibus salutaribus latis, coerceat maleferiatorum istorum cupiditates, atq; tranquillitatem præstet suis, summa Regum, Principumq; terras custodiat potestas? Et, cum privatarum rerum ista facies, Rectoribus destitutarum, sit atq; fortuna, an aliam publicè futuram putas? Sive enim sacra pietatis, quibus Deo suus defertur cultus, consideres officia; sive, quibus civilis, inter se devincta, societas, intra florem suum constat, legum atq; judiciorum rationem expendas; sive ea, quæ mutuis vel commodis juvandis, vel sublevandis damnis, inservire solent, amicitiæ jura cogites; quis omnium istorum futurus est status, si sibi relicta hominum inconstantia, pro lubitu singula gerat, nec adsit, qui administrandorum, aut instituendorum istorum, modum præscribat, summus magistratus? Pacis aliàs bonum, eo præconio celebratur, quod videlicet, omnem reliquum felicitatis humanæ complexũ, contineat: & tamen quàm ea ipsa, nisi, Principum atque Regum, vigili dirigatur prudentiâ, gravissima interdum rebus hominum damna gignat, dum inter o-
tium

tium & tranquillitatem, luxurians populi animus, variis molitionibus atq; tumultibus, subministratas occasiones invenit, nemo est, qui ignoret. Et quomodo ignoret, cum recens inclyti ipsius, de quo agitur, Regni facies, idipsum certissimè omnium confirmet? Hoc enim, cum, prudentissimo MAGNI VLADISLAI administratum imperio, intra tranquillissimam pacis quietem agens, tumultus omnis atq; seditionis pericula ignoraret: quam subito alia rerum, postquam amisso, per supremam fatorum legem, TANTO REGE, cujus solicita vigilantia ac providâ curâ, foveretur, occurrebat nemo, exorta facies apparebat? Quæ ibi excita crudelissimorum hominum licentia, cum, quem timeret, superiorem non habere se putaret, atrocissima patraverit; quantis expilationibus fortunas, quantâ crudelitate vitam aliorum infestarit; quantis vastitatibus terram, quacunque incedebat, impleverit; adhuc testatur Panicus ille, qui non modo magnam Potentissimi Regni partem, sed affines quoq; provincias, adeo perculserat, metus, ut extrema sibi, suisq; imminere timerent omnes. Atque horum omniũ, quem fontem dixeris aliũ, nisi Anarchiã, qua afflictum Poloniæ Regnum, tantam miseriæ cladem est passum? Adeò & greges Pastore destituti, ferarum; & populi Rectoribus, malèferiatorum hominum, libidine opprimuntur: adeo nec naufragii pericula, absq; prudenti Rectore navis; nec vastitatem atq; interitum, absq; supremo Magistratus gubernaculo, Respubl. evitat. Imò si liceat mente, vel minimũ temporis punctum, concipere, quo, absq; DEI providâ mente, universitatis deprehendatur orbis,

annon, in pristinũ chaos, relapsura omnia videantur? Hæc, hæc igitur, & quæ modis omnibus majora, numero plura, excludit temporis, scopiq; hujus, ratio, dum hoc die, EXOPTATISSIMI AC DESIDERATISSIMI CASIMIRI REGIS concessione, pro singulari, quâ nos curat, clementia, æternus mundi Rector, novâ possessione usurpanda largitur: quid æquius, quam omni hymnorum, præconiorum, & reliquæ pietatis, genere tantam Dei bonitatem venerari? Et pergite igitur, prout cœpistis, tam divino indulgere studio, eâ certissima spe freti, tanto majoribus, in dies, bonis tantum munus auctum iri: quanto plures, piæ vestræ devotionis, cœlo sitis comprobaturi testes. Ea namq; D.O.M. summa, in nos, munificentia judicatur, ut, eo majori semper promptitudine, sua nobis conferat beneficia; quò certiori gratitudine, quæ contulit nobis, acceptari videt: & hominum sive dignitas, sive indignitas, quæ cœlestibus bonis juvetur, decernitur ita; prout æstimare hæc ipsa consvevit. Quare horũ memores Musæ Academicæ, cum Augustissimo Poloniæ Regno, multum & incolumitatis, & illustritatis suæ, debere se probè sciant: sui quoq; officii esse, ejus muneris, cujus non minor ad se, quam ad reliquos Regni, Provinciarumq; adnexarum ordines, fructus redit, peculiari devotionis teste, celebrationẽ, judicarũt. Hinc & solenni Gratiarum actione D.O.M, summo tanti muneris autori, pietatem suam; & SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE, POLONIAE NOVITER CONFIRMATO, SVECIAE HEREDITARIO, REGI, JOHANNI CASIMIRO, humilima Gratulatione, subjectionem suam testari constituerunt. Huic verò solennis-



ſimæ Panegyri, cum Octavum ab hoc diem, qui erit XXIV. dies Januarii, cum ob publica Sacra, IMMORTALI MAGNI VLADISLAI HONORI, instituenda, citius non liceat, destinarint: iterum DOMINOS, MAECENATES, FAVTORES, AMICOS AC CIVES SVOS ſubmiſsè, officiosè, ac amicè invitant, ut, quem affectum ſibi, haud ita pridem, exhibitum, devinctisſimâ adhuc gratitudine, colunt; eodem ſe, hac quoq; vice, finitis ejus Dominicæ Sacris, dignari velint. Sed & impetraturas ſe, quod rogant, eò certius confidunt; quò illuſtrius, & devinctisſima ſingulorum ſubjectio, quâ SERENISSIMO POLONIAE REGI, atq; INCLYTO REGNO ſubmisſi vivunt; & addictisſima bonis literis benevolentia, omni tempore apparet atq; loco. P. P. ipſo SOLENNIS INAVGVRATIONIS Die, qui erat XVII. Januarii, 1649.

MAGNIFICE DOMINE RECTOR,

GENEROSI, NOBILISSIMI, MAXIME STRENVI, PLVRIMVM REVERENDI, EXCELLENTISSIMI, CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, CLARISSIMI, AMPLISSIMI, PRVDENTISSIMI, SPECTATISSIMI, PRAESTANTISSIMI, HVMANISSIMI, DOMINI, AC FAVTORES, HOSPITES OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI, NOBILISSIMI ITEM DOMINI STVDIOSI, AMICI CHARISSIMI:



Vm duo, ſub Solenniſſimam, Splendidiſſimæ hujus Panegyris, Feſtivitatem (cui quod etiam, honoratiſſimam commodare præſentiam, volueritis, devinctiſſimâ mente gratias habeo) agenda

mihi videam;& Deo, tanti muneris autori, debitas ſolvendas gratias, & Feliciſſimo Novi Regni Auſpicio, continuum felicitatis ſucceſſum exorandum: quodnam aliud, ſive debitum,religionis ac pietatis noſtræ,cogitemus officium; ſive illuſtriſſimam inſtituti noſtri dignitatem; aptius ſtatuam initium, quam, qui & immenſa Majeſtate maximus, & ſanctitate puriſſimus, D. O.M: cujus uti potentiſſimo arbitrio,Regna transferuntur atq; ſtabiliuntur; ita indulgentiſſima bonitate non, niſi Reges Optimi atque Pii, contingunt? Si namque Pagana quoque profanitas Romam,ita,quascunq;,lætitiæ,felicitatisque publicæ,declarandæ cauſa,Panegyres atq; ludorum ſolennitates inſtitueret, ſuſcipere, ut ſemper cum honore Deorum jungerentur, docebat: ecquid nobis eſſe animi debet, quos, graviſſimo acerbiſſimi luctus ſqualore, extractos æterna bonitas, dum,mirando,Illuſtriſſimorum inclyti Poloniæ Regni Procerum,conſenſu, SERENISSIMVM AC POTENTISSIMVM PRINCIPEM AC DOMINVM, DOMINVM JOHANNEM CASIMIRVM, NATVM SVECORVM, GOTHORVM AC VANDALORVM REGEM, haud ita pridem POLONIAE, NOVVM ELECTVM REGEM, MAGNVM DVCEM LITHVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIAE, SAMOGITIAE, LIVONIAE, SMOLENSCIAE, SEVERIAE, CZERNICHOVIAE, in Fraterno,

Pa-

Patrioque collocans solio, in summum pristinæ felicitatis, splendorem transtulit, ac gaudio exoptatissimo perfudit? Equidem, nisi omnino falsa mens est, ita fore indubia statuit, ut universa patria in laudes Dei effusa, una voce atq; lingua, id beneficii prædicandi ergo, ita erumpat:

Attendite universi populi! Audiat terra vocem oris mei! Exurgam diluculo, & psallam Domino in nationibus, quia ipse immisit ori meo, canticum novum! Exurge Psalterium & Cythara! Exurge gloria mea, ac confitere nomini altissimi, quoniam exaudivit me, & factus est mihi in salutem! Confitebor tibi Domine, quia magna est, super cœlos, misericordia tua, quâ respiciens luctum meum, ac mille, inde periculorum, promanantes metus, felicissimo gaudio ista commutasti. Confitebor tibi Domine, quia, quam, vindice dextra, haud ita pridem capiti meo excussisti, nunc benignissima misericordia reddidisti, coronam. Confitebor tibi Domine, quia, quam omni quasi destitutam cura, immanissimorum hostium cessisse videbaris crudelitati, Optimo populorum Pastori curandam tradidisti. Eduxisti ita, ex angustiis, populum tuum in exultatione, electos Tuos in lætitia: hinc æternum, immortali tuo honori, mea pietas panget carmen.

Et quidni, piissimas eas, dulcissimæ patriæ, voces, singulorum devotio æmuletur? Imo *sit benedictus Deus patrum nostrorum; sit benedictum Augustissimum Majestatis suæ nomen; & laudabile, & gloriosum in secula:*

quia, flagrantissimis, atrocissimarum seditionum, flammis, cinctos undiq; asseruit, & miserrimo mortis metu liberavit.
Ergò agite!

Immensas Domino reddite gratias,
Lætis unanimes plaudite vocibus,
Lætanti Dominum dicite carmine,
Aeternam Domini dicite gloriam,
Aeternis Dominum tollite laudibus.
Nam vos eripuit mortis ab unguibus,
Nam vos è mediis eruit ignibus.

Tibi verò, SERENISSIME REX, DOMINE CLEMENTISSIME, qui, quod diu virtus Tua mereri videbatur, tandem cœlesti consilio, ac blanda consentientis, Totius Augustissimi Regni, conspiratione, Regiũ Decus jam suscepisti; qui divi Parentis, Magniq; Fratris, Summorũ Regũ exemplo, tot florẽtissimarũ provinciarũ, curã ac moderationẽ subiisti: quem alium subjectissimæ devotionis testem, sub primum Regni auspicium, sistamus, quàm pios mentium, fausta undiq; ac felicissima precantium, applausus? Atque hos ipsos dum proferre conatur, paupertinum hoc, ubique hæsitantis ferè, ad Majestatem Tam, oris eloquium; non equidem, quàm multum, à divina Tua Magnitudine, hæc mea absit tenuitas, ignoro: sed tamen, cum & Deum ipsum, non tam accuratis adorantium precibus, quàm, sancta mentis innocentia atq; puritate, delectari constet: Te quoque, qui jam Majestate inter mortales,

non multum abes ab illius celſitudine; neque affe-
ctu, multum, ab hac ejusdem virtute, abeſſe confi-
dens, id unum humilima voce, ut, quodcunque ſty-
lo dignitatis deeſſe videatur, puriſſima animi pietate,
compenſari clementiſſimè patiaris, oro. Cæterum
ſapientiſſimum hoc, antiquiſſimorum ſeculorum,
placitum, quo, cum ardua omnia, non niſi auſpica-
to inchoanda ſtatuerent; omnium autem arduorum
magnitudinem, regnorum ſuſcipiendorum ratio-
ne, ſuperari viderent, ſolenniſſimis iſta modis in-
ſtituenda, eſt conſtitutum; notiſſimum omnibus &
ſingulis, quotquot adeſtis, omninò puto. Hinc
namque ſolennis illa, inaugurandorũ Regum, con-
ſuetudo; hinc acclamationum ac gratulationum ap-
plauſus; hinc exquiſitiſſimarum feſtivitatum inſti-
tuta: quæ uti & priſcis, & noſtris, hominibus com-
muniſſimo uſu recepta; ſic innumero rituum ge-
nere variantia, ſi hoc loco exponerem, aut de ſumma
veſtrâ. A.H. rerum civilium dubitare prudentiâ, aut
laureolam, in hoc muſtaceo, quærere viderer. Nunc
cum & iſtud turpiſſimæ impudentiæ; & hoc non
vanioris arrogantiæ ſit: illud ſaltem, pro veſtrâ be-
nevolentiâ, concedetis, ut, miſſis omnibus aliis, quam
ſpectatiſſimâ inaugurationis ſolennitate, Regibus
ſuis feliciſſimum regiminis auſpicium, Perſis olim
apprecari conſueverit, paucis exponam. Ita namq;
Hiſtoriarum annalibus edocti, tenemus, Reges ejuſ-
dem, inter alia, Terebinthum prius, quàm ſceptra
ini-

inirent, atque Caricas gustasse; simulque Lactis poculum ebibisse. Hic si altius rem indages, non modo, innumera medicamentorum virtute, quam tempori consulentes, hoc loco non recitamus, Caricas deprehendes celebrari, atque Terebinthum; sed & maximis usibus, vitæ hominum conservandæ, Lac ipsum inservire, omnium dierum experientia testatur. Ac proinde, quid aliud Regibus suis precata, videtur sapientissima gens, quàm eam Regni administrationem, quæ & bono publico conservando, & averruncando, quicquid infestare, aut labefactare hujus vigorem possit, ac incolumitatem, saluberrimè prodesset? Nisi fortè & illud, subindicatum voluerit; esse quidem regnum, exterius specie lætum, & jucundum, sed reverâ triste intus & molestum. Eo namque fine, non Lactis modo, atque Caricarum, proponebant dulcedinem: sed amaritiem quoque addebant Terebinthinæ, ut Majestate quasi & servitute, laboribus atque voluptate, curis deniq; & honore, misceri docerent regnum. Quod ut clarius constet, sunt, qui oxygalam, his ipsis Regibus initiandis, propinatam putant: certiori etiam argumento, molestam Regni fortunam confirmantes. Quicquid tamen sit, rerum omnium humanarum, maximum regnum esse, adeò constat, ut quidem, contra si quis sentiat, nil sentiat. Prout namque, si celsitudinis, in eodem, sublimitatem cogites; vix cogitando assequeris, cum humana omnia supereminens, ad divi-

divinitatem ipſam pergat, cujus titulos, honores, atque vices, gerere quodam modo videtur: ita nec alia ejus ratio, ſi ſummas difficultates atque moleſtias, quibus cinctum undiq; ac ſeptum horret, conſideres, occurrit. Adeò nihil hic commune, nihil vulgare: ſed ita ſumma, ita maxima omnia, ut nullibi aliud ſimile occurrat. Annon enim, ut molli atque læto otio ſubditi gaudeant, omni laborum mole, velut cœlo ſuo novus Atlas, premitur Princeps? Annon, ut placidâ ſomni quiete, fatigatum labore diurno, ſubditorum reficiatur corpus, ſolicitis vigiliis exercitus Principis animus, inſomnes ſæpè trahit noctes? Annon, ut ſecurè res ſuas gerat ſubditus, vaſtiſſimis curis diſtrahitur Principis pectus? Et quid multis? ut commodis publicis floreat, vigeatque populi res, quanta ſæpè incommoda ſubire cogitur Princeps? ut verè, non niſi moleſtiſſimis Principum incommodis, ſtare commodorum publicorum videatur ſalus. Neque aliunde factum, quod Summa mundi Capita, cum immenſæ regiarum curarum moli, ſuccumbere vires ſuas ſentirent, regni ſplendorem, privata commutarint obſcuritate. Auguſtum ſanè, incomparabilis licet virtutis, felicitatisque Principem, adeò pertæſum adminiſtrandi Imperii moleſtiarum, Hiſtoria Romana teſtis eſt, ut, cum bis de reddenda Senatui Republ. cogitaret, precibus tamen atq; perſuaſionibus ſuorum, mentem toties mutarit. Ejus vero non obſcurior eſt hiſto-

ria, qui, cum, post feliciter res gestas, depositâ imperii curâ, vitam privatam esset orsus, *tunc primum vitæ se habuisse principium*, dixit, *cum â molestiis Reipubl. liberatus, privatam delegisset.* Et clarius etiam, cum, precibus suorum, ad resumendos Regni fasces urgeretur, quæ sentiret aperiens, *ista peste se liberatum, amplius venena bibere nolle* respondit. Hæc, hæc A. H. fuisse puto, quæ primum, solennissimè novis Regibus gratulandi regiminis auspicia, ansam præbuerunt: ut videlicet tam ardui, tam summi honoris onus, non nisi piissimis acclamationibus, ac faustissimis gratulationibus subiretur. Multum valere videtur votorum pietas, maximè si ea accedat religio, quæ verum cum felicitatis omnis, tum Regum imprimis, Regnorumq; autorem, atq; custodem colere docet. Atque hæc, omnium Regum, Regnorumque feliciter promovendis incrementis, tam salutaria, si quis Augustissimo Poloniæ Regi, Regnoq; parum prodesse dixerit: næ is, in clarissima omnium luce, solus cœcutire meritò dicatur. Ecquis enim ignoret, eam inclyti Regni fortunam, ut, æterna Dei providentia, fortissimum quasi propugnaculum constitutum, solum ferè immanes, crudelissimorum Christianæ pietatis hostium, impetus sustinere; ac ne, uno quasi effusi impetu, quicquid vera pietate vero Deo litat, inundent, constanti magnanimitate repellere cogatur? Neque verò aut quanto conatu, quantâ sævitiâ, id unum agat impurissimarum gen-

gentium perfidia, ut ſacris noſtris profanationẽ, fortunis vaſtitatem, vitæ necem, libertati, nece etiam ipſa duriorem, carcerem inducat: aut quantam fortiſſima Polonorum natio, barbaris opponens virtutem, id huc usque, Dei adjuta auxilio, præſtiterit, ut vanus conatus, impotens crudelitas, imbelle illorum robur; ſuorum verò, ac noſtra inoffenſa tranquillitas fuerit, eſt ignotum. Quæ omnia dum auditis, ipſi judicetis, quæſo, quàm meritò communibus omnium votis juventur atque precibus, qui, communi quaſi præſidio, aliorum res ac fortunas defendunt? Atque iſta cum ſemper, tum hoc inprimis agendum tempore, facilè conſentient omnes, quo non, uti ſolebat, intra tranquilliſſimæ quietis vigorem, inclyti Regni floret decus; ſed graviſſimis, eoq; gravioribus, quia inteſtinis, quaſſatum tumultibus agitatur: qui ſanè non, niſi exactiſſimæ prudentiæ conſiliis, ac fortiſſimo exercitæ virtutis robore, componi poſſe videntur Sed bene, cum Deo, ſe res habet! Jam enim, quod opponat iis furoribus, Dei gratia conceſſum, tenet Poloniæ felicitas. Magna ea SERENISSIMI CASIMIRI virtus, quæ, ut illuſtriori etiam radio omni orbi effulgeret, tam difficilem, ſummæ inter mortales dignitatis, aditum deſtinavit eidem divinum arbitrium: cui familiariſſimum omnium id eſſe ſolet, ut quemadmodum, poſt fulminantis, atque modis omnibus ſævientis, cœli tempeſtates, gratiſſimos ſoles; ſic, poſt dubia ac nubiloſa rerum

gerendarum initia, illuſtriſſimum, feliciſſimorum ſucceſſuum, producat ſplendorem. Erit, erit, hæc Tua, POTENTISSIME CASIMIRE, felicitas: ut mox cœleſti auxilio, ac procerum adjutus virtute, ſeditionis Oppreſſor, Pacis Reſtitutor, Tuorũ Aſſertor, Hoſtium Vindex Fortiſſimus audias, atque Felix. Et quidni, ut uno verbo dicam, omnem hanc ſolenniſſimæ gratulationis, quâ, noviter Potentiſſimi Regni clavo admotum, MAGNVM CASIMIrum proſequi poſſumus, ſummam eſſe, liberâ voce profitear? Vel an quid MAGNO REGI glorioſius, Regno ſalutarius precari poſſimus, quam ut, oppreſſis hoſtibus, pax reddatur atque conſervetur? Hac ſanè felicitate illuſtres, ſummi mundi Principes, omnem purpuræ atque auri ſplendorem longè ſuperarunt: cum aliàs etiam, ita hujus ſplendor oculos afficere ſoleat; prout animos ipſos, qui iſtam gerunt, Principes amore atque clementia afficiunt. Neq; enim dubium, graviſſimam ſubditorum oculis, eorum Principũ eſſe purpurã, qui, nulla boni publici cura, affectum ſuum populo teſtantur. Sed, quid ingratiora iſta, præſentis ſolennitatis lætitiæ admiſcemus? Quin miſſis iſtis, quod noſtrum eſt, agimus, ac, quandoquidẽ, devotiſſimæ noſtræ gratulationis, capita recenſuimus, ulterius gaudio noſtro indulgentes, quàm indubitata, votorum obtinendorum, fiducia nos foveat, indicamus. Sunt, qui vota nuncupantes, Sabinorum more, quod vo-

lunt

ſunt, ſomniant, ac, quæcunq; animo conceperunt, eorum tam certum ſibi pollicentur eventum, ut expleta jam deſideria videantur, cùm tamen aut incertius, aut impoſſibilius occurrere queat nihil: quorum uti miſerè ridenda eſt temeritas; ita felicior eorum eſt ratio, qui, quodcunque votis atq; precibus impetraturi ſunt, ejus ita, ante omnia, excutiunt conditionem, ut, ſi fieri poſſit, perſpiciant; neque enim, niſi irrita, impoſſibiliũ ſunt deſideria atq; vota! Quorſum hæc dico? quorſum quæritis? ut videlicet, eo fidentiori animo, gratulando inſtemus; quo certior obtinendi voti affulget eventus. Quod ſi fortè dubium cuiquam eſt, exactiori MAGNVM CASIMIRVM, mentis oculo humilime luſtremus, ut certa exoptatæ illius, quam diximus, felicitatis eidem adeſſe indicia, clarius cognoſcamus. Novimus, id conſilium ſtabiliendæ felicitati publicæ, ſub novorum Regum conſtitutionem, quam maximè opportunum, gentibus nonnullis fuiſſe, ut è certis familiis, iisq; meritiſſimis, quos præeſſe ſibi vellent, eligerent Principes. Hinc Joniæ, niſi ex Codri; Mileſiis, niſi ex Scamandri Hectoris; Aſcaniique Æneæ, filiorum poſteris, (aliarum hac in re conſuetudinem lubens omitto) Reges præfici nequibant; quod & amoris in cives illi, & Fortitudinis vim hi, per traducem quaſi, à ſtirpium autoribus, continuò in ſe derivatam ſucceſſu, habere judicarentur. Et, quam certiorem nobis felicitatis eventum, confir-

mat JAGELLONICA DOMVS, quæ, cum præter Maximos alios Reges, MAGNVM quoque dederit CASIMIRVM, eam utriusq; illius virtutis laudem obtinuit, ut exemplum omnibus Regibus præbens, vix simile sibi inveniat exemplum. JAGELLONEM enim ipsum, immortalis gloriæ Principem, si cogites: quo poterat clarius, amorem suum in subditos, argumento confirmare, quam, cum ipse sanctissimo Dei amore incensus, veraq; veri Dei luce illustratus, illud solertissimè omnium curaret, ut eadem felicitate potientes subditos, non perituris fortunæ, sed perennantibus cœli bonis donaret, ab interitu contra non corporis, sed animæ ipsius vindicaret. Fortitudine verò tantâ, & hoc, quod concesserat, &, quodcunq; addi augendæ felicitati suorum poterat, asseruit; ut non absq; stupore, & numero plurima, & mole maxima bella, quibus pro lege & grege, adversus potentissimos hostes, feliciter est defunctus quisquam legat. Ne jam dicam hujus Filium VLADISLAVM, qui pari fortitudine, licet impari felicitate, adversus immanem Turcici exercitus rabiem pugnans, fortissimè oppetiit: Ne reliquos mirandæ virtutis, è tam inclyta Domo oriundos, Heroas recenseam: DIVVM saltem SIGISMVNDVM III. cui SERENISSIMAM MATREM POTENTISSIMA ea DOMVS dedit, cogitate: ac, quandoquidem adhuc omnium animis, incomparabilis MAGNI REGIS Pietas, Sapien-

Sapientia, Justitia, Fortitudo, & conspirans undique maximarum virtutum consortium, obversari videtur: sanctissima porro ea omnia memoria recolenda committere, quam tenui hoc sermone, Majestatem eorundem profanare, satius arbitror. Hoc tanto Patre natum, MAGNVM CASIMIRVM, dum expenditis, annon quantas virtutes nascendi habuerit comites, simul deprehendatis? Solennissimus Romæ mos notatur, quo optimorum Parentum, post mortem, imagines filiis præferre solebant: ut, dubio procul, vultus corporisque majestatem oculis usurpantes, animorum, quod virtutum ornatus conciliaverat, decus mente conciperent, ac, quod imitarentur, haberent: Eam mentem MAGNO CASIMIRO esse, quis dubitet, quâ non modo tum, cum expressa DIVI Patris effigies oculis obiicitur; sed quocunq; loco versetur ac tempore, tam defixus, in divinissimarum virtutum contemplatione, hæret, ut nec remittat eam, dum, quod exprimat, atque æmuletur, animo singulis vicibus impressum referat. Et id quidem ut frequentius agat, recentiorem etiam habet monitorem, DIVVM FRATREM VLADISLAVM, immortalis honoris Antecessorem Regem: qui quam Serenissimis radiis, & Potentissimæ JAGELLONIDARVM Familiæ, & DIVI PARENTIS Illustrissimam laudem auxerit, cum haudita pridem, ex ipso hoc loco, audiveritis, jam non repeto, sed iis, quod tanti Fratris me-

mo-

moria ſuggerit, ſubſtituo. Aridæum, cum Magno Macedonum Regi, Alexandro fratri ſucceſſurus, ſuſcipiendo regno initiaretur, inter alios ſolennis inaugurationis ritus, veſte quoq; Alexandri indutum, non minor, tanti Regis rebus geſtis deſcribendis, Hiſtoricus refert. Ipſi videtis A.H. quid intenderit Macedonum ſuperſtitio, ut videlicet ita virtute Alexandri ornaretur novi Regis animus; quemadmodum corpus ornabat veſtis: ſed qui non vanitatem conſilii hujus ſimul videatis? Neq; enim quicquam animo conferre veſtem, nec ab hujus ſuperbiſſimo ſplendore aut produci, aut promoveri illuſtriſſimã virtutis lucum, uſpiam, quod ſciam, apud Moraliũ Doctores legitur. Feliciores ergo nos, dum eum ſucceſſiſſe, DIVO FRATRI VLADISLAO, Regem novimus, quem non modo idem Regiæ veſtis ſplendor, eadem Diadematis Majeſtas, eadem Sceptri potentia, ſed eadem quoq; virtutis ſublimitas, atq; divinitas exornavit. Aut qui non pares eſſent virtute, quos non naſci modo, ſed educari, formari, exemplis in virtutem animari, ab eodem tàm Optimo, tam Maximo, è JAGELLONICA DOMO, Parente, Deus voluit & Natura? Non poſſum, quin, certioris confirmandæ ſpei causâ, dum tantam virtutum, in Maximo Fratrum Pari, paritatem protuli, ea etiam, quæ dicta jam ſunt, iterem. Difficile regnandi initium à, DEO MAGNO CASIMIRO, conſtitutum paulo ante audiviſtis, non aliud vero
D. VLA-

D. VLADISLAO contigisse, suo tempore cognovistis. Hic, si quam felicissimis successibus, difficultates illas superaverit, MAGNA VLADISLAI virtus, animo repetamus: quidni, quos difficultatibus & virtute Pares cernimus, felicitate quoq; Pares futuros, MAGNOS FRATRES, concludamus? Et volet Deus, ut eò certiori eventu spes nostra confirmetur, quò clariora ejus auspicia, quocunque convertamur, ubiq; occurrunt. Aridæo, Regi suo, Macedonum miles, felicissimos procuraturus successus, nomen mutabat, ac Patris Philippi, priori substituebat: Et iterum novum vanissimi erroris videte testem! quasi aut in virtutem juris aliquid, obtineat humanum arbitrium, ut, ad ejus imperium, ineptæ quoq; indoli, communicare se cogatur; aut ea vis nominum sit, ut, mutatis apicibus, indolem ipsam mutent, ac, si appellationibus, vitiis quoq; & virtutibus, discernant homines. Quod tamen dum dico, non nego, ea sæpè nominibus omina inesse, ut, nativam etiam internæ indolis dexteritatem, certissimo indice notent: quin, uti, seculorum omnium experientiâ, confirmatum id constat; ita idem, auspicatissimum felicitatis omen, nobis hoc loco contigisse, quàm maximè lætamur. Neq; enim emendicato, mutuati nominis, fuco opus est, ut falsâ spe blandiadiamur nobis: sed, dum CASIMIRVM audimus, simul, quicquid ab eo Nomine, felicitatis Polonia experta est, auribus animoque concipimus. Hinc

ſi CASIMIRVS I. qui meritis ſuis, SANCTI cognomentum, obtinuit, ſimul ac feſſas Poloniæ res, multis Procerum precibus ad id requiſitus, ſuſtinere inciperet, ea prudentiâ hoſtium, qui diris modis per omne Regnum graſſati erant, compreſſit impetum, ut nec cupiditate puniendi invidiam, nec ſcelerum impunitate, contemptum ſibi accerſeret: eam de Te, MAGNE CASIMIRE, prudentiam promittunt ſibi, omnes ſubjecti Imperio Tuo populi, ut, quantum, juſta ſcelerum vindicta, â mollitie es abiturus; tantum, æquiſſima juſtitiæ moderatione, ad clementiam ſis acceſſurus: non immemor aureæ illius mediocritatis, quâ laudatiſſimi ſemper Principes illuſtres, & Maximorum, potentiâ; & Optimorum, clementiâ, titulum obtinuerunt. Si CASIMIRVS, qui JVSTI Titulo ſuæ genti honoratur, ea non modo in patriam, ſed hoſtes etiam pietate fuit, ut, regni clavo admotus, nil prius agendum duceret, quam illius inflicta, priorum temporum injuria, curaſſet vulnera; horum verò & publicis, & privatis, quibus ipſum læſerant, offenſis, ſumma animi moderatione ignoſcens, unicus, moderatiſſimi animi abſolutiſſimum exemplum, rerum Polonicarum ſcriptoribus, hodiè etiam prædicetur: Id de Te, MAGNE CASIMIRE, ſtatuunt omnes Tui, nullam ſanctiorem Tibi curam futuram, quàm ut, quod miſerrimis modis ſaucium atq; vulneratum, commiſſum Tuæ Fidei, ſuſcepiſti regnum, brevi priori reſti-

restitutum vigori, Tuam in se pietatem, pleno ore decantare queat. Deum imitaberis, qui & ea in nos pietate, ut maximam Deitatis vim, sublevandis aliorum afflictionibus, demonstret: & ea mansuetudine, ut, cum innumeris offensis, omni momento, ejus provocetur vindicta, ad hanc tamen, non nisi lento maximè, procedat gradu. Sed & alium CASIMIRVM, qui MAGNI, rebus gestis, cognomen adeptus, Russiam, felicibus subactam armis, Poloniæ regno adjecit, invenio; cujus æterno muneri, primam legum judiciorumq; constitutionem, Polonia debet: quiq; miranda subditorum cura, eam nominis immortalitatem sibi confirmavit, ut hostium terror, suorumq; amor adhuc dum dicatur: Neq; minor Tua erit felicitas, MAGNE CASIMIRE. Dum domesticum namq; DIVORVM, PATRIS atq; FRATRIS, æmulatus exemplum, inoffensum justitiæ deferes cultum, id gloriæ publicè obtinebis, ut Tuorum, quos patrio præsidio tutaberis, amor; Hostium verò, quos, ne ulla ex parte lædere Tuos audeant, cohibebis, dicaris terror. Ita & consiliorum, & judiciorum, & armorum potentissima Præses Justitia, omnium ubiq; Tibi conciliabit cultum. Inprimis tamen, si CASIMIRVS III. inter alia clarissima, quibus, continuato XLV. annorum imperio, omnibus admirationi fuit, maximarum virtutum documenta, ea, in Provinciæ hujus nostræ populos, propensione fuit, ut non modo opem, adversus ho-

ſtium violentiam, implorantibus promptiſſimam tulerit,ſed in fidem,poſt etiam,ſuam recceperit: Ejusdem fortunæ ſpe læti ſuſtinemur, fore videlicet, ut eadem, qua Divi Majores Tui, MAGNE CASIMIRE, clementia nos, ſubjectiſſimos Tibi cives, ſis curaturus: nec unquam permiſſurus, ut,qui devotisſimæ fidei Sacramento, pectora, vires, fortunasque ſuas,cultui tuo atq; ſervitio ſanctiſſimè obſtringunt; eos, Te Rege, ulla injuriæ,hoſtilitatisq; vis impune lædat, nedum evertat. Hac bonâ ſpe omnes pleni, id unum, quod ipſo nomine, MAGNVS CASIMIRVS blandiſſimè jubere videtur, unâ voce ingeminamus, CARI SIMVS, CARI SIMVS. Perſtet in nos Divorum Majorum clementia, nec unquam ea nobis illuceat dies, quæ, ne CARI SIMVS, noſtro merito, agere nos cernat. Magna hæc magnæ felicitatis, auſpicia cuivis videri, nullus dubito: quæ tamen omnia maximis modis, illuſtri Tua, MAGNE REX, augentur virtute, quam & ipſa naſcendi felicitate, & indefeſſo exercitio,ita Tibi ſociaſti, ut vix arctiori ullibi vinculo videatur aſtricta. Qua enim ſolicitudine MAGNVM VLADISLAVM, â DIVI PATRIS ſapientia curatum, nuperrime audiviſtis: eam nec SERENISSIMO CASIMIRO deeſſe voluit. Ita è Perſarum, qui non, niſi Majorum artibus inſtructos, Reges conſtituerunt, more, ſapientiſſimos populis ſuis Reges, quos feliciter produxerat, filios relinquere volebat DIVVS SIGISMVN-

MVNDVS: ut,quod libero electionis arbitrio possent, domesticâ PRINCIPVM SVORVM virtute adducti, nollent, peregrinos aliunde asciscere Reges. Hic quis omnes, & piæ ejus, in Patre Rege, curiositatis; & vigilantissimæ, in Filio Principe, solertiæ enarret partes? Quis sedulas hujus describat operas, quas, interioribus etiam, sapientiæ arcanis tractandis, feliciter impendit? quis masculum & expeditum, simul ac arma tractare ætas permitteret, corporis robur? quis invictam, quam cum omnibus, tum impiis perfidæ Moscoviæ armis, constanter opposuit, magnanimitatem? quis imperterritam mentis constantiam, quâ extremæ etiam necessitatis, dum Germaniæ interesset bello, pericula & fortiter subiit, & lætissimè superavit. Hæ sunt illæ artes, quibus instructum pectus, cum hostes varios, eosq; potentissimos, devicisset; tandem fortunam ipsam, postquam (prout solet, in maximis sæpè experiri vires suas, levissima) magnæ, MAGNI CASIMIRI, virtuti insidiari videbatur, non absq; æterno nominis honore, confudit atq; prostravit. Et quod aptius regno pectus, quam quod, inexpugnabili virtutis robore munitum, non hominum modo dolos atq; fraudes; sed fortunæ ipsius technas, ac machinationes, non minus prudentia eludit, quam fortitudine profligit? Probè tenet, quâ pollet prudentiâ, MAGNVS CASIMIRVS, quod MIRI CASVS, tum omni viventium ordini, tum Sceptrorum maximè immineant

 sub-

ſublimitati: ſed horum omnium ſecurus, ita fortunam virtute, ut ne quà noceat, didicit cohibere. Quod ſi eadem felicitate hoc potuiſſent, ſummi potentiſſimorum hoſtium victores: non tantam eorum ſeriem recitarent annales, quorum, invictum alias, robur, aut per fraudem ſubvertit blandiens, aut per vim ſæviens fregit fortuna. Aſt luerint illi debitum imprudentiæ præmium: felices verò nos, tanti Regis virtute æternùm lætemur! Vel, quam nos metuamus fortunam, ſub eo Capite, cujus conſtantiſſima virtus, tam prudenter fortunæ imperare novit? O felicem XI. KL. April. qui M. DC. IX. tantum Principem, ſuis videndum terris, conceſſit! O felicē Principem, qui eo die terrarum ſuarum ingreſſus eſt orbem; quo, undiq; in ipſius felicitatem conſpirantia, aſtra, quicquid felicitatis ornare mundi Dominos poteſt, plenâ manu conferebant. Sive enim Majeſtatis ſplendor Regem firmat; ſive divitiarum atque theſaurorum moles ornat; ſive animi magnitudo præſtat invictum; ſive felicitas conſervat: omnia iſta, tot populorum bono, cum MAGNO CASIMIRO naſci eo, â quo vitæ annos numerare cœpit, die, omni orbi intimabat cœlum. Sed, ô feliciſſimum omnium, anni hujus auſpicem Menſem, qui unus, & debitum, Magnæ CASIMIRI Virtuti, præmium tribuens, regnum; & tot populorum afflictiſſimam ſortem, tanto reficiens Rege, ne quicquam felicitatis eidem, &, quos feliciter recturus erat,

rat, populis desit, eam etiam, quæcunque tam auspicato eidem contigit, solidissimè confirmat. Romæ enim solennia, inter plura alia Mensis hujus sacra, Agonia fuisse, fasti notant: quibus, quod Agonius, præses rerum agendarum, nonnullis creditus fuerit, Reges ipsi, sacrum Diis arietem, immolasse referunt. Cedat hic piæ religioni, profana impietas: atq; ita, quàm solidissimè omnis ea MAGNI CASIMIRI Majestas, atq;, hinc in tot populos promanans, beatitudo confirmari possit, apparebit. Dubium non est, quin, pro devotissima sua pietate, cujus jam olim Moscovia testis est, SERENISSIMVS REX, inter solennia Inaugurationis Sacra, non impuras arietum, quibus non affici cœlorum Regem diu novit; sed sanctiores Deo dicati pectoris victimas, ut feliciter, quicquid suscepturus esset, agi vellet æterna bonitas, humilime immolaverit: quid æquius est, quam ut ei pietati, nostram jungamus, ac (ut in circulum recurrens oratio, eodem, quo cœpit, claudatur, immensæ & potentiæ, & bonitatis puncto) pro stabiliendo, & eorum sacrorum, & omnium gratulationum votorumq; robore; his labiorum oblatis victimis, ita uni Regum Regi, ac Dominantium Domino, Potenti, Summo, AEterno supplicemus?

D.O.M. QVEM. DIGNISSIMVM. IMPERIO.
MAGNVM. CASIMIRVM. POPVLIS. SVIS.
PRAEFECISTI. EVM. INCOLVMEM. ATQVE.
SAL-

SALVVM. DIV. SERVA. FELIX. AGAT. FELIX. IMPERET. ASSERTOR. REIPVBL. FELIX. IMPERET. AMICVS. BONORVM. FELIX. IMPERET. INIMICVS. TYRANNORVM. FELIX. IMPERET. HOSTIS. CRIMINVM. ET. VITIORVM. FELIX. IMPERET. MAGISTER. MILITIAE. FELIX. IMPERET. PACIS. FVNDATOR. FELIX. IMPERET. CVSTODI. IPSVM. CVM. SVIS. OMNIBVS. AC. VT. PIASTVM. LONGAEVITATE. CASIMIROS. SANCTITATE. JVSTITIA. JAGELLONEM. VLADISLAVM. PIETATE. SIGISMVNDVM. PATREM. SAPIENTIA. VLADISLAVM. FRATREM. MAGNITVDINE. AC. REGES. ALIOS. OPTIMOS. OMNES. GLORIA. AC. FELICITATE. AEQVET. AVT. SVPERET. ETIAM. CLEMENTER. CONCEDE.

Ita precamur; Vos, qui hæc auditis, non tam ex antiqua formula quam serio affectu, idem mecum sentietis, ac dicetis

OMNES.



PANEGYRICVS XVI.
GRATVLATIO,
SVPER FELICITER RENOVATA,

A

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

PRINCIPE AC DOMINO

DO

DOMINO
JOHANNE CASIMIRO,
POLONIAE ET SVECIAE REGE, MAGNO DVCE LITHVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE &c. &c. &c.

DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO

BORVSSIAE INVESTITVRA,

AD

SERENISSIMVM ET POTENTISSIMVM

PRINCIPEM ET DOMINVM,

DOMINVM

FRIDERICVM WILHELMVM,

MARCHIONEM BRANDENBVRGICVM, S. R. I. ARCHICAMERARIVM, ET PRINCIPEM ELECTOREM, BORVSSIAE, JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, STETINI POMERANORVM, CASSVBIORVM, VANDALORVM, CROSNAE ET CARNOVIAE IN SILESIA DVCEM,

BVRGGRABIVM NORIBERGENSEM,
PRINCIPEM RVGIAE,
COMITEM MARCAE ET RAVENSBERGI,
DOMINVM RAVENSTEINI:

DOMINVM ET NVTRITIVM NOSTRVM MVNIFICENTISSIMVM,

HVMILIME

INSTITVTA.

INVITATIO AUDITORUM.

SI ea aut fatorum clementia, aut OPTIMORUM PRINCIPUM felicitas esset, ut, quemadmodum sublimitate hi atq; celsitudine, divinitatis quandam inter nos gerunt imaginem; sic immortalitate quoque donati, æternitatis eâdem, cum illa, gauderent sorte: non crebris adeò successionum vicissitudinibus, & soliorum Majestati feralis luctus atq; squalor; & publicæ populorum saluti; gravissimorum, è mutatione, periculorum induceretur metus. Nunc verò cum istud, inter communem Mortalitatis conditionem, contra summam Summi Arbitri constitutionem, quæ utraq; Sceptra ligonibus æquat, & sperare insanum, & exoptare impium sit: illud saltem votis omnibus curandum, ut, quandoquidem inevitabilem Principi non minus, quam plebejo capiti, mortis necessitatem deprecari nequimus, auspicatissima OPTIMORUM successione, tristissimum priorum desiderium leniatur, ac compensetur. Et sane! quoscunq; horum votorum damnat populos, æterna cœli bonitas, si, devotissima pietatis gratitudine, non venerentur tantum Dei munus: indigni sunt, qui, quæ tàm auspicatissima successione unicè nititur, inoffensa felicitatis publicæ continuatione fruantur. Atq; hæc dum legitis, ò MEI DOMINI ATQUE FAUTORES, neutiquam mirabimini, nondum finem à nobis statui Panegyricis conventibus, cum nec dum cesset (& æternum non cesset!) novis felicitatem nostram argumentis, confirmare æter-

æternus orbis Rector: quin prout nudius quartus, iterum NOVO VELI REGII SIGNO, *cum renovata* INVESTITURAE BORUSSIAE *confirmatione, omnem publicæ felicitatis spem renovari vidistis; ita merito, novum etiam devotissimæ pietatis nostræ, quæ, quantum id muneris colat, testetur, publicè proponi, ultrò decernetis? Et quando felicius Oratorum desudat industria, quam in* DEI *supremi Regnorum Assertoris bonitate, Optimorumq́, qui felices hujus existunt æmulatores, Regum prædicanda clementia? Ita quippe utriusq́ se habet ratio, ut absq́ ea, nec consistere Rerumpubl. felicitas queat. Quod ergo* SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI JOHANNIS CASIMIRI, ELECTI POLONORUM, NATI SVECORUM, GOTHORUM, VANDALOLORUM REGIS; MAGNI DUCIS LITHVANIAE, RUSSIAE, PRUSSIAE, MASOVIAE, SAMOGITIAE, LIVONIAE, SMOLENSCIAE, SEVERIAE, CZERNICHOVIAE, *cœlestis ac verè Regia Virtus, simul ac* SERENISSIMUS ET POTENTISSIMUS PRINCEPS AC DOMINUS, DN. FRIDERICUS WILHELMUS, MARCHIO BRANDENBURGENSIS, S. R. I. ARCHICAMERARIUS ET PRINCEPS ELECTOR, BORUSSIAE, JULIAE, CLIVIAE, MONTIUM, STETINI POMERANORUM, CASSUBIORUM, VANDALORUM, NEC NON IN SILESIA CROSNAE ET CARNOVIAE DUX,

BVRGGRABIVS NORIBERGENSIS, PRINCEPS RVGIAE, COMES MARCAE ET RAVENSBERGI, RAVENSTEINI DOMINVS, DOMINVS AC NVTRITIVS NOSTER MVNIFICENTISSIMVS, *pro notissima subjectissimæ patriæ nostræ conditione, solenni antiquissimæ consuetudinis ritu,* PER MAGNIFICOS DNN. LEGATOS *id peteret, tam feliciter, quam promptè concessit munus; indictum à nobis transeat? Absit ea à nobis & impietas, & ignorantia, ut, aut* SVMMVM CONCEDENTIS AMOREM, *aut* PATRIAM PROCVRANTIS SOLICITVDINEM, *cujus utriusq; solidissimo fulcro, firmiter nostra sustinetur Salus, non intelligamus; aut, cum Serenior utriusq; radius omnibus affulgeat, quàm ut percipi non possit, quantâ cum devotione* TAM EXCELSISSIMA, *pro felicitate nostra excubantia,* CAPITA *coli debeant, nesciamus. Omnia tum, cum, solennissimâ veneratione exoptatissimum, Publicæ Felicitatis* SIGNVM *exciperetur, novo quasi animari vigore vidimus, & nos, quantum vigoris felicitas illa nobis conferat, non sentiamus? Quin quam alia mens subjectissimæ Academiæ adsit, solenni iterum Panegyri Futuro XXVI. Martii Horâ II. Meridiana, in Auditorio Majori, palam profitebitur: quæ tantam felicitatem & gratulabitur publicè, &, quid pro eo noviter concesso munere, debeat subjectissima nostra devotio, breviter addet. Vos verò* DOMINI, FAVTORES, AMICI, CIVES, *qui tam sæpius iteratâ promptitudine, & sanctissimum patriæ affectum, & addictissimum*



mum Musis nostris studium, hoc semestri, estis testati: ut idem agere pergatis, & accrescentibus adhuc (diu velit DEus!) patriæ felicitatis argumentis, vobis etiam augeri, affectus studiiq; in patriam, atq; nos, incrementa ostendatis, ea, quâ par est, observantiæ amorisq; oblatione, submisse, officiose, ac amice rogamus. Ita æterno incremento &, communem omnibus, publicam, &, quæ propria singulis est, privatam felicitatem, felicitatis veræ autor atq; confirmator mactet DEVS. P. P. 1649. 21. Martii.

MAGNIFICE DOMINE RECTOR,

NOBILISSIMI, PLVRIMVM REVERENDI, SPECTABILES, CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, CLARISSIMI, AMPLISSIMI, PRVDENTISSIMI, SPECTATISSIMI, DOMINI, FAVTORES, AC AMICI, HOSPITES OMNIVM ORDINVM SPECTATISSIMI, NOBILISSIMI ITEM DOMINI STVDIOSI.



QVod optimis, ac sanctissimis pietatis sectatoribus, peculiari semper ornamento fuit, atq; honori; communi patriæ fortunæ, ita accomodare animum atq; mores, ut publicam illius sive lætitiam, sive calamitatem exhibere, nec minus solennibus applaudere festivitatibus, quàm doloris publici, percipere videantur sensum: idem si ego etiam, liberali uni-

universæ patriæ, super renovata, haud ita pridem, felicitate publica, excitatus gaudio, hac vice demonstrare fuero conatus; non modo culpæ omnis evitaturum me notam, sed pietatis etiam quandam laudem, impetraturum confido. Si namq; privata singularum ædium sorte, ita familiam universam affici videmus, ut, prout illa vel durior est, vel mitior; sic utriusq; in hac eluceant argumenta: quidni eadem communis patriæ, cujus fortuna penates privatorum, ex æquo, omnes utrinq; tangit, in disponendis hominum animis, efficacissima existat virtus? Imò hinc unicè, sanctissimus ille derivari videtur amor, qui, præter homines, patriæ amorem testatos; rationis insuper usu destituta, animantia ita excitavit: ut nec, extra latibula, feræ; nec, extra patrium sibi mare, pisces; nec, extra domesticum nidum, aves; jucundiorem somnum, quietemq; carpant. Hæc cogitate A. H. & facilè, quàm non, absq; exactissimo pietatis sensu, publicum illud, quo, Die ab hinc Nono, novum renovati Feudi, cumq; eo, felicitatis publicæ renovatæ, signum, VELVM REGIVM, exceptum, ac, inter effusissimum urbis universæ concursum, in Augustissimam, SERENISSIMI ELECTORIS, deductum fuit sedem, gaudium usurpari potuerit, facilè decidetis. Vel, annon illustrius nobis, ad bene, de communi omnium patria, sperandum, signum erectum putetis, quàm quod, tam splendido verborum apparatu, de Cæsare suo, Crator

tur prædicat? Et annon proinde, apertioribus etiam signis, pietatem patriæ testemur, ac debita eidem, quod tam feliciter obtinuit, munus solennitate gratulemur? Imo agemus ita, ac, modo per vestram, A.H. quorum Honoratissimam præsentiam, omni iterum modo, veneror, benevolentiam, quod submissè ac officiosè rogo, concedatur, quàm justissima undiq; hoc etiam bono gaudendi, nobis sufficiantur argumēta, paucissimis exponemus. Quanquā quidni id concederet mihi, singularis benevolentia vestra, quod, sumā cum voluptate vestra, tam arctissimè est conjunctum? cum præsertim, id omni fere hominum generi, naturâ ipsa dictante, familiarissimum esse soleat, ut gratiori subinde, felicitatis suæ, memoria, eo crebrius animos pascat, atq; oblectet; quo frequentius iterata, confirmatæ ejusdem, fundamenta spectat. Atq; hic quis ita rerum omnium expers, inter nos, agat atq; ignarus, qui non, simul ac renovata, inter SERENISSIMOS AC POTENTISSIMOS PRINCIPES, AC DOMINOS, DOMINVM JOHANNEM CASIMIRVM, POLONIAE SVECIAEQVE REGEM, &c. &c. ET DOMINVM FRIDERICVM WILHELMVM, MARCHIONEM BRANDENBVRGICVM, S. R. I. ARCHICAMERARIVM, ET PRINCIPEM ELECTOREM, BORVSSIAE DVCEM &c. &c. DOMINVM AC NVTRITIVM NOSTRVM

NOSTRVM MVNIFICENTISSIMVM, Aviti, antiquiorisq;, Feudi solennia acceperit; pòst verò, tam exoptatissimi nuncii certitudinem, Augustissimo REGII VELI Signo, confirmatam oculis usurparit: omnem eam felicitatem, quæ à primo statim, tam illustris olim conventionis, puncto, miris miserisq; oppressam, patriam modis refecit, animo secum revolverit. Quam, ut clarior, præsentis lætitiæ, publicæ effulgeat causa, prout potero, brevissimè exponam: postquam antea, quæ felicissimum illud institutum antegressa est, sævissimam patriæ attingam calamitatem. Solet namq;, uti post decumanos maris fluctus, strati æquoris tranquillitas; aut, post rigidissimæ brumæ asperitatem, blandus Vernæ amænitatis tepor: sic, post, insanientis fortunæ, superatas tempestates, succedentis felicitatis serenitas, magis oblectare. Quisquis proinde rerum Borussarum adieris annales, ut, quo statu, sub antiquissimo Magistrorum Teutonicorum regimine, eæ ipsæ fuerint, cognoscas: annon ea miseranda Provinciæ facies occurrit? ut, cum hinc, non absque fervidissimis lacrymis, tot immanissimæ crudelitati immolatas victimas; tot vastissima humani sangvinis profusa flumina, aspicere nequeas; inde, non absq; tristissimo stupore, efferatissimũ crudelitatis furorem percipias, quo incitata libido, ita in capita mutuò sæviebat, ut non hominum, sed aut ferarum sanguis, aut, vilioris etiam alicujus corporis, effundi vide-

videretur humor? Quam quidem, nunquam ferian-tium armorum, immanitatem, tanto & temporis tractu, & mirandarum viciſſitudinum eventu, acer-biſſima, infeſtiſſimorum hoſtium, contentio conti-nuavit, ut, vix ulla vel Romæ, vel bellicoſiſſimæ cu-juſcunq; gentis, Hiſtoria gravius bellum oſtendat. Et, in iſto ſævientis Martis furore, quis vel rerum ſa-crarum cultus, vel juſtitiæ tenor, vel fortunarum pri-vatarum fructus fuerit, facilè ſcies: qui plerumq; in caſtris pietatem exulare, leges ſilere; in ſingulo-rum verò bona, tantum cuivis eſſe juris, quantum appetendi libido præſcribit, haud ignoras. Quibus omnibus, ſi ipſam, adminiſtrandi Regiminis, adda-mus formam, quid miſerius, quid infelicius, exiſte-re unquam queat? Incertus, ex omni Ordine, Suc-ceſſor, quoties provinciæ curam ſuſceperat, ne dicam eos, qui aut aperta vi atq; crudelitate, anteceſſoribus eam extorſerant; aut malis artibus, per cuniculos, invaſerant; jam non bono publico ſtudebat, aut id curabat, ut felici ejus incremento vel ſucceſſorem, (quem dubium, ſi non oderat, quia ignotum; aſt eò minus, amabat, quo vehementius ipſe, regiminis diuturnitatem appetebat) vel populum, qui bruto omni abjectius habebatur, juvaret: ſed modo, quod deliciis ſuis, atq; cupiditati ſatis eſſet, poſſideret, jam egregium Ordinem ſuum ornaſſe, ſibi videbatur. Et qui fiat aliter, ubi, certa, legitimorum ſucceſſorum, ratione neglecta, ſuperiorum libidini ſubjacent im-

 peria.

peria. Hîc ergo egregiam, si potes, ejus Reipubl. concipe faciem, ubi in templis superstitio, in judiciis furor, in domibus rapina dominatur: & quis felicitatis proventus sperandus, ubi malorum terminus non apparet, tecum statuito. Quæ omnia dum, de miserrima Patria, certò nimis, omnium annalium, confirmat fides, quò tandem res omnis, putatis, evasura fuisset, nisi, pro immensa suâ bonitate, DEVS ipse malorum terminum figens, Potentissimorum Principum animos ita à bello ad pacem, ab odio ad amorem, ab armis deniq; ad pacta pertraxisset, ut solennissima conventione initâ, confirmataq;, eam Patriæ felicitatem, qua adhuc dum feliciter eã frui, publicum illud REGII VELI signum, haud ita pridem, cum publico omnium gaudio, publicus exstitit testis, pararent atq; largirentur? Lætissima aliàs Aquilæ auspicia, olim maximè, quod una, omnium animantium ferè, frequentissimam, rebus gerendis, ducem sese præbuerit, ac vel quid agendum, vel quo eventu res successura esset, prænotaverit, celebrata novimus. In quo quidem, etiamsi minimè ignotum sit, quantum superstitiosæ præstigiæ locum tenuerint; patriæ tamen nostræ, auspicatissima fuisse Aquilarum auguria, felicissima illa status atque sortis mutatio, clarissimè docet. Cum enim, continuo tot annorum ordine, gravissima ea, quam audivistis, tempestate esset jactata, tranquillitate ante, quam, felicissimo concursu, Potentissima POLO-
NIAE

NIAE atque BRANDENBVRGI Aquila jungeretur, potiri nequaquam poterat. Haud importunè, ut videtur, quæ de Sacchoræ, Babyloniorum cujusdam regis, nepote vulgò circumferuntur, incidunt: quem cum infantem, Regia filia natum, ministri Regii, quod Domini Tyrannidem, quâ, successorem invisum, certo sublaturus esset, metuerent, è regia præcipitem, fortunæ suæ committerent; Aquilæ forte prætervolantis, antequam terræ allideretur, dorso exceptum, inque horto vicino leniter depositum; post verò, cum à loci Domino esset repertus, tam feliciter educatum succrevisse, ut Rex Babyloniorum, Tilgami nomine, fuerit salutatus. Sit fabula, Hospites Honoratissimi, neque enim aut ipse, Historiæ nomine, eam rem ausim venditare: aut vos, si anxiè persvadere coner, credideritis facilè; ast quæ adeò convenientissimè, Borussiæ res tangat, ut, ad exprimendas easdem, conficta ferè videatur. Ecquid enim, paulò ante dictorum recordantes, quanto in præcipitio patriæ salus hæserit, sentitis? quæ, jam jam ad imam deturbanda internecionem, constare nullo amplius modo poterat, cum insperato auxilio, CELSISSIMARVM, quas diximus, AQVILARVM virtutem destinans, divinæ providentiæ consilium, eas immisit, atq; ita rem omnem disposuit, ut harum humeris suscepta, non modò subtraheretur exitio, sed intra florentissimum, prout nunc patriæ facies occurrit, trans-

vecta hortum, felicissimâ MAXIMORVM CAPITVM cura, intra amœnissimum vigorem, quàm lætissimè succresceret. Si namq; infamem istam, priorum temporum, cogites sævitiam, quid aliud videatur patria universa, quam horridæ quandam solitudinis speciem exhibere, in qua, præter immanissimorum scelerum monstra, nil nisi cædium, rapinarum, ac mille metuum occurrant imagines? quibus omnibus abolitis undiquaq;, ac deletis, postquam amicè, conspirantibus CELSISSIMIS AQVILIS, exoptatissima, tranquillissimæ pacis, succedebat serenitas, jam decedere paulatim omnem istum horrorem, ac subinde novo omnia apparere vidisses cultu. Suppullulare, præ omnibus, amœnissimum Reipubl. florem, qui, quicquid sive elegantissimi ornatus, sive uberrimi fructus, à Prudentia, Justitia, Clementia, & aliis, Maximorum Principum, virtutibus, ullus unquam populus obtinuerat, felicissimo proventu producebat. Neque verò alia sacrorum species: quin, oppressa undiq; avita superstitione, tum demum efflorescebat semper viva pietatis amœnitas, quæ uti una divinum, Regnis omnibus atq; provinciis, inducit splendorem; sic solidissimum, felicitatis publicæ, confirmat fundamentum. Imò, quod ipsa hæc sacratissima Musarum sedes, ac illud ipsum, quod hoc momento tantum munus resonat, sacrarium, pulsâ sedibus suis, quas hic paulo ante fixerat, barbarie atq; ruditate, & lætissimè floreat, &,
uber-

uberrimorum indies fructuum incremento ditescat, omne illud ejus beneficii fructus est. Et ita cum, publicè omnia se habere, viderent singuli; jam & ipsi, positâ ante gressæ ferociæ asperitate, mitescere animis incipiebant, ac fastidita, quam hucusq; unicè erant sectati, Martis feritate, quietas pacis artes excolere incipiebant. Hic ergò cultissimus ille elegantiarum hortus, qui, si non aureos Hesperidum fructus; si non, æternâ juventute renascentes, Adonidis flores; ast nobiliora longè germina, diviniores produxit fructus. Aliunde fortè cognovistis, quæ, de prodigiosis Solis Lunæq; arboribus, referuntur, ut utraq; sideris, in cœlis, sibi cognati, tacito influxu, oracula reddiderit; ut illius vices, vel amœniore flore, vel profusissimis lachrymis exhibeat; ut alia miranda præstet: quibus tamen missis, id potius, quod, gemina hac arbore, notare solent sapientiores, felicissimum Religionis, atq; optimi Regiminis commercium attendentes, utriusq; lætissimum vigorem, lætissimè succrevisse, piâ gratitudine prædicamus. Hoc est nobilissimum illud divinarum arborum par, sub cujus cœlesti umbra, quod hucusq; inoffensa patriæ floruerit felicitas, unicè, juxta Deum, divinæ, EXCELSISSIMARVM AQVILARVM, virtuti adscribimus; quæ, quam primum, sub potentissimo alarum suarum præsidio, fovendam miserrimam patriam suscipiebant, omnium eorum exstiterunt Autores. Hæ, simul ac salutis publicæ conditionem

magis, quàm aut irritatorum affectuum impetus, aut copiarum atq; virium potestatem, æstimare incipiebant: omnia, quæ affligere ulterius, devastatam verè provinciã, poterant, cedere tranquillitati, ac, quæ hujus divina semper progenies est, felicitati cogebantur. Hîc verò, quidni è vobis, qui consultissimi Rerumpubl. fundatores estis, atq; arbitri, liberâ voce quæram, sítne ullum vel solidius, felicitatis publicæ, fulcrum, quàm, quod conspirans mutuo, in populorum salutem, Maximorum capitum suppeditat amor; vel certius ejusdem argumentum, quàm, quod ex optimâ Religionis, Reiq; publicæ educitur ordinatione? Et, quandoquidem communis, vestrum omnium, consensus, unice securus, & certissimus mihi videor; quidni & summæ, quæ tum Patriæ contigit, felicitatis omnes certi simus, ac securi? Si namq; universi ipsius, solidè constare perfectio nequit, nisi concordi creatorum omnium, quæ ejusdem continentur amplexu, harmonia: nec aliud, sustinendæ, populorum felicitatis, fortius medium, quam arctissimum, quo POTENTISSIMORVM PRINCIPVM deligantur mentes, amoris vinculum; quod, quò pluribus constringitur nodis, eo strictius salutis publicæ colligatur status. Non equidem obscurum est, cum præsentissima, quandoq;, populorum ruina, fœdera iniri atq; pacta: ut, quo eminentioribus benè sit, undiq; conspirans potentiorum unio, populos extremis opprimat modis; atq;

ita,

ita, haud raro, Principum amicitias, populorum fieri exitia: si videlicet privata, non populi, res curetur. Ast quàm nihil, à tam OPTIMIS PRINCIPIBVS, dulcissimæ Patriæ fuerit metuendum, nimis felicissimus, tantæ rei, comprobavit eventus. Nihil hic privati, nihil fucati occurrebat; Salutem populi publicam, sanctissimus utrinq; amor curabat. Hinc, ut modus tandem esset,! crudelissimorum bellorum, ut tranquillitas communis, &, qui hanc sequi toties dictus est, optimus Reipubl. status, exhausto, atq; omnibus modis vexato, populo redderetur, tam desideratissima consilia, & saluberrimè inibantur, & felicissimo terminabantur successu. O cœlestem MAXIMORVM PRINCIPVM, SIGISMVNDI ATQVE ALBERTI mentem! O æternùm vobis benè sit, Felicissimi Borussiæ Assertores; qui, ne nobis malè porro esset, tanto studio curavistis! O æternum, cœlestis pacis deliciis, recreemini; qui, tam opportunissimâ pace, crudelissimum Borussiæ bellum commutastis! O nunquam felicissimæ, inter beatos, quietis, terminus vobis oriatur; qui tam felicem, cruentorum laborum, terminum nobis statuistis. Ast hæc omnia, prout à me, tanta cum attentionis benevolentia, exponi auditis: ita, quo minus eorum, intra animos vestros, renovaveritis memoriam, quando, non minori cum voluptate, desideratissimum, renovatæ omnis ejus felicitatis, signum, VELVM REGIVM, nuper oculis usur-

usurpabatis, nullus dubito. Et qui dubitarem, cum & auspicatissimus ejusdem color, talia & alia plura, non oculis magis, quàm animis obiiceret? Ecquid enim NIVEVS ejusdem CANDOR? ecquid FLAMMANS PVRPVRA, vobis aliud suggerere videbatur, quam, felicissimis hisce monimentis, rerum superioris seculi gestarum, memoriam renovandam? quibus videlicet, exstinctis, Martialis furoris, feralibus flammis, abstersoque tot cædium cruore, candida pax fuit redacta: quibus, fugata errorũ, atq; idololatriæ tenebricosâ caligine, simplex purissimæ fidei candor, effulgere incepit; quibus, deposita inordinati dominii tyrannide, cœlesti suo splendori, restituta, divinitus constitutorum Principum, est purpura: quibus deniq;, omni nubilo luctus publici dissipato, candidissimæ lætitiæ publicæ, exorta fuit serenitas. Hæc, & ejus generis innumera, cum tam clarè legenda, ipse VELI auspicatissimi color, proposuerit, qui non, tam niveæ felicitatis percipientes sensum, solennissimo indulgeamus gaudio? qui non flagrantius, omni purpura, devotionis studium, quo POTENTISSIMOS, tantæ felicitatis, AVTORES veneremur, publicè demonstremus? Imò pergite eo studio, optimi Patriæ cives, ac quicquid solennitatis, tanto honorando muneri inservire queat, alacres atq; prompti in publico sistite! Concurrite non animis minus, quàm corpore, ac nova novis cumulate gaudiorum argumenta; ut, quam pruden-
tes

tes ejus muneris ſitis æſtimatores, absq; quo ſi eſſetis, gaudii omnis expertes ageretis, orbi conſtet. Sed, ut agantur ritè omnia, id curate; ne, dum tanta veſtra gaudetis felicitate, POTENTISSIMOS ejusdem negligatis AVTORES. Solenne priſcæ pietati fuiſſe diſcimus, fluminũ, quorũ ſaluberrimo liquore frueretur, prima, quibus iſta derivarentur, capita, exquiſitiſſimo honorare cultu: Agamus ita & nos, ac quandoquidem, exundantes undiq; felicitatis rivulos, tanto noſtro cum bono, cernimus; maximè omnium, in primos eorundem inquiramus fontes, ut, eo promptiori devotionis veneratione, proſequi eos queamus. Neq; tamen, & ipſa hæc res, aut prolixioris indaginis eſt, aut operoſi laboris: quin, quod antea egiſtis, VELVM iterum REGIVM ſuſpicite, ac in eo, dum EXCELSISSIMVM AQVILARVM PAR, coloribus quidem diſtinctum; ſed affectu atque virtute idem, notatis, rem omnem expeditam tenere vos, credite. Vltrò enim & AVGVSTISSIMVM POLONIAE REGNVM, ET POTENTISSIMA MARCHIONVM BRANDENBVRGENSIVM DOMVS occurrit, è quibus illud dum NIVEA, RVBRAM; hanc verò NIGRA, NIVEAM exornante aream, Aquilâ proponi videtis; annon & illîc, flagrantiſſimum puriſſimi amoris ardorem, quo DIVI POLONIAE REGES, patriam hanc terram proſecuti; & hîc, inoffenſam intemeratæ fidei virtutisq; conſtantiã, qua non provocavit modò, ſed

confirmavit inſuper, Regium illum affectum, POTENTISSIMA BRANDENBVRGI DOMVS, legitis? Non alia, commodiori equidem, ratione, accipienda ea omnia, Hieroglyptæ, qui colorum, in inſignibus, excutiunt rationem, docent: ſed nec aliter eveniſſe nobis, præter annalium patriorum documenta, res ipſa loquitur. Sive namque graviſſima illa bella, quæ, Invicta D. ALBERTI virtus, non ſuſtinuit felicius, quàm inflixit, expendas: ſtupenda quædam, magnanimæ virtutis, conſtantia occurrit. Sive, quæ terminum turbis, initium tranquillitati publicæ, dedit, primam, inter DIVOS SIGISMVNDVM ET ALBERTVM, cogites conventionem: clementiſſimi amoris clariſſimus prodit ſe teſtis. Sive deniq; feliciſſimam, quatuor & viginti, ultra ſeculum, annis, ejus fœderis continuationem, atque ipſam præſentem, ſub MAGNO CASIMIRO, AC POTENTISSIMO FRIDERICO WILHELMO, conſideres renovationem: conſtantiſſimus & illius amoris, & excelſiſſimæ hujus virtutis, deprehenditur tenor. O! ſi felices, horum omnium, æmuli exiſterent, qui, ſtabiliendæ populorum ſuorum felicitatis, media quærentes, ita ſæpè à vero aberrant, ut, quæ confirmare ſolidiſſimè volebant, eorum ipſi infelices evadant everſores. Illos cogitate, qui robur atq; firmitatem, ab iis externis fortunæ ludicris, petunt; quæ cum, ſibi ipſis ſuſtinendis, nunquã ſufficiãt, omni, leviſſimo etiã, turbine disje-

cta,

cta, ludibrio publicè habentur atq; despicatui: qui quàm satius agerent, si, quæ nostræ felicitatis, tam salutariter, jacta sunt fundamenta, amplexi, iisdem suam quoque superstruerent, Virtutem & Amorem. Cum namque, absolutissima divinitatis quædam imago, virtus sit: non illud modo, cœlestis indolis, obtinet argumentum, quod, divina sua pulchritudine, undique amorem provocet & cultum; sed eam quoque, immortalitatis inde, hausit particulam, ut, supra temporum, fortunarumque eminens injurias, immoto quodam robore atque vigore perstet. Vnde & illud feliciter evenire videmus, ut, quemadmodum cætera omnia, quæ divino hoc fulcro nituntur; ita quoque amor ipse, eodem fundatus, immortali, quasi quadam, gaudeant perennitate. Hæc quisquis potentiæ suæ, prima statuit sustentacula; ridere is poterit, insanos fortunæ insultus: cum non magis hos officere sibi experiatur, quàm, quæ, vano ictu, immotos feriunt scopulos, fluctuum flagella. Hoc sanè fulcro, Borussiæ sustentata felicitas, tot supra seculum annos, quæ DEI gratia est, illæsa atque florens semper constitit: & volet Deus, ut æternùm duranti illius soliditate, hæc ipsa, dum orbis constiterit, sit perennatura. Si namque & iisdem artibus, quibus acquiruntur, conservari imperia; & nullâ re alia, quàm fide, obligari fidem, non tritum minus est, quam certum: qui non felicissimè, salutis publicæ æternitatem, ominemur, cum & tam opti-

mè ſe habeant, prima ejusdem initia; & tam ſolidè, quibus adhuc dum innititur, confirmata ſint fulcra? Quod ſi fortè cuiquam dubium eſt, evolvat ille & inclytæ Poloniæ, & patriæ dulciſſimæ, Hiſtoriam: & facilè dictorum certitudinem habebit. Si enim à primo eo, quo primum clementiſſimi amoris affectum, Potentiſſimo patrocinio, DIVVS CASIMIRVS, afflictæ patriæ teſtatus eſt, tempore, omnem ſuccedentium annorum excutias ætatem; haud obſcurè, quanto indies augmento ille accreverit, videbis. Nam &, quem ſucceſſorem is habuit MAGNVM FILIVM, JOHANNES ALBERTVS, non alio in Boruſſiam affectu, DIVI PARENTIS conſcendit ſolium; &, qui Hujus Frater, inque Patrio Regno Succeſſor exſtitit, SIGISMVNDVS I. quod non minus patrii ſceptri, quàm in Boruſſiam affectus heres eſſet, ſolenni renovatorum privilegiorum confirmatione, perſpicuè eſt teſtatus. Sed quia, & absq; POTENTISSIMA DOMO BRANDENBVRGICA hæc contigerunt; & invicta hujus, cum ad regimen Boruſſiæ accederet, virtute, mutata quodammodo videantur: non aliter illa, quam auſpicatiſſima æternioris, mox ſucceſſuræ, pacis omina atq; præludia, adducimus; quæ tùm clariſſimâ luce patriæ affulſit, cum, quem ultimo loco dictum audiviſtis, D. SIGISMVNDVS I. & Celſiſſimus ALBERTVS, MARCHIO BRANDENBVRGEN-

GEN-

GENSIS, æterno, æterni fœderis feudiq;, devincirentur pacto. Hîc jam, si, dubiam antea auroræ lucem ortam, vobis judicetis, plenum diei serenissimæ jubar, eluxisse statuite; cujus lætissimum incrementum, tanto fulgore semper augeri vidimus, ut nulla illud caligo, offusique nubili nebula, aut eripere animis omnino, aut obscurare saltem, ejus splendorem potuerit. Nec dies, nec, si is suppetat, lingva mea suffecerit, ut vel SIGISMVNDI AVGVSTI, vel (ne alios omnes explicem) SIGISMVNDI III. vel VLADISLAI IV. DIVORVM POLONIAE REGVM, admirandus, quo POTENTISSIMAE DOMVI BRANDENBVRGICAE, &, quæ hujus felicissimo imperio subjacet, Borussiæ amorem testati sunt, debitè vobis innotescat, affectus: qui etiam adeo luculenter se prodidit, ut mutuis non patriæ modo, filialisq;; sed, fraternæ insuper necessitudinis, nominibus, cum ingenti subditorum emolumento, undiquaque effulserit. Et quid ille arctissimus, quem AVGVSTISSIMVM, revovati hujus fœderis, intimat VELVM, MAXIMORVM NOMINVM amplexus, quam sanctissimum illud amoris vinculum, quo deligata, mutuo sese fovent complexu, SERENISSIMA CAPITA, aliud loquatur? Est ita, ut diximus: nunquam, qvi virtute nititur, vacillat amor, sed eadem utriusq; immortalitas perennat. Et qui unquam vacillaret, Cœ-

leſtis, POTENTISSIMORVM POLONIAE REGVM, amor, quem tam feliciter & fundavit, & confirmavit, Divina, CELSISSIMAE DOMVS BRANDENBVRGICAE, Virtus. Et ad hanc porro conſiderandam, non quod ignota ea vobis, quippe, quæ utramq; Panegyricorum noſtrorum, paginam conſtituere ſolet, ulla ex parte eſſe poſſit; ſed quia aliter, quod propoſitum nobis eſt, abſolvi nequit, via, quam compendioſiſſima licet, ſi lubet, jam vos deduco. Ne enim omnem ejus ambitum, quo ampliſſimè extenditur, proſequi opus ſit; iis continebimur finibus, qui Poloniam ipſam circumſcribentes, ſaluberrimam eam AVGVSTISSIMO REGNO teſtantur. FRIDERICVM noſtis, & nomine, & ordine Electorem, è POTENTISSIMA BRANDENBVRGENSIVM DOMO, Secundum, qui, decennis vix, Auguſtiſſimam, POLONORVM REGIS, Aulam ingreſſ9, ſingulari Celſiſſimæ virtutis ſplendore, ita & Regis, & Procerũ occupat animum, ut ſponſam Regiam HEDEVIGEM obtineret: quam, cum immatura Regiæ Filiæ fata, Principi Sponſo invidiſſent, id tamen aut invidere, aut impedire minimè valebant, ut, niſi inaudito modeſtiæ, pietatisque exemplo, oblatum Poloniæ Regnum repudiaſſet, Regem Polonia coluiſſet FRIDERICVM. Quod autem graviſſima illa diſſidia CASIMIRI Poloniæ Patris, Filiique VLADISLAI

LAI

LAI Regum, adversus Hungariæ Regem MATTHIAM, in exitiale jam bellũ erumpentia, tam prudenter, tam feliciter composuerit, Divina Magni, è POTENTISSIMA HAC DOMO, Ciceronis Germanici sapientia: quod diversis aliis, haud leviori difficultate, idem Regnum prementibus, bellorum motibus sedandis, POTENTISSIMAE DOMVS expetita Autoritas, annon abunde satis, incomparabilem ejusdem Virtutem, confirmare videtur? Non addo hisce, felicissimorum connubiorum utrinque necessitudines, quibus ita magis magisque devincti fuerunt amores, ut reciproca undiq; nasceretur animorum unio. Illas saltem, quas revera, non, nisi optimi semper ominis loco, æstimare patria potest, Auspicatissimas Nuptias, quibus Augustissimam D. CASIMIRI, Poloniæ Regis, Filiam Principem SOPHIAM, jungens sibi, Achillis Germanici Filius Princeps, FRIDERICVS, ALBERTVM Primum Borussiæ Ducem, orbi nostro dedit, cogitate: & edicite, annon jam tum, præsaga fatorum vis, obscuro licet, certo tamen, indice innuerit, fore, ut, quemadmodum auspicatissima copula, Celsissimus, POTENTISSIMARVM DOMVVM, jungeretur sangvis; ita, suo tempore, amicissima Principum, populorumq; subsequeretur copula; &, quemadmodum purissimus POLONAE PRINCIPIS Amor,

mor, Excelsam, DOMVS BRANDENBVRGICAE, Virtutem amplecteretur; ita posthac æternus, AVGVSTISSIMORVM POLONIAE REGVM, amor, cœlestem HVJVS Virtutem esset prosecuturus. Hoc continuato traduce, amoris propagatâ seges, tam divite succrevit copia, ut nunquam desiturus sit ejusdem proventus. Neque enim nostro seculo aliam, quàm saluberrimam, inclyti Poloniæ Regni rebus, DOMVS BRANDENBVRGICAE Virtutem exstitisse, vel una, DIVI GEORGII WILHELMI, quam procurandis desideratissimis, Belli Polonico-Svecici, induciis, feliciter impendit, Prudentia testatur: cujus quidem toties, hoc nomine, celebrabitur memoria; quoties divinus, tam cœlestis muneris, percipietur fructus. Magni verò FRIDERICI WILHELMI, ex eodem fonte promanantes, laudes, prolixius vobis exponere quid attinet? cum enim adhuc hæ cathedræ, earundem recensione, quasi caleant: hinc, quæ nuper admodum, inter publica Genialium solennia, audivistis, ea si, hac vice, prætercam, veniam facile meriturus videbor. Quamvis & res ipsa, & tam feliciter renovata salus publica, adeo clarè isthæc omnia loquatur, ut alio præcone minimè opus habeamus. Sed plura quoque de his dicere, religio prohibet; quæ longè, à Regum Principumque arcanis, privatorum arcet curio-

curiositatem. Hæ proinde, quas audivistis, A. H. illæ fuerunt artes, quæ primos, è POTENTISSIMA DOMO BRANDENBVRGICA, cum maxima patriæ felicitate, Duces eidem constituerunt; hæ fuerunt, quæ eosdem, cum uberrimo illius incremento, felicissimè confirmarũt: & stabilita his ipsis, immota (annue Deus!) earundem CELSITVDO, cum orbis ipsius certabit stabilitate. Cum verò non obscurius inde, solidissima felicitatis nostræ fundamenta, eluceant: quid restabit aliud, nisi, (huc enim commodùm pervenisse, sermo meus videtur) ut devotissima adhuc veneratione, EXCELSISSIMAS AQVILAS humilimè colamus. Tantam nonnullorum, in Aquilas, quibus felicitatis vel auspices, vel autores fuerunt, gratitudinem Historiæ notant, ut imagines earundem, ne uspiam ingrati, oblivione, redderentur, pectoribus affixas secum gestarint: Sanctiorem nos, pietas nostra, jubet gratitudinem, ut non externam pectoris superficiem, POTENTISSIMARVM AQVILARVM ornet effigies; sed, intra secretiora pectoris collocata adyta, illarum virtus, æterno devotionis cultu à nobis honoretur. Et quid æquius, quàm ut, velut pura candidissimæ felicitatis gaudia, constanti, Augustissimi Amoris, Divinæque virtutis, æternitate, confirmat nobis VELVM REGIVM; sic constantissimum, simplicis candidæque fidei, nec non flagrantissimi cultus studium, tam POTEN-

TISSIMIS, salutis nostræ, ASSERTORIBVS offeramus. Agetis id, procul dubio, omnes: quod autem quo diu agere liceat, D.O.M. unicum Imperiorum omnium Dominum, ut, qui olim admirando, POTENTISSIMARVM DOMVVM, fœdere & Ecclesiæ, & Regiminis publici, inter difficilimam terrarum Borussarum calamitatem, tranquillissimum statum fundavit; idem æternis, eodem firmato, nexibus, intra perpetuum, atque inoffensum vigorem, sub felicissimis, POTENTISSIMORVM CAPITVM, auspiciis, salutem ac tranquillitatem patriæ publicam, undiquaque conservare, clementissimè dignetur, supplices ac cernui precamur.



SERIES PANEGYRICORVM ET PROGRAMMATVM.

XII. Gra-

Quibus ob Argumenti similitudinem addere placuit,



IN-

INDEX RERVM ET VERBORVM;
Juxta Numerum paginarum, accuratè concinnatus.

Ago

Anto-

peri-

Casti-

ctores

Exem-

Hila-

latio

mole-

tio

Sobri

W.

X.

Z.

Paucula, quæ oculorum effugerunt solertiam, emendanda hæc occurrunt.

IN *quaternionis primi columna 6. l. 1. lege* lutares. *p. 17. numerus mutetur, scribaturq; 13. p. 33. l. 3. l.* parit, odore. *p. 55. l 7. l.* splendidissimo. *ibid. l. 16. l.* tamen, *p. 91. NB. Ab hoc Panegyrico, omnis sequentium numerus, cum per errorem idem huic & præcedenti sit præfixus, erit mutandus. Sit ergò hic VI. & sic porro continuetur series. p. 104. l. 1. l.* terrarumq;. *p. 105. l. 12. l.* occurrit. *p. 112. l. 7. l.* confecto. *p. 115. l. 7. l.* veneratione. *p. 118. l. 24. l.* animatas. *p. 119. l. 13. l.* admirationem. *p. 126. l. 23. l.* nobilissimam. *p. 124. l. 27. l.* illo. *p. 148. l. ultimâ. l.* vinâ. *p. 165. l. 24. l.* suo *p. 166 l. 1. l.* tutum. *p. 169. l. 10. l.* confluxisse. *eâdem l. penultimâ & ultima, mutatis distinctionum notis l.* impossibile sit, omnia prosequi: *p. 198. l. 24. l* Contigit. *p. 206. l. 11. l. FILIA. p. 223. l. 14. l.* ei uni. *p. 227. l. 1. omissam syllabam supple,* dit. *p. 243. l. 3. l.* est, benigne. *p. 245. l. 22. l.* nascendi sors. *p. 254. l. 11. l. CELSISSIMO. p 261. l. 2. l. MAGNVS FRIDERICVS VVILHELMVS, deleta ultima periodi, & lineæ antecedentis voce. p. 263. l. 4. primæ syllabæ, commatis loco, subjungatur punctum. p. 267. l. 8. in fine, deleatur* di. *p. 272. l. 5. expungatur colon. p. 273. l. 1. pro* fi *l.* si. *p. 274. l. 24. l.* vellicet. *p. 290. l. 8. l.* templorumque. *p. 313. l. 7. l.* mirifica. *p. 321. l. ult. l.* paris. *p. 325. l. 13. l.* auctura. *p. 342. l. 3. l.* verè. *p 354. l. 1. l.* demonstrabat. *p. 358. l. 7. contrahatur in unam vox* subjungam. *p. 370. l. 17. l.* bonis. *p. 381. l. 10. l.* quæritis. *p. 384. l. 13. l.* lucem *ibid. l. 27. ita mutetur distinctionis particula,* initium à Deo, *p. 406. l. 4 l.* poterant. *p. 413. l. 21. l.* renovati.

SOLI DEO GLORIA.

" Sphinx, prudentis Reipub. Moderatoris imago. pag. 257. seqq.

Regni
Regni Poloniæ
et
Princip. Pruss

Vol. Thilo.